MONVMENTA
PATAVINA


NON QVÆ INTER
SIDERA MICANT
NVMENTA
ATAVINA.
OMNIA ÆQVAT
CVNCTA METIT

MONVMENTA PATAVINA

SERTORII VRSATI

STVDIO

Collecta, digesta, explicata, suisque iconibus expressa.

AD

SERENISSIMVM PRINCIPEM

&

AVGVSTISS. SENATVM VENETVM.



PATAVII. MDCLII.

Apud Paulum Frambottum Bibliopolam.

EX FACVLTATE SVPERIORVM.

SERENISSIMO
PRINCIPI
CELSISSIMOQVE
SENATVI VENETO.

DIu ſane ambiguus hæſi, SERENISSIME PRINCEPS, PATRESQVE AMPLISSIMI, vobiſne hunc qualemcunque ingenij mei partum offerrem. Timueram enim ne manus armatæ ferro repudiaturæ eſſent donum otioſi ac inutilis libri; maxime cum ſatis conſtet, nimis plerorumque animis hanc inſediſſe opinionem, nullum eſſe literis cum armis commercium. Verum inter varias fluctuanti cogitationes, iamq; ad contraria conſilia inclinanti, C. Iulij Cæſaris occurrit ſymbolum, dextra gladium, librum ſiniſtra geſtantis: idque protinus vacillantem erexit animum, nouoſque fiduciæ ſubiecit ſtimulos. Ete-

nim ſi vir bellicis innutritus laudibus, victorijſque, trophæis, ac triumphis, ad illud famæ eluctatus faſtigium, quo paucis vel aſpirare quidem contingit, res tam diſſidentes adeo amica ſocietate deuinxit, quid vetat, quominus nobis idem de florentiſſima hac Republica polliceamur? Nam veteres quoque vni Deæ ſub diuerſis tantum Palladis ac Mineruæ nominibus, & literarum, & armorum præſidium detulere. Cui vero ignotum, hanc Rempublicam glorioſiſſimam ſe totam ſemper ad inuictiſſimi Cæſaris æmulationem compoſuiſſe, taleſque produxiſſe omni ſeculo viros, qui ſuum ac patriæ nomen non minus ingenio, quam fortitudine, nõ minus calamo, quã ferro in immenſę glorię lucem aſſeruerint? Tanto quidẽ poſteriore hac laude celebriores, quod non ciuili, ſed barbararum, et ab omni humano cultu alienarum nationum ſanguine ſuæ virtuti litauerint. Cuius rei luculentum ſatis eſt argumentum, quod ſicuti intra magnam vrbem in armamentario toto orbe celebratiſſimo Marti, ſic Patauij tamquam in tranquillitatis portu ſtudijs magis amico, Apollini, ac Muſis collocarint domicilium. Conuolant ex omnibus regionibus magnitudine famæ acciti, illuc quibus arma, huc quibus ingenuæ arrident literæ: illic cum ſtupore viſuntur tremenda, quæ alato Leoni cuduntur fulmina, ſeueriora longe, quam quę in obſcuro Cyclopum antro Ioui Vulcanus fabricatus eſt: heic ſapientia, & vndequaque in vnam quaſi ſedem coactæ artes ſummo ingeniorum cultu eminent.

minent. Quare non omnino ingratos futuros spero hosce, quos vobis in obsequij testimonium dico, laboris mei fructus; quibus iam optime notum, non alia hinc munera sperari posse, quam qualia solent à Musis proficisci. Sed nec validiori licuit hoc opus tutelæ credere, quam cui soli aduersus immanissimos hostes tota se Christianæ Reipub. salus commisit. Aequum præterea videbatur, vt quascunq; patria mea antiquitatum possidet opes (omnes autem ex illius quasi gremio eruimus) vestro patrocinio submitteret, sub quo felicissime hucusq; vixit: præsertim cum illæ maxima ex parte à Romana defluxerint Republica, cuius vestra felix æmula florescit. Numquid vero Romani latius, quam Veneti nominis gloria est peruagata? illine plures maioresque victorias, quam vos, enumerauere? an forte ferociores illi atrocioresque nationes ac gentes, quã Veneti domuerunt? an demum vlla laude Adriatica æstuaria superbo Tiberi concesserint? Ego vero summas omnes, quotquot olim floruerunt, Respublicas in vnicam hic coaluisse, & Lacedæmone quidem iustitiam ac disciplinam, Athenis sapientiam, Roma fortitudinem huc transmigrasse crediderim. Beatam vere vrbem Patauinam, quod olim terrarum subiecta Reginæ, non inferiorem hac ætate nacta sit dominam! Non sum equidem nescius, hisce temporibus gratam fore eorũ operam, qui vrgentibus vndique sæuissimis bellis, pro eius defensione sese hostibus armatos obiecerint. Verum

rum

rum neque hac in parte publicis necessitatibus nostra familia defuit. Superiore nempe seculo Gaspar Vrsatus Iurisconsultus in patrio Gymnasio primę sedis professor, eo vsque Octumuiralem dignitatem Pataulj fortiter tutatus est, quousq; fides erga Serenissimam Rempublicam Venetam inuiolata durauit. Anno vero MDLXXI. Vrsus & Bernardinus Vrsati, cum militum decuria, proprijs impensis constantissime contra Turcas steterunt, atque secundus fortis miles, primus vero strenuus centuriæ fortissimorum e nobilitate Patauina virorum præfectus, toto orbe decantatam victoriam, qua Turcico sanguine Adriaticum erubuit pelagus, ad Naupactũ sua virtute illustrauerunt. Nuper vero Alexander, eximijs perfunctus officijs, cũ plurima heroicę indolis edidisset specimina, bello Cretico iuuenilem animam Reipublicæ gloriose deuouit. Ne quis autem & nostrum hac in re inutile reprehendat studium, si aliud non fuerimus consecuti, forte ad militaria decora contendentibus stimulos addiderimus. Etenim cum monumenta ista nihil sint aliud, quam præclarorum virorũ memoriæ, quas ob singularia merita eximiasq; virtutes antiquitas immortalitati consecrauit, ambitione ac spe similis comparandæ sibi laudis ad egregia facinora complures accendemus. Vos præsertim SERENISSIME PRINCEPS, PATRESQVE AMPLISSIMI, futuram vestram gloriam in lucidissimo quasi speculo conspicietis. Qua enim reuerentia nos pristina modo asseruamus

mus

mus monumenta, qua solertia à temporum iniurijs illa vindicamus, quo studio ac religione demum eadem veneramur, pari veneratione olim vestrarum laudum sacra vestigia colet, asseruabit, tuebitur posteritas. Quonam vero tempore præstantium virorum celebritas maiori apud vos curæ fuit? dum nempe eorum, qui & bello enituerunt, & pace, quos supremis ornamentis condecorauit non minus toga, quam arma, qui consilijs factisque illustribus non minus foris splendorem, quam maiestatem sibi conciliauerunt domi, qui inauditis æquitatis, fortitudinis, prudentiæque exemplis orbem vniuersum in admirationem rapuerunt, amplissima & propemodum infinita est series, adeo vt vix sit tantus monumentorum, quæ eriguntur, numerus, quantus eorum, qui sunt meriti, quique promerentur. Ceterum cum illa olim stupebunt posteri, cum ad nostram imitationem suis minoribus tradenda colligent, aliud non precor, quam vt in tam arduo labore Minerua magis propitia, vestroque splendore digniore vtantur. Agite interim, antiquo gloriæ insistite cursui. Fortuna vestræ obnoxia generositati viam vobis sternet ad illos triumphos, qui ideo vobis solis debentur, quia alios inde aut metus, aut ignauia, aut inuidia procul arcet. Vestris substrata pedibus ingemiscat crudelissima Hydra, quæ desidi exitium minabatur Europæ. Vnius Reipublicæ oppressa victorijs detumescat superbia, quæ Christiano orbi vniuerso metum iniecit. Ad

supremum

ſupremum interim immortalis gloriæ faſtigium e-
uehimini, in quo terrarum vos adorabunt gentes,
ſoli veſtræ virtuti in acceptis ſuam relaturæ ſalutẽ.
Tenuitati vero meæ, veſtris ſemper obſequijs deuo-
tæ, ſi benigne annueritis; omnem voti ſummam
me aſſecutum felix deprædicabo.

Patauij Kal. Septembris MDCLII.

S. M. V.

Deditiſſimus

Sertorius Vrſatus.

Nobiliſſimo ac Clariſſimo Viro

SERTORIO VRSATO

SERENISS.MÆ REIPVBLICAE

VENETÆ

Monumenta Patauina dedicanti.

Scilicet æterni nos urit ſacra cupido,
Et ſatis pugnare juvat. Vix Regibus aurum
Vix diadema placet, ſi ſeros nulla nepotes
Fama manet. properant obſiſtere viribus ævi
Mortales quacunque licet. durabile marmor
Quæritur, & ſolidi fortiſſima vena metalli.
Surgunt Pyramides, ſtant magna mole coloſſi,
Æratæque domus, ac templa minantia cœlo,
Accedunt tituli Parcis Orcoque timendi.
Hæc etiam pereunt, lapidumque cadauera paſſim
Cernimus, & ferri proſtant fragmenta pereſi,
Signaque deficiunt. Et qua depellere peſtem
Hanc tandem ratione licet? Retinere fugacis
Vel ſpeciem vitæ labor eſt. VRSATE, malorum
Per te finis adeſt, Phœbo par arte ſalubri,
Lingua Mercurio. Fato ſine fine ruenti
Mens artes humana ſuas opponit, & illa
Illa immortali Lacheſin virtute repellit.
Ingenio ſupereſſe datum eſt. TE vindice ſaxis

¶ ¶ Vita

Vita redit, ſpiratque chalybs, ſtatuæque loquuntur,
Palanteſque umbræ redeunt, maneſque reducti
Feſtinant iterum deſertas viſere ſedes,
Auctoremque ſuum pompa venerantur inani.
VRSATE, æternat mortales ſcripta papyrus,
Scalpraque vincuntur calamis, & marmora chartis:
Et ſemper durant, quæ poſſunt ſæpe renaſci,
Quæ ſubito motu totum ſparguntur in Orbem.
Sis bonus o felixque operi ſanctiſſime MARCE;
Hæc tua tutela eſt. æterni cura laboris
Traditur æterno. Cum vis non altera diras
Alati poterit Saturni avertere noxas,
Tu falcem eripies manibus. Tibi tempora cedunt,
Sidera ſe renovant. mediis invictus in undis
Sceptra tenes, DIVINE LEO, ſemperque tenebis.
Hic ſe conjunxit rerum diviſa poteſtas,
Concurrunt bona quæque. Loci miracula tantis
Conueniunt regnis. prudens natura futuri
Has tibi præſtruxit ſedes, hæc littora certis
Muniit aggeribus, Venetaſque per æquora fudit
Cycladas, ut tuto maneant tua templa receſſu,
Vt late tendas vires. Vrbs proxima cœlo,
Vrbs ipſis fundata Deis, en turribus altum
Inclinat tibi Veſta caput, tibi Copia dives
Immenſas diſpenſat opes, Nereuſque tridentem
Porrigit, & gladium felix commendat Enyo,
Et miſtas oleis donat Victoria palmas.
Cedite quas magnæ ſubito vertere ruinæ,
Quas victor crudelis habet, non hoſtis in urbem,
MARCE, tuam venit ferro metuendus & igne,
Non unquam veniet. proprio tibi currere fuſo
Fata vides, alio ſervari robore vires.
Non anni ſeniumve nocet, ſemperque nitores,
Semper vita redit, ſemper robuſta juventus.
Italiæ clades, & ſævi crimina belli
Sic penſata placent. jam barbarus Attila terris
Profuit Auſoniis, & dignos laudibus Hunnos
Diximus, ſi ſic urbs perfectiſſima naſci
Debuit. Immenſis conſurgunt optima damnis,
Abſolvit manſura dies. Vt conderet unam
Ex voto, plures alias Fortuna reliquit.

Aſpice

Aſpice qua jaceat forma, quos ſpiret honores
Vrbs invicta loco, claris invictior armis,
Sed potius longe longe invictiſſima juſtis
Legibus. hæc anima eſt, hic ſpiritus, unde ſalutis
Fundamenta fluunt. Conſiſtunt omnia rectis
Finibus, & veris librantur pondera cauſis.
Vndique Majeſtas, Libertas undique magno
Miſcetur ſtudio. Stat ſummo culmine Princeps,
Stant Patres propiore gradu, communia plures
A' teneris curant. Concordia quæritur omni
Ingenio, æquantur cultus, æquantur amores.
Vix natis eſt pœna malis. Sine crimine regnant,
Qui præſtant aliis, populus ſine murmure paret.
Eſt patriæ manſurus amor, pulchrique cupido,
Sunt animi fortes, ſunt fida ſilentia rebus,
Eſt modus impetiis. Non fert hæc ora Tyrannos,
Non Dictatores Venetis naſcuntur in undis.
Si quis barbaricas poterit convellere portas,
Si vincet turpes CRVX SACRATISSIMA Lunas,
Hujus erit. ducet victrices Adria claſſes,
Et Leo Threiciis affiget ſedibus alas.
VRBS ÆTERNA fave, vultus pie MARCE ſerena,
Dum venit VRSATVS, dum marmora reddit avorum,
Et ſanctas patriæ curas. affunde vigorem
Divine, & tecum venturis affere ſeclis.
Sis etiam facilis veniæ, ſi ſacra profanis
Contemero verbis, ſi ſtringo maxima paucis:
Sic olim menſor latæ compendia terræ
Sic idem vaſti deſcribit mœnia cœli,
Nec tamen offendit terram, nec lædit Olympum.

MICH. KIRSTENIVS SILESIVS.

¶¶ 2 LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

VOracißimum omnium rerum tempus, quo nimium vere videmus

— altas turreis ruere, & putrescere saxa

prisca Patauinorum Monumenta adeo attriuerat, vt pauca satis, eaque ferme exesa, situque corrupta occurrerent, & perexigua ipsorum posteris superesset notitia. Nimirum homines tanquam coniurati humanitatis hostes quotidie saxa inscriptionibus memorabilia vulgarium lapidum instar barbaro plane more rumpebant ac proculcabant, imo perpetua obliuione delebant. Operæ itaque pretium duxi, nec à mea in patriam pietate alienum, si quæ adhuc à temporis iniuria, hominumque inertia superessent, omni labore diligentiaque posteritatis memoriæ vindicarem. Opus sane grauißimum, meisque viribus longe impar agnosco, cui nec meus vtique sufficit conatus, nisi tua Lector amice beneuolentia desiderij mei summam sine liuore ex animi sententia expleuero. Si qui tamen hæc mea forsan nimis acute perstrinxerint, beneficij tui apud me æterna stabit memoria, si eis in mentem reuocaueris, non humanæ sed diuinæ felicitatis eße, nullis circumueniri erroribus. Si quid heic boni, hilari fronte excipiant; si quid infra spem, ad Vespasianum Imperatorem Plinij maioris illud cogitent: Hominesfumus. *Tu interim hisce ingenij mei primitijs, & antiquitatum libamentis tantum indulge, vt labori plurimorum iudicio non prorsus inutili euentus respondeat, donec fortunante Deo ætas tempusque meliora reddat. Vale, ac faue.*

REuerendiſſimi Sacri Quæſitoris iuſſu PATAVINA MONVMENTA Sertorij Vrſati viri natalibus ac virtute clariſſimi attente perlegi. In quibus non modo quidquam comperi, quod Religioni, ac moribus fraudi eſſet, verum multa animaduerti, quibus ſanus lector eruditior fieret, & melior. Multiplici doctrina paſcere ingenium licet, ac per literatos lapides, ſaxiſque deſcriptos patriæ annales retro acta ſecula cum voluptate luſtrare. Sed & præceptis quoque ſalubribus formare animum hæc Monumenta poterunt, tituloque defungi. Quanta eorum dementia, qui mortalitatis fæcem, ac ſordes marmore componunt, vt carius putreſcant? Quanta vanitas ſperantium poſſe hoc pacto prorogari nomen, ac memoriam ſui in longum extendi? Quaſi extincti cineres ſepulchrorum ruina non cumulentur; quaſi tumulos obducta tellus non ſepeliat; quaſi non moriantur & lapides. Quota pars reliquiarum veluti naufragij de iniurijs annorum, ac temporum gula reſtat? Truncus ſtatuarum populus, fatiſcentes tabularum cruſtæ, ſemeſa columnarum fruſta, cipporum fragmina minutatim expugnata, & quæ olim vias ſuperbe prætexebant monumenta late agris diſiecta, & obruta, aratris effoſſa, vt vere monumentum colatur, ruderibus excepta, atque ab ipſis Manibus reuulſa, ſitu, muſcoque obſita, oblirerata, oblimata, magnarum arborum ſtirpibus diffiſsa, trita rotarum orbitis, rurſus veluti in ludibrium fundamentis reddita, ſuggrundiorum ſtillicidijs, fluminum marginibus, viarum ſtratis, vrbis purgamentis deſtinata, alieno ſepulchro adſtituta, translata toties errantibus Vmbris, & iactata. Nulli pedes in frontem, nulli retrò, nuſquam ambitus, & maceria: nihil ſacri, & religioſi. Quota inquam pars de Infernis his ſedibus supereſt? Quæ reſtat cuius eſt? Caſſa nomina, ignoti in parria rituli, peregrina inſcriptio. Qui illa poſuere ignorantur. Ite nunc & ſepulchris fidite, quorum ſpectatis funera. Perituris condimur. Mors tandem & tumulos æquat. Hæc qui reputauerit, multum huic libro, multum ſibi debebit.

Octauius Ferrarius.

Noi

Noi Reformatori dello ſtudio di Padoa.

Hauendo veduto per fede del Padre Inquiſitor Generale di Padoa, come nel Libro intitolato Monumenta Patauina Sertorij Vrſati non v'è coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & medeſimamente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo licenza che ſia ſtampato, douendoſi oſſeruar le Leggi in queſto propoſito. In quorum fidem &c.

Dat. à 1. Maggio 1652.

{ Vicenzo Guſſoni Cau. Proc. Refor.
{
{ Bertucci Valier Cau. Refor.

Pietro Vianoli Segr.

Die 7. Menſis Martij 1652.

OPus Præſens manuſcriptum in folio chartarũ 585. cui titulus eſt Monumenta Patauina Sertorij Vrſati ſtudio collecta &c. Cuius initium *Voraciſſimum omnium rerum* &c. & finis *& forſan nimis iniuſtè*, fuit pro impreſſione Paduæ viſum, & approbatum, cum in ipſo nihil contra fidem, Principes, aut bonos mores conſtare videatur. Die, menſe, & anno quibus ſupra.

Ita eſt & ego Fr. Ant. Vercellus de Lendenaria Inquiſitor Generalis Paduæ manu propria.

Nobilissimo ac Eruditissimo Viro

SERTORIO VRSATO P. P.

OPVS

DE PATAVINIS MONVMENTIS

In lucem edere paranti.

VRSA leui teneros lingua molimine natos
Lambens, conciliat partibus ore decus.
His maiora tamen longè miramur in VRSA,
Quæ facit ingenio viuere saxa suo.
Naturæ sint ista quidem miracula; at illud
Diuinæ fuerit non nisi mentis opus.
Quid mirum? Hircanis non hac venit VRSA cauernis,
Sed delapsa polo nobile stemma dedit.
Diruta mole sua, vel temporis acta ruinis,
Iam cecidere solo tot monumenta virum;
Splendidiora tuis surgunt hæc marmora scriptis,
Atque his luce datur nobiliore frui.
Qui saxis VRSATE potes producere vitam,
Aeternum reddent hæc rediuiua decus.

Hieronymus Sanctasophia Medicinæ Theoricæ
in Patrio Gymnasio Professor.

ATtica iam sileat ductæ mendacia mentis,
Gens hodierna parit, veraque monstra videt.
Saxa trahi in cumulum dulci testudinis ictu,
Fama refert; cygnus Thessalus author adest:
Arte sua veniunt lapides, glomerantur in vnum,
Vrbsque solo agresti turribus alta patet.
Somnia Graia hæc. At Patria miracula vera;
Inclyta SERTORIO Fama perennis erit.
Hic veteris splendor, nostræ quoque gloria gentis,
Est Citharaque potens, est calamoque valens;
Conuocat illa feras; en huius marmora tractu
Marmora concurrunt, marmora clara simul
Hic oculi spectent tum claram turribus vrbem;
Vrbs viget in turri, quæ caput orbis erat;
Hoc opus est turris, turris molimina gestans
In tacitum Lethes, falciferumque senem,
Astra petens turris, moles miranda per æuum;
Audax haud iactet plus Babilona labor.
Cedat priscus honos, cedant miracula vana
Memphis, seu Cares, aut Ephesinus ager.
Omnis in Euganea plausus stat mole superbus,

Inque

Inque vno trinum connumeratur opus.
Munera celsa thori si illustria mausolea?
Coniux fata viri marmore sculpta colit.
Barbara Pyramidum vel te miracula captant?
Nobilium saxis fulget imago Ducum.
Templum non Triuiæ, sed Famæ hoc dicito sacrum;
Et quot sunt lapides tot simulacra viro,
Huic condignus honos, qualem sua nomina poscunt:
SERTORI cingant AVREA SERTA comam.

Franciscus Forzadura.

SVbiecta Euganeis collibus, inclyta
Stirpis Dardaniæ filia; mœnibus
Surgens nobilibus; diuitijs potens
Aures vrbs Pataui applica.
Tu, quæ conspicuis culta scientijs
Diffundis celebres undique glorias;
Iactasque innumeros ingenio viros,
Qui mittunt radios polis.
Aeternas equidem tollere adoreas
Multorum poteras præterito die.
Multorumque potes laudibus euehi
Hoc, quo tempore viuimus.
Ast hæc præcipue tangere pectora
Sit decreta tibi, quam veneror libens:
Quam miratur Iber, Gangis & incolæ:
Quam SERTORIVS exhibet.
Noscis, vestibuli postibus inclyta
Quæ olim dirigeres signa; securium;
Cristarum capitis; claustraque ianuæ,
Puppes; spicula; parmulas.
Noscis, quas tulerint atria imagines
Maiorum, celebri sanguine nobiles;
Has stantes croceo sanguine; cereo
Has fictas medicamine.
Vtque illis abacus splenduit vberans
Iactans Romuleos vincere imaginum
Maiestate, pios; atque frequentia;
Quæ secreta repleuerant
Tectorum; lapides, & laquearia.
Nec te diffugiunt marmora, litteris
Exsulcata senum; gestaque fastibus
Nostris prisca sonantibus.
Illic, liuor edax si quis ademerit
Discursus seriem, mens penetrat noua,
Inuitoque nouis tempore gentibus
Famam restituit Patrum.
Sed non mira tamen contemo. Spiritum
Qui reddit viduis sanguine cordibus,

Consumptis etiam litterulis potest
Sensum reddere marmorum.
Hæc per te recinunt ignis Achillei
Consumptum validis viribus Ilium,
Atque Antenorei regis ad Euganos
Aduentum Pataui patris.
Stellæ restituis carmina grandia.
Annalesque sacri cernere Liuij
Totos fas populis; Romuleos duces
Qui reddit celebres polis.
Atque hinc gesta patent magna Penatium
Maiorum, ut reliquis, sic tibi principi
Factorum, celebri tangere gloria
Dignorum patrias nouas.
VRSATE innumeris restituens decus,
Quod languebat adhuc temporis inuidi
Liuore; & taciti forte silentij,
Quod lingua eminuit sonos.

Petr. a Pedec. Bellun.

DVm veterum monumenta nouas extollis in auras,
Obruta Cimmerijs, quæ iacuere locis;
Agnoscunt veterum ciues decora alta parentum,
Agnoscunt magnos, quos imitentur auos.
Dumque labore tuo maior splendescit auorum
Fama, tibi scriptis clara trophæa paras.
Digna cedro pandis, Diuum molimina tentas,
Dum superum est mortem vincere, & inuidiam.

Obseruantiæ monumentum
Franciscus Salinerius Pat.

Εἰς τὸν ἐκλαμπρότατον Κύριον
ΣΕΡΤΟΡΙΟΝ ΟΡΣΑΤΟΝ
Τὰ παλαιὰ τοῦ Πατάβιου μνήματα Ἑλληνικά τε
καὶ Ῥωμαῖα ἀκριβῶς συλλέξαντα.

ΜΝήματα ἐν βραχίστῃ γραφίσιν συλλέξατο πάντα
Ὀρσάτος, ἐν πλείστοις πάνσοφος ἐν ἐπὶ ἢ,
Εὐγενίην ἀρεταῖς συνεμίξατο, αὐτοδίδακτος,
Τοὔνεκα τάξιν ἔχει καὶ νέος ἀθανάτων.
Εὔχεο Πατάβιον, σοφίης ὑπερέδραμε μέτρα,
Πλέξατό σοι στέφανον σὸς παῖς εὐκλεῖα.

Obseruantiæ & Amicitiæ Monumentum
Ioannes Matthæus Bustronius.

Del

DEL SIGNOR GIACOMO BONZANINO.

PEr contrastar del Tempo à i rei furori,
Quanti marmi di Frigia al Ciel saliro,
Quanti di Paro, e di Caristo vsciro
Con titoli d'eterni alti stupori.

Vigilie illustri, e Barbari sudori
Di Rodo, e Memfi ah', che distrutti io miro;
Bersagli eretti al Tempo vn breue giro
Di Tempo vi rapì sì vasti onori.

Vn lacerato lin ripara i danni
SERTORIO, e impone al fuggitiuo orgoglio
I freni eterni del gran Dio de gl'anni.

Sia pur scherzo à quest'ire vn Campidoglio,
Che a scherno trae de secoli tiranni
Da le gelide tombe i Busti vn foglio.


SERTORIVS VRSATVS VRSATI EQ. F. PATRICIVS PATAVINVS.
Ingenium juuenis Phoebo Patriaq; dicaui.
Non minus hæc genio, quam fauet ille stylo.
Nam veterum nostris dum spirant marmora chartis,
Me patriæ memorem consuluisse juuat.
IR
MDC
LI

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA

LIBER I. SECTIO I.

OCCASIO ET FORMA OPERIS.

GEnius, Numen nascentibus datum, Deus est, cuius in tutela, vt quisque natus est, viuit; si Censorino credendum. Is, cum in viuentes maximam potestatem habeat, vitam introeuntibus quid agendum imperat, ac vnicuique nostrum veluti Pædagogus datus, hominumque assiduus obseruator constitutus, eos ab vtero matris exceptos ad extremum vsque vitæ diem comitatur. Nos, Christi Seruatoris imbuti præceptis, verius naturæ propensionem credimus. Hinc Poeta concinne:

De die Natali cap. 3.

Ceb. Theb. in Tab. Sen. Epist. 110.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator;
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Propert. 2. eleg. 1.

Vt nihil de me dicam, in primo adolescentię limine, ad antiquorum memorias eximia veneratione recolendas, à Genio excitato. Hæc enim, etsi grauiora studia me detinebant, semper primas sibi erga se partes obseruantiæ meæ vindicabant, & cultum eis debitum, quem mihi Genius suadebat, mente ac sermone non deserebam. Cumque antiqua Numismata, & quæ insculpta saxis, primum animi mei locum occupassent, circa hæc totus esse decreui. Nostra vero Patauina inter cetera occasionem præbebant: tum quia apud Bernardinum Scardeonium ciuem nostrum nobilissimum ac eruditissimum, primum, antiquorum epigrammatum Patriæ nostrę diligentissimumque collectorem, ipsius Typographi negligentia forsitan, in eius *De Antiquitate Vrbis Pataui, Libro Primo, Classe Quarta, Titulo De Antiquis Notis* non pauca mutila, mendosa, & imperfecta legebantur: tum quia ab eius æuo nonnulla recens eruta, quamplurima deperdita obseruabantur. At quemadmodum præ omni studio antiquitas me perpetuo ad magnam sui admirationem traxerat, Geniusque ad lapidum collectionem impulerat, sic ingenij mei tenuitas ac mediocre studium, & quidam seculi languor ab instituto sæpius auocabant; cum vere illud sit, in quo

Petronij querela.

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit;
Qui pugnas, & caſtra petit, percingitur auro;
Vilis adulator picto iacet ebrius oſtro;
Et qui ſollicitat nuptas, ad præmia peccat;
Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas inuocat artes.

Quamobrem res dubia me diu ancipitem tenebat, animique incertus non inani metu reprimebam Genij impetum, amicorum hortatui meam opponens imbecillitatem. Verum quæ me timidum anxiumq; reddebant, eorumdem tandem conſilia expugnarunt, vt alacri animo opus aggrederer. Nimirum experientia noueram, aliquando poſſe inter Olores canoros Anſerem ſtrepere, & quod in quacunque re

Petron. Sat. *—— Non omnibus vnum eſt*
Quod licet. Hic ſpinas colligit, ille roſas.

Plenum laboris, fateor, negotium: in quo, ſi euentus ex voto non reſponderit, Propertianum illud me excuſabit:

2. Eleg. 8. *Quod ſi deficiant vires, audacia certe*
Laus erit. In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Prodeunt itaq; meo ſtudio in vnum collecta veteris æui Monumenta Patauina, quæ vel in Vrbe, vel in agro repetta ſunt. Varietas autem inſcriptionum ad memoriam certum poſtulat ordinem; illarum enim, quæ à Scardeonio memorantur, aliæ adhuc ſuperſunt, aliæ prorſus periere. Quæ etiamnum videntur, partim publicis in locis, partim priuatis in ædibus conſeruantur. Nec iſtæ in vrbe omnes: Multæ enim extra Ciuitatem, ac ditionem Patauinam ad exteros translatæ hodieque apud eos cuſtodiuntur, vel temporis iniuria prorſus deletæ ſunt. In agro pariter quædam nunc viſuntur, quædam minime apparent: tandemque non paucæ ex alijs regionibus huc allatæ: aliæ ſpuriæ, ac ſuppoſititiæ deprehenduntur. Cuiuſmodi ſunt etiam reliquæ poſt Scardeonij operam, & ab alijs noſtro ſeculo repertæ.

Monumenta igitur omnia, vel Patauinæ Vrbis, vel oppidorum, vel Vicorum, tribus libris proponuntur, in ſectiones diſtinctis. Harum prima, quæ ſpectat ad Ciuitatem, continet Monumenta locorum publicorum: nimirum quæ ſunt in Templis, Cœnobijs, Foris. Quæ priuatis in ædibus extant, ſecundum quatuor Vrbis vicos ſeu regiones, Cathedralis videlicet, Pontis Molendinorum, Altinatis, Turricellarum totidem ſectiones conficient.

Sexta ſectione ſpectabuntur aliunde Pat. tranſlata; ſicuti Septima, quæ aliquamdiu ſeruata Patauij, ad exteros poſtea fuere tranſportata. Quę vero in pagis Vrbi Patau. ſubditis reperiuntur, Octauæ ſectionis erunt, tandemque ea, quorum memoria penitus deſijt, Nonæ ſectioni;

Spuria

Spuria verò ac ſuppoſititia Decimę dicata venient. Et quia in priuatorum ædibus, prout modo ſignificaui, multę diuerſę antiquæ memoriæ poſterorum venerationi vindicantur, quarundam familiarum, ubi huiuſmodi aſſeruantur monumenta, me inuitauit dignitas, vt earum laudes breuiter attingerem, ac viros illuſtres, qui inde prodierunt, veris ac congruis elogijs famæ commendarem. Nollem tamen quiſquam ſuam ſtirpem à me præteritam doleret, omnium enim feciſſem mentionem, ſi monumenta apud ipſos fuiſſent reperta, quæ huic materiæ occaſionem præbuiſſent. Interim omnes æqualiter à me æſtimari, ac ſummo honore & reuerentia coli ſyncere profiteor: in hoc autem opere alium ſcopum mihi non præfixi, quam vt antiquatum inſcriptionum memoriæ conſulerem.

Vrbi accedit ager Patauinus, cuius termini ſunt Orientem verſus Mare ſeu æſtuaria Veneta, à meridie Atheſis fluuius, ad occidentem colles Euganei, à ſeptentrione Muſon fluuius. Quorum in Vrbis veteri ſigillo apud Ioannem de Lazara Comitem Patauinum, ac D. Stephani Equitem, de antiquitatibus meritiſſimum, hæc eſt mentio.



Ambitus proinde agri noſtri Patauini, frumenti, fructuum omnium, vinique generoſiſſimi feracis, centum, & octoginta paſſuum millia explet. Ideoque ad ſuum commodum ob inſignem amplitudinem noſtri maiores eum in duas diuiſerunt partes. Vnam quippe oppidis in agro ſitis adſcripſerunt, alteram Vicis in Vicariatus diſtinctis ſubiecerunt. Hinc libri duo; unus, qui operis ſecundus, Oppida omnia cum ſuis pagis excipiet, qui ſunt Atheſte, Mons ſilicis, ſeu Acelum Plinij, Montinianum, Cittadella, Plebs ſacci, Campus Sampetrus, & Caſtrum Baldi,

Bern. Scard. De Antiq. Vrb. Pat. lib. 1. Claſſ. 1.

Nat. Hiſt. lib. 3. cap. 9.

quibus Prætor, Patricius Venetus, quotannis ius dicit. Alter, operis tertius, Vicos cum ſuis pagis continebit; quales ſunt Conſyluium, Titulum, Arquadum, Miranum, Oriacum, Anguillaria: quibus annis ſingulis à Conſilio Patauino ciuis, Vicarij titulo, ad ius dicendum præficitur. Oppida vero omnia iunctim prodibunt (quandoquidem, Atheſte excepto, pauca in alijs monumenta reperiuntur) ordine, quantum licebit, perſpicuo, notiſque adiectis, ſi quæ hodie deſiderentur.

Quicquid occurrit obſcuri, veterum Hiſtoricum & Grammaticorum auctoritate, bona fide, ſine plagij nota declaraui; illuſtrium nempe virorum nomina, actiones, dignitates, magiſtratus cum noſtris quandoque collatos; artes prætereà, negotiationes, ſculptorum quoque errata non raro indicaui. Monumenta amiſſa, vel à quibuſdam diuerſa ratione luci tradita, ex alijs collegi; de quibus etiam interdum ſententiam tuli.

Ne quid tamen inconſulto; e Patauinis mihi præluxere Ioannes de Nono, Gulielmus Vngarellus nondum publici iuris; quique iam in lucem venere, Albertinus Muſſatus, Bernardinus Scardeonius Canonicus & Hiſtoricus Patauinus, Iacobus Cauacius Cœnobita Caſſinenſis, Cœnobijque D. Iuſtinæ ſcriptor ſolertiſſimus, Angelus Portenarius Sancti Auguſtini Eremita *Patauinæ Felicitatis* Italice conſcriptæ auctor; itemque Laurentius Pignorius, & Iacobus Philippus Tomaſinus Æmoniæ Præſul, omnes de patria optime meriti: quorum, ſicubi opus fuit, ſententiæ nonnumquam candide interceſſi; hac tamen lege, ut quiſque liberam in hęc mea cenſuram exerceat, ne meliora lateant.

AD

AD BASILICAM CATHEDRALEM.

INter sacras ædes primus iure locus Cathedrali debetur. De cuius structura quid certi in tanta de rebus Patauinis scriptorum discrepantia, & post tot ærumnas, atque excidia, quę diu patriam nostram vexarunt. Sunt enim, qui à Tricidio Fontana, anno salutis DCXX. urbis huius Episcopo, à Diuę Sophię Templo, omnium in urbe vetustissimo, in eum, quo nunc visitur, locum translatam; alij ab Henrico IV. Bertę uxoris, & Milonis Episcopi suasu, à D. Iustinæ Templo in media urbe sub annum MLXXX. constitutam putant. Quicquid sit, originem ea antiquissimam certe, ac nobilissimam agnoscit. Terręmotu autem anno MCVII. templum hoc deiectum Clerus anno MCXXIV. suis impensis restaurauit, Macilo quodam Architecto, ut testantur carmina, in epystilio vastæ columnæ lateritiæ, quę secunda à summa templi area progredientibus ad dextram occurrit.

Guliel. Vngarellus MS lib. 2. Histor. Patau. Ang. Port. de Felic. urbis Paduæ lib. 9 cap. 4. Iacob. Cauacius Histor. Cænob. D. Iust. lib. 1. fol. 33. Scard. lib. 1. class. 2. Porten. ibi.

ME TERRAE PRIMVS MOTVS SVBVERTIT AB IMO
SET MACILI LIMO PVLCHRE ME STRVXIT AB IMO
✠ ANNO AB INCARNATIONE DOMINI M.CXXIV. IND. II.
ARTE MAGISTRALI MACILI CONSTRVXIT AB IMO.

Quo forsan tempore, dum fundamenta iacerentur, prisca ibi inuenta fuere munumenta: Quorum primum, in summa area ad orientem olim sita, ac postea Federici Cardinalis Cornelij munificentia in occidentem translata, forsan situm, hodie in pariete prope terram, e regione domicilij Archipresbyteri, literis uncialibus elegantissimum spectatur.

I.

M'. ALLENIVS M'. F. FAB.
CRASSVS CAESONIVS
TR. MIL. PRAEF. FAB.
IIII. VIR

2.

In turri hoc extat Fragmentum.

. . . . . . C. F. FAB. VEIO
TESTAMENTO FIERI IVSSIT

3.

In ſacello D. Hermacoræ, quod aulæ adiacet Epiſcopali, aræ gradum exornat hic titulus.

ANTONIA.C.F.VXOR TERENTIA P . FILIA.

1. M'] Quod igitur felix fauſtumque velit verus ſapientię fons, ingenij mei tenuitas propoſito inſtituto limina pandet. Etenim quam primum ad priſcorum monumenta me genius impulit, huius ALLENII prænomen diu perpendi, multumque circa ipſum hęſitaui, donec eruditiſſimi Laurentij Pignorij de patria noſtra pręclare meriti, ac antiquitatum diſertiſſimi Oedipi facula ductus MANIVM eſſe intelligerem, prout vir eximius in Adnotationibus ad ſuas Patauinas origines oſtendit. Quod prænomen ſic inſcribebatur, quaſi ex M. N. A. in unum colligatis compoſitum foret.

Fol. 172. Onuphrius Panuin. de Antiq. nomin. De verb. ſignif. Lit. M. De Roman. Nomin.

Rationem eius dedit Feſtus in hęc verba: *Manium prænomen dictum eſt ab eo, quod mane quis initio natus ſit*. Sigonio autem Varronis, Valetij, & Macrobij auctoritate: *Manius dictus eſt, qui mane ſit ortus, aut ominis cauſa quaſi bonus*; & eodem teſte M'. inſcribebatur MANIVS ad diſtinctionem M. qua litera MARCVS deſignabatur. Quod ſane diſcrimen ſi aduertiſſet Portenarius, utique monumentum hoc aliter explanaſſet, cuius de Cathedralis reſtauratione hęc ſunt verba: *Nell' anno poi 1107. il Clero del Domo cominciò à rifabricar la Chieſa, e deputò ſopra detta fabrica quattro cittadini, li nomi delli quali ſi leggeuano nel muro della Capella vecchia del choro verſo il Cimiterio, cioè Aliuio, Allenio, Marco Fabio, Craſſo Ceſenio Tribuni de Caualieri.* De quibus antiquitatum cultores ſententiam ferant. Mihi ſatis eſt indicaſſe neutiquam M'. F. FAB. pro Marco Fabio legendum eſſe, ſed MANII FILIVS FABIA, quę nomen eſt Tribus de qua paulo poſt nonnulla. Nec TR. MIL. de Tribuno, vel Tribunis equitum, ſed de TRIBVNO vel TRIBVNIS MILITVM.

Lib. 9. cap. 4.

Nec ſane prætereundum, quod notum eſt etiam omnibus, tametſi parcius noſtræ Ciuitatis memorias colentibus, eo tempore, quo Baſilica reficiebatur, apud nullos Patauinæ Ciuitatis hiſtoricos illatum familiarum, e quibus Portenarius Prędes eius inſtaurationi delegatos affirmat, reperiri mentionem; haud dubie, quod non eſſent. Nec titulus

ille

ille à Romanæ dictionis puritate alienus, quæ reparati templi seculo iam exoleuerat. Imo, quod omnium validissimum est argumentum, Patauio ab Henrico IV. Bertæ vxoris, & Milonis Episcopi hortatu ad Reip. formam in libertatem restituto, Consules S. C. creari cœperunt; *Scard. lib. 1. Class. 2.* Henrico autem vsque ad annum MCVII. superstite, Quatuoruiris iuri dicundo locus non erat.

ALLENIVS] Gentem Alleniam regionibus claruisse nostris, tum hoc monumentum, cum Vicentinum etiam, quod heic exhibeo, satis demonstrat.

V : F
TI . ALLENIVS . FLORVS
SIBI . ET . ALLENIÆ . MVRENÆ
LIBERTÆ . VXORI . ET *Mercat. Hist. Vicen. lib. 1.*
FILIIS . LIBER.
SV . Ↄ . ET
TI . ALLENIO . TI.
IANNO

FAB.] Neminem puto etiam antiquitatum notitia leuiter tinctum, qui neget particulam hanc indicare Tribum FABIAM. In omnibus enim monumentis Tribum referentibus, statim post patris nomen, illius, cui positum est monumentum, Tribus designatur: vt testis est Cicero: *Ser. Sulpitius Qu. F. Lemonia Rufus*: & passim in antiquis lapidibus apparet. *Philip. IX.* In Tribum autem FABIAM Patauium receptum fuisse, tum antiquæ memoriç, cum Scardeonius testatur. Prçterea in ipsa *Class. 2.* Romç comitijs interfuisse, suffragiaque tulisse, Prçtores, Ærarij Prçfecti, & Consules, qui in nostris inscriptionibus leguntur, satis declarant. Scio quidem altum inter Pataninarum rerum scriptores, nec sublatum hactenus dissidium, an Patauium ciuitas fœderata, Municipium, siue Colonia Romanorum fuerit? Nec me fugiunt hinc inde rationes, & auctoritates allatæ; hanc tamen litem meam facere nolo. Sed si quis fortasse contenderit, Patauium Ciuitatem fuisse fœderatam, vnde dictator Consules, Prçtores, teste Sigonio fœderatarum Ciuitatum magistratus? *De Antiq. iur. Ital. lib. 2. cap. 14.* Si non Municipium, vel Colonia, cur Duumuiri, Triumuiri, Ædiles, Augures, Quatuoruiri, teste Panuinio, officia Municipijs & Colonijs propria? & si sui iuris fuit, cur Patricij, Equitesq; more Romano? *Antiq. Veron. lib. 2. à cap. 7. vsque ad 13.*

Verum Patriæ meç hinc quidquam detractum non velim; cuius ego gloriæ studendum censeo. Si tamen Patauini Romç ad magistratus, & quidem summos fuerunt euecti, verisimile est, Patauium Romanis aliquando paruisse. Societatem enim non admittebat Imperium, quod orbem subegerat. Vtra vero gloria maior, vel Ciuitatem nostram mansisse liberam quidem, sed Reipublicç Romanæ honoribus inferio-

rem

rem, vel Consules ex sua gente habuisse, qui Mundum texere, tantique nominis, vt de Nerone, cum mortem Traseç exoptaret, protulerit Tacitus, quod *virtutem ipsam exscindere concupisceret*. Sed de Patria nostra, si meliora quis habet, proferat: me.n. & mea omnia lubens veriori sententiæ submitto.

Annal. lib. XVI.

Si tamen, quod omittendum non arbitror, Patauini Romanis aliqua ratione non fuissent subiecti, vtique ad Patauinorum seditionem comprimendam in nostras regiones M. Æmilium non misissent: prout Liuius in hæc verba testatur: *Ex ijs M Æmilio Senatus negotium dedit, vt Patauinorum in Venetia seditionem comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse, & ipsorum legati attulerant.* paucisq; interiectis subdit: *Patauinis salati fuit aduentus Consulis: neque aliud, quod ageret in prouincia, cum habuisset, Romam rediit.*

Hist. lib. 41.

CRASSVS] Crassi cognomen ex ijs est, quæ à corpore desumpta fuerunt. *Ideo Crassos à sagina corporis, & à creando carnes* Isidorus appellatos putat.

Etymolog. lib. 10.

CAESONIVS] Forsitan Allenius sic dictus, quia ex vtero matris mortuæ excisus fuit, cum Festo *Cæsones appellentur ex vtero matris execti.*

Lit. C. Pan. de Ant. nom.

TR. MIL.] TRIBVNVS MILITVM intelligendus, non illius tamen generis, quorum causa apud Liuium anno ab V. C. CCCX. *Comitia Tribunis consulari potestate tribus creandis indicūtur*, Sed vt memorat Varro: *Tribuni Militum, quorum terni Tribus Tribubus Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur.* Horum Asconius Pędianus duo genera statuit. *Primum eorum, qui Rufuli dicuntur. Hi in exercitu creari solent. Alij sunt comitiati, qui Romæ comitijs designabantur.* Porro Tribunus à Tribu vocabatur, quia Vegetio autore *Præerat militibus, quos ex tribu primos Romulus legerat*: Cumque ex decem cohortibus constaret Legio, prima Miliaria vocabatur; in qua, vt Vegetius ait, *Censu, genere, literis, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Huic Tribunus præerat, armorum scientia, virtute, corporis morumque honestate præcipuus.*

Hist. lib. 4. De lingua Lat. lib. 4. Commen. In 2. Verrinā. De Re mil. lib. 2. cap. 7. Idem ibid.

PRAE. FABR.] PRAEFECTVS FABRORVM indicatur. Is, vt notat Vegetius, & Pomponius Lætus, omnibus illis, qui ad quæcumque fabrilia officia, etiam cuniculos subterraneos in expugnatione Vrbium agendos adhibebantur, præerat. Ideo eligebatur idoneus, vt omnia sciret bene disponere, ac procurare: Nostro forsitan æuo in exercitu *Il sopraintendente del Artiglieria* indigitatur. Horum classem collegium Fabrorum Plinius vocat: *Tu Domine dispice, an instituendum putes Collegium Fabrorum*; & : *Collegium Fabrorum apud Nicomedenses constitui.* Quicquid sit, ordo eius antiquissimus sane, vt qui coepit sub Seruio Rege, qui Romanam Ciuitatem

De Re mil. lib. 2. c. 11. De Magist. Roman. cap. 14. Lib. x epist. 42. & 43.

in

in classes diuisit. Ait Liuius, quod *Prima Classis omnes appellati Seniores, ad Vrbis custodiam vt præsto essent: iuuenes, vt foris bella gererent, arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære; hæc vt tegumenta corporis essent: tela in hostem hastaq; & gladius. Additæ huic classi duæ fabrum centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent, datum munus, vt machinas in bello ferrent.* Hist. lib. 1.

IIII. VIR.] QVATVORVIRI quinam essent paucis docet Panuinius: *Ex Decurionibus singulis annis duo vel quatuor viri omnium suffragijs creabantur, iuxta Coloniæ magnitudinem, vel paruitatem, qui II VIR I, vel IIII VIR I I. D. idest iuri dicundo vocabantur. Hi Consulum, & Prætorum speciē repræsentabāt.* Inde colligere licet, Quatuorviros in Ciuitate summo officio functos esse. Cuius quidem dignitatis memoriam nulla deleuit ætas; quamuis, pro varietate Principum & status, alijs magistratibus nostra Ciuitas claruerit. Quatuorvirorum autem regimen ceteris diuturnius, & firmius fuit. Nimirum cum Quatuorviri olim ex Decurionibus eligerentur, vt credere fas est, ex melioribus, & idoneis, Anno MCCCLXXII Ciuitatis decreto constitutum fuit, vt *eligantur quatuor boni ciues, & habitatores Paduæ de melioribus, & sufficientioribus Ciuitatis, qui vocentur officiales publicæ vtilitatis, seu Deputati ad vtilia communis Paduæ*: vbi paulo post additur, quod *Generaliter procurare debeant omnia, quæ sunt vtilia, & honorabilia*. Quatuorviri etiam antiquitus cum iuri dicundo præessent, eorum exemplo in Vrbe nostra statutum fuit, vt nostri Quatuorviri seu *Deputati ad vtilia teneantur sedere in officio Cancellariæ communis & ibi iudicialiter sedere, audientiam dare in omnibus ad officium suum spectantibus*. Ac veluti Quatuorviri illi Consulum & Prætorum speciem exhibuerunt, ita, vt Quatuorvirorum nostrorum dignitas inter nos esset prima, decretum fuit anno M CD LV. *vt Deputati ad vtilia inter ciues seculares in actibus, & locis publicis, & sessionibus tam cum Magnificis Dominis Rectoribus, quam aliter, haberent primum locum, sicuti iuridice tanquam primi officiales Communis.* Ex quibus omnibus, memoriam Quatuor virorum antiquorum apud nos durasse, cunctis perspectum opinor: quorum dignitas quanti nostro etiam sit æuo, vel hinc apertum est, quod ad ipsam soli euehantur viri aut nobilitate clari, aut iudicio pollentes, aut ætate graues.

Antiq. Veron. lib. 2. cap. 12.

Ex statuto Patauino M.S. in membranis fol. 16.

Ibi fol. 17.

Ibi fol. 18.

2 C.] Prænomen, quod & C. & G. scribitur, CAIVS est, sumptum à gaudio parentum, vt cum Valerio Panuinius & Sigonius notant. Per G. proferendum esse, etsi per .C. scribatur, Diomedis fide Panuinius, & Quintilianus docet: quod semper virum significare pro certo habendum, nisi sit inuersum. Ɔ. Caiam .n. mulierem tunc denotare antiqua saxa demonstrant; aliquando tamen, unico L. subsequente, conlibertum vel conlibertam; vt videbimus in nostris inscriptionibus.

De nom. Antiq. De nom. Ro man. Loc. cit. Instit. Orat. lib. 1. cap. 7.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 8. Antiq. Roman. fol. 893, n. 16,

VEIO] vt habet ſaxum, non VEGIO, ſicut eſt apud Scardeonium, & Gruterum.

TESTAMENTO FIERI IVSSIT] etſi ſaxum, mutilum forſitan, FIERI IVSSIT habeat, cum tamen multis in lapidibus expreſſum ſit *Teſtamento fieri iuſſit*, inſcriptionem hoc modo reſtituere libuit. Monumenrum vero poſt mertem erectum credo, nempe teſtamento legatum: ceteris enim erectis in vita inſculptum fuit V. F. quod omnes interpretantur *viuens*, ſeu *viuus fecit*.

De Antiq. nom.

3 ANTONIA] Mulieres familiæ nomine appellatas fuiſſe notum eſt omnibus, eo tamen diſcrimine, quemadmodum putat Panuinius, vt ſi una foret, nullum prænomen aut cognomen ei adderetur; ſi duæ eſſent, nomine maioris, & minoris diſtinguerentur; ſi tres aut plures, nomen Primæ, Secundæ, Tertiæ, Quartæ adſciſcerentur vt ſuo loco in Liuiana inſcriptione patebit; in qua LIVIA T. F. QVARTA legitur.

Lib. 1 Claſſ. 4. fol. 78. Fol. 755. n. 7

Scardeonio, & Grutero, qui ex illo collegit. F. deeſt. Non. n. ſcriptum eſt ANTONIA. C. VXOR. ſed ANTONIA C. F. VXOR

Valer. de de nom. impoſit. De nom. antiq.

P.] PVBLII prænomine, quod vnico P. ſcribitur, donabantur hi, *qui vel prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, aut ominis cauſa ex pube*. Panuinius vero præterea cum Feſto Publij prænomen datum dicit ei, *qui populo gratus fuit*; traditque *ab hoc prænomine Publiorum gentem manaſſe*.

IN

IN TEMPLO ET COENOBIO DIVÆ IVSTINÆ.

HAnc Basilicam, cuius magnificentiam quisquis intuetur,
—— *Stupet, obtutuq; hæret defixus in vno,*
ex æde Concordiæ ab Antenore erecta, Diuus Prosdocimus, primus Patauij Episcopus, Virgini Deiparæ dicauit: Opilio V. C. ad honorem Diuæ Iustinæ in pulcherrimum templum conuertit, pretiosissimisque ornamentis auxit. Cœnobium à Longobardis postea in cineres redactum, Gauslinus Præsul Patauinus, ex Transalgardorum nobilissima semper & clarissima familia, Patauij olim Forzatea, hodie Capilistea nuncupata, Vir summæ pietatis eximiæque liberalitatis adeptus famam, inter præcipua pietatis opera vna cum templo reparauit, auxit, & locupletauit. Ceterum hoc ipsum Templum postea terræmotu euersum, sequenti vero seculo cœnobium Ezelini militibus pro statione destinatum est. Opibus itaque dissipatis vtrumque diu incultum desolatumque stetit, donec Ludouicus Barbus Venetus, anno M CD XI, Sancti Georgij in Alga Venetorum Canonicus, huic Cœnobio præfectus, nitorem primum restituit. Anno tandem M D I Eusebius Fontana, Mutinensis Abbas nominatus, magnificentissimi templi structuram molitur, & inchoat. Verum ex palustri solo vastæ vligines, & frequentes aquarum scaturigines magno impetu erumpentes, destinatas toti ædificio impensas in fundamentis struendis absumpserunt. Moram itaque amouendam suasit Cœnobitis Bartholomęus Liuianus Vrsinus, Venetarum copiarum Imperator, ipsosq; excitauit, ac tantę molis erigendę, vt erat architecturę peritissimus, limites sępius delineauit. Eo fatis sublato, Andreas Crispus Patauinus, Architectus & cęlator insignis, templi typum efformauit, quem paucis immutatis, fabrica hodierna refert.

Scard. lib. 1. class. 1. Vngarell. par. 2. Portenar. lib. 9. cap. 13. Cauac. Histor. Cœnob. D. Iust. lib. 1. fol. 16. Portenar. loc. cit. Scard. lib. 2. class. 6. Cauac. lib. 1 fol. 18. & lib. 2. fol. 60. Portenar. ibi. Cauac. lib. 4 fol. 194. Et lib. 5. fol. 198. Portenar. lib. 9. cap. 15. Cauac. lib. 6. fol. 257.

Augustissimæ huic Basilicæ Cœnobium accessit tam splendidum adeoque amplum, vt in vniuersa Italia vix ei par aliud inueniatur. Elegantis namque formæ structura est, ambitusque vltra quingentos extenditur passus. Monumenta vero templi cœnobijque prisca, quæ ~~paucis exceptis subieci~~, vel ruderibus immixta iacent, vel temporum iniuria penitus interiere.

Portenar. lib. 9. cap. 15. Idem ibid.

I N T E M P L O

Qua ad Sacellum Sancti Prosdocimi pergitur, ad dexteram in pariete legitur.

1



IN COENOBIO

2

In Viridario Nouitiorum, Sacelli parieti exterius tale fragmentum insertum est.

. . CAL . S . C. . . . .
. . . . RVFVS. . . . .
. . . AVGVR . PR. . .
. . . . VFEIVS . P.F. . .
. . . II . VIR . I . D . P. .
. . . . TES · DV. . . . .

3

Pro gradu ostij Culinæ.

TARBENIVS L.F. FAB.
TESTAMENTO FIERI.

In

4

In cella penaria, quæ per culinam aditur.



1. Opilionis hoc monumentum, etsi à Romana elegantia deflectat, ea tamen est veneratione dignum, vt merito illi talis debeatur locus. Illud è veteris templi ruderibus effossum, in religiosissimi viri memoriam asseruatum fuit, qui Diuę Iustinę templum tessellato opere, Porphyreticisque, & Alabastri lapidibus insigniter decoratum excitauit. *Cauac. lib. 1. fol. 16. Scard. lib. 3. claß. 13. Cauac. lib. 1 fol. 19.*

OPILIO *fuit vir quidem abiectis temporibus, ad excubias tamen Palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub auidissima remunerationis sterilitate iacuisset*, dixit Cassiodorus. Aetium V. C. patrem habuit eodem teste: dummodo, vt caute obseruat accuratissimus Cauacius pro Carpilione, quod mendosum, reponas Opilione. Cassiodori .n. epistola ad Romanum Senatum, in qua Theodoricus Rex ipsum collaudat, & patris eius merita commendat, hęc memorat: *Patricio Aetio pro iuuanda Republica magna fuit caritate sociatus. Quem tunc rerum Dominus propter sapientiam sui, & gloriosos in Republica labores, in omni consilij parte sequebatur. Ad Attilam igitur armorum potentem cum supradicti filio Carpilione legationis est officio non irrite destinatus.* Vbi minime mirum, si pro Opilione imperiti illorum temporum librarij Carpilione scripserint, vocum affinitate decepti. De Carpilione autem nec historię, nec illorum temporum fasti quidquam prodidere, at de Opilione plurima: Consulem .n. eum cum Vincomalo fuisse Anno Christi CDLII, & Marcellinus comes, & Cassiodorus, & Panuinius vnanimes testantur: imo Cassiodori verba sunt. *Vngarel. M. S. par. 3. Portenar. lib. 9. cap. 12 Variar. lib. v. num. 41. Variar. lib. 1. n. 4. In chron. sub indict. 6.*

OPI-

In Fast. & in coment. Fast. lib. 3. Cassiod. in Chron.

OPILIO ET VINCOMALVS
His Consulibus Attila in sedibus suis moritur

Quę textum epistolę hactenus corruptum satis indicant.

Eum nequaquam Patauinum fuisse, firmiter affirmare non vereor ex Panuinianis fastis, qui habent (Lib. 3.)

FL. VINCOMALVS. V. C. FL. OPILIO AETII F. V. C.

Aetium vero *fortissimorum Mæsiorum stirpe progenitum in Dorostena ciuitate à patre Gaudentio* Iornandes ostendit. Quare si Aetius non fuit origine Patauinus, vtique nec Opilio eius filius. Falsum proinde monumentum, in parietibus summi Templi D. Iustinę, ad arę maioris dexteram, ipsi in hanc formam erectum (De rebus Geticis n. 59. Io. Bapt. Egnat. in Valttin. 3.)

MEMORIÆ CLARISSIMI VIRI OPILIONIS PICCAVRI NOBILISSIMI PATAVINI PATRIS PATRIÆ PATRITIIQVE ROMANI QVI CVM IMPERATORE HADRIANO CIRCA ANNVM CHRISTI CXXXVII DIVINO AFFLATV VETVS QVOD ERAT CONCORDIÆ TEMPLVM DIVÆ IVSTINÆ MARTYRI CONSECRASSET AMPLISSIMO HOC A FVNDAMENTIS ADDITO AC PLVRIMIS OPIBVS DITATO MONASTERIO IN AVGVSTISSIMA CELLA DIVÆ MARIÆ VIRGINI DICATA PROPE BEATVM PROSDOCIMVM VOLVIT SEPELIRI MONACI CONGREGATIONIS CASSINENSIS MEMORES POSVERE M D L X I.

V. C. INL. P. P. ADQ PATRITIVS] Quę à me sic leguntur: VIR CLARISSIMVS INLVSTRIS PRAEFECTVS PRAETORIO ADQVE PATRITIVS. Alijs rationibus omissis, modus iste scribendi satis superque declarat, inscriptionem modo exhibitam non vacare suspicione: Opilionem nempe non vixisse Hadriani temporibus, neque Patauium tunc accessisse. Hadriano enim imperante, ac succedente ętate in monumentis magni viri non vocabantur INLVSTRES PRAEFECTI PRAETORIO ADQVE PATRITII. Illius vero Imperatoris ęuo nitor Latini sermonis non ita erat offuscatus, vt pro illustri atq; Patricio INL. ADQ. PATRITIVS scriberetur. Sed quod omnium maximi facio, nulli Fasti Opilionem Hadriani temporibus, sed Imperatoribus Cęs. Fl. Placidio Valentiniano, & Fl. Marciano Augustis Consulem designant; vt iam monui anno Christi CD LIII. cum Hadrianus VI. idus Iulij anno salutis CXXIIX. excesserit, ante Opilionis consulatum CCCXV. Imo, cum formulam illam, qua magni viri Illustres declarabantur, apud Cassiodorum reperiam, fortasse tunc temporis, vel paucis ante annis modus iste dicendi inualuit. Opinioni meę Notitia dignitatum vtriusq; Imperij adstipulari videtur in hæc verba: *Illustris vero epitheton quando inuentum sit non constat, id serius institutum esse videtur*. Sed de Opilione atq; men-

(Panuin. in Fast. Cassiodor. in Chron. Marcell. ibi. Panuin. cōment. 2. Fastor. Variar. lib. 6. n. 11. Pancirol. in comment. in Notit. vtriusque imp. cap. 2.)

mendosa eius inscriptione, suse apud Cuiacium & Portenarium.

lib. 1 fol. 16.

V. C.] VIR CLARISSIMVS Senator erat Isidorus. *Primi ordinis Senatores dicuntur Illustres, secundi Spectabiles, tertij Clarissimi.* Titulũ istũ valde antiquũ Pancirolus scribit: *Clarissimi nomen primum Senatoribus est attributum, quod iam imperante Tiberio introductum erat.* Solummodo Patritij Clarissimi erant, si recte Guerrinus Piso Soacius: *Sub Augustis Senatorij ordinis homines, ab equite & plebe obscuriore Clarissimorum titulo seiungi cœpere.* Vnde & Senatorum liberi omnes Clarissimi dicebantur. Ordo iste pręcipuos magistratus habebat, inter quos primus Consularis.

lib. 9. cap. 13 Etymolog. — *lib. 9. cap. 4. comment. in notit. vtriusq; c. 2.* — *De Roman. & Venet. Magis. inter se compar. n. 3.*

INL.] INLVSTRIS, vt veteres scribebant, Senatorum titulus erat, post reliquos serius, vt modo dixi, inuentus. Huius etiam ordinis certi erant magistratus: nempe Pręfecti, Palatini, Comites, & alij quamplurimi; de quibus ad Notitiam vtriusque Imperij lectorem remitto; vt & de Priuilegijs Illustrium, & Clarissimorum; nec non ad Cassiodorum, de modo, quo viri illustres designabantur. Illustres omnes Clarissimorum quoque titulo gaudebant, idque efficiebat auctoritas Senatoria; at non e conuerso Clarissimi omnes Illustres salutabantur, quia hic titulus suas dignitates habebat, quas adeptus qui non esset, Illustris non dicebatur. Clarissimi enim epitheton ordinem Senatorium significare, Illustris vero administrationem Guerrinus Soacius putat.

L. si Senator & l. 1. C. de dignit. lib. 12. — *Pancirol. oper. iam citat.* — *Idem ibid.* — *Variar. lib. v. n. x1.* — *L. 1. C. vbi Senat. vel Claris.* — *De Roman. & Venet. Magis. inter se compar. n. 7.*

P. P.] PRO PRAEFECTO PRAETORIO, non pro Patre Patrię, vt aliquibus placet, duas illas litteras accipio. Dignitas hæc penes viros illustres fuit, primumq; locum habuit; ita vt idem fuerit Præfectus Prętorio, Pomponio teste, qui *sub Regibus Tribunus celerum*, & *sub Dictatore Magister equitum*. Cumque, vt Asconio placet, omnis magistratus, cui parebat exercitus, Prætor diceretur, hinc in castris Prætorium Tabernaculum, & Porta prætoria, & hodię quoque Præfectus Prætorio. Ideoque Præfectus Prætorio militibus præerat, & præcipue eis, quibus Cæsarum custodia fuerat commissa. Prætorio Præfecti tantum auctoritatis adepti sunt, vt cuncta Imperij negotia tractarent. Testis sit sub Tiberio Seianus. Constantinus vero immensam Præfectorum potestatem in plures distribuit, ac diminuit, & pro duobus quatuor constituit. Attamen viguit ita semper eorum fastus & auctoritas, vt de Pręfecto Prætorio apud Cassiodorum ita Theodoricus Rex verba faciat: *Quædam huic dignitati, & nobiscum iura communia sunt.* Qui hanc in rem plura cupit, legat Cassiodorum, & Pancirolum locis iam dictis.

Comment. in notit. vtriusque — *L. un. ff. de offi. Pręf. Pręt.* — *L. viros C. de Palat. sacr. largit. lib 12.* — *De Magist. Rom. cap. 8.* — *In 3. Verrinam.* — *Pancirol. coment. in notit. vtriusque cap. 5.* — *Variar. lib. v. n. 3.*

ADQ.] Forma dicendi corrupti seculi pro ATQVE, vt in duobus Stilichonis monumentis Romæ positis apud Gruterum videre est.

Fol. 412. n. 3. & 4.

PATRITIVS] Romulus condita Roma, rebus diuinis rite administratis, legibus datis, asyloque aperto Vrbis magnitudinem crescere perspiciens, vt narrat Liuius, *cum iam virium haud pœniteret, con-*

Histor. lib. 1.

silium

ſilium deinde vir bus parat. Centum creat Senatores, ſiue quia numerus ſatis erat: ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. Patres certe ab honore, patricijque progenies eorum appellati. Vnde Ouidius.

Iura dabat populo Senior: finitaque certis
S. Faſtor. *Legibus eſt ætas; vnde petatur honos.*
Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat: & interior ſi comes vnus erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.
Romulus hoc vidit: ſelectaque corpora Patres
Dixit: ad hos vrbis ſumma relata noua eſt.

Plutarch. in quæſt. Roman. n. 76. Etymolog. lib. 19. cap. 34. Horum proprij & quidem tantum calcei Lunati erant; &, ſi Iſidorus vera profert, *Patricios calceos Romulus reperit IIII corrigiarum, aſſutaque Luna. Iis ſoli Patricij vtebantur. Luna autem in eis non ſideris formam, ſed notam centenarij numeri ſignificabat, quod initio Patricij Senatores centum fuerunt.* A Conſcriptis hiſce Patribus qui ortum duxerant, Patticij omnes dicti ſunt, Romana Republica vigente. Verum Imperio in Orientem translato, in conſtitutionibus recentiorum Imperatorum, Patricij Imperatorum conſiliarij, quaſi eorum patres, Niceph. Caliſt. Hiſt. Eccleſ. lib. 13. cap. 1. 4. L. fin. C. de Conſul. lib. XII. Variar. lib. V. n. 2. vocati ſunt, honosq; Patriciatus ab Imperatoribus *mox vt datus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini fit coæuus, ornatus indiuiduus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, quam de mundo homines contingat exire*, quemadmodum ſcripſit Caſſiodorus in promotione ad dignitatem Patriciatus.

Lit. B. Etymolog. lib. 15. cap. 4. HANC BASILICAM] *Baſilica* ἀπὸ τοῦ βασιλέως, *hoc eſt rege dicta: Baſilicum, regale*, Feſtus ait. Vnde Iſidorus: *Baſilicæ prius vocabantur Regum habitacula, vnde & nomen habent. Nam* βασιλεὺς *rex, & Baſilicæ regiæ habitationes. Nunc autem ideo Diuina templa Baſilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur.* In Baſilicis ipſis ius dicebatur Romæ, inter quas maxime erat conSiluar. lib. 1. ſpicua Pauli, de qua Statius:

... laterum paſſus hinc Iulia templa tuentur;
Illinc belligeri ſublimis regia Pauli.

Lib. 5. epiſt. 21. Item Iulia, de qua C. Plinius ſecundus: Vlpia, quæ in numiſmatis Traiani tam argenteis, quam æreis conſpicitur; aliæque multæ, de quibus apud P. Victorem de regionibus Vrbis, & apud Panuinium in in Vrbe Roma.

SANCTÆ IVSTINÆ] Vitaliani, non Regis, vt male quidam opinati ſunt, ſed Patricij Patauini, ſummi inter primos, & Perpedignæ eius vxoris filia fuit Iuſtina, precibus Sancti Proſdocimi primi Patauini Epiſcopi ſuſcepta: qua de cauſa Vitalianus, & Perpedigna ſacro fonte abluti ſunt. Parentibus defunctis, à Nerone Chriſti Secta-

toribus

toribus infenso Maximianus quidam Patauium missus, Iustinæ Christianum cultum profitenti, post varias sed irritas minas, pectus gladio transfigi iussit, nonis Octobris, Imperij Neronis anno duodecimo, aut decimo tertio; si Portenario credendum. *Scard. lib. 2. Class. 6. Lib. 9. cap. 2.*

Characteres crucibus appensi annos videntur indicare eruditissimo ciui nostro Iacobo Philippo Tomasino Aemoniæ Præsuli, viro antiquitatum peritia nulli secundo, ad Patriæ suorumque ciuium gloriam nato, maximæque apud me semper auctoritatis. Motus forsan fuit verbis Ioannis Pierij Valeriani in Hyeroglyphicis: *Manifestum est millenarij numeri notam, quæ tam antiquis in marmoribus inspicitur, hanc fuisse figuram* ⊥ : quod & obseruatur apud omnes antiquarum notarum interpretes, & ex ijs, quæ ad dicta lib. 37. c. 38. subnectit idem Pierius: *Quod si pollicis eiusdem suffragio lateri vel dorso in læua eiusdem indicis superinducta sit, vt signo* ✱ *facto digiti ambo, quantum fieri potest, extendantur, indice tanquam horologij cuiuspiam gnomone prominente, quadraginta significabantur.* Sed cum annorum supputatio, quæ ex illis Characteribus, iuxta eius explanationem, vel ex alia quapiam interpretatione resultat, neque cum annis Vrbis conditæ, neque cum fundatione Patauij, aut cum annis salutis, vel cum Consulatu Opilionis, siue cum structura, aut restauratione templi conueniat, quid sibi velint characteres illi, libere me fateor ignorare. At cum me Dauum esse cognoscam, feliciori cuipiam Oedipo huius ænigmatis enodationem libentissime committo. Sunt tamen, qui existiment, notas illas nihil aliud esse, quam A & Ω, quibus principium & finis in sacris literis denotatur, interposita salutari crucis nota: quæ literæ etiam in nummis Christianorum Imperatorum inferioris æui cernuntur: ita tamen, vt à dextro latere præponatur omega, postponatur alpha; scilicet vt respiciat ad sinistrum latus, in quo vtraque litera ordine suo collocatur. Quem morem priscorum fuisse Christianorum, aperte denotant ipsorum monumenta, è cœmeterijs Romæ effossa: in quibus à cruce pendentia A & Ω conspiciuntur: vt in *Roma subterranea Bosij* amplissime deprehendi potest. *In Animad. & Not. ad Mon. Patau. fol. 390. Lib. 37. cap. 42. Cap. 39.*

2. Fragmentum, quod sequitur, fortassis non ita pridem repertum fuit, cum fundamenta porticus, qua ad sacellum patet aditus, ponerentur. Nimirum visæ heic absides, & loculamenta lateritia politi operis, obeliscorum fragmenta, tabulæ lapideæ decempedales, aliaque vetustatis monumenta: quæ omnia fuissent effossa, ni periculum ędificijs impositis obstitisset. Templo Concordię ab Antenore constructo hęc omnia fuisse inserta putabantur. Ceterum pulcherrimis hoc monumentum literis conspicuum se præbet: ex quo, etiam mutilato, Auguralem Patauij dignitatem viguisse constat: Quarum autem Ciuitatum propria fuerit, Panuinius & Sigonius osten- *Cauac. lib. 5 Antiquit. Veron. lib. 2. cap. 12. De Antiq. Iur. Ital. lib. 11. cap. 4.*

C dunt.

dunt. Cornelij Auguris,conterranei noſtri ſplendidiſsimi,meminit Lucanus.

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) Augur
Colle ſedens, Aponus terris vbi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur vnda Timaui,
Venit ſumma dies, geritur res maxima dixit:
Impia concurrunt Pompej, & Cæſaris arma.

Pharſal. lib.7.

Noct. Atticar. lib. 15. cap.18.

De eodem Aulus Gellius miranda hæc narrat : *Quo C. Cæſar, & Cn. Pompeius die per ciuile bellum ſignis collatis in Theſſalia conflixerunt, res accidit Patauij in Tranſpadana Italia memorari digna. Cornelius quidam Sacerdos, & loco nobilis, & Sacerdotij religionibus venerandus, & caſtitate vitæ ſanctus, repente mota mente conſpicere ſe procul dixit pugnam acerrimam pugnari, ac deinde cedere alios, alios vrgere: cædem, fugam, tela volantia, inſtaurationem pugnæ, impreſſionem, gemitus, vulnera, proinde, vt ſi ipſe in prælio verſaretur, coram videre ſeſe vociferatus eſt; ac poſtea ſubito exclamauit, Cæſarem vicisſe*. Addit aperte Plutarchus, ipſum e capite detraxiſſe coronam, non amplius repoſiturum, niſi de veritate conſtaret. Quæ omnia poſt Iulium Obſequentem, ſub Conſulatu Lucij Pauli, & Caij Marcelli, Cœlius Rhodiginus in Patauinorum gloriam confirmat.

In Vita Cæſaris. De Prodigijs. Lib.7.cap.27.

L.] Prænomen LVCII denotatur, & *eſt eius, qui primus fuit, qui oriente luce natus eſt*; vel *à Lucumonibus Etruſcis dictum eſt*: multa enim alia ab his oriri Panuinius tradidit : vt Lucius Tarquinius Priſcus, qui Lucumo prius vocabatur, quod idem Liuius affirmat; & Luceres equites, & Tribus Lucerum. quamquam *Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt*, Liuio auctore.

Var. de Ling. Lat. lib.5. Feſt. Lit. L. Panuin. de Antiq. Nō. Hiſt. Lib.1.

Huic porro inſcriptioni nihil ſupereſt memoria dignum, niſi quod vitio loci breui ipſi ominari licebit excidium: cum & noſtra ætate literæ vix conſpiciantur; & vbi apud Gruterum P A obſeruatur, FAB, vt eſt in ſaxo, reponendum ſit.

Fol.924.n.1

4. Inſcriptio, quæ quarto ſpectatur loco, ex arca, in teſtimonium maritalis affectus poſita, ad vrnæ oleariæ vſum nunc tranſlata eſt. Culinam quippe ingreſſus, ſi ad dexteram paulo deflexerit, in cella penaria arcam iſtam videbit inter duas alias: quarum pariter vna, duorum Abbatum, ex Liminia antiquiſſima potentiſſimaque Patauij familia, cineribus primum dicata, hodie oleum recondit.

Noſtram vero ſi quis curioſior expendat, menſuram eius ſex pedum longitudine, duorum altitudine, totidemque cum ſemiſſe latitudine deprehendet. Hanc reuera vnam Scardeonius geminatam ponit: primamque Ioannis Marcanouæ obſeruatione, paucis immutatis, hoc titulo exhibet.

Lib. 1. claſs. 4. fol.59.

In

In Templo Diuæ Iustinæ

DOMITIÆ
ATTILIANÆ
CONIVGI QVÆ
VIXIT AN . XLVII
FI . ▵ . LÆTVS ▵ . VC.
▵ . ET. SIBI N. CCCC
XXVIII

Alteram sua annotatione, quam heic descripsimus. Vtrumq; vero titulum mutilum, ac mendosum ab eo relictum, ipsumq; & Gruterum secutum esse, abunde monstrat nostra delineatio.

Lib. 1. class. 4. fol. 78.
Fol. 778. n. 8.

B. M.] BENEMERENTI Paulus Diaconus legit: BONAE MEMORIAE autem Probus, & Aldus P. F., qui etiam BONAE MVLIERI habet.

De Not. Literar. Lit. B.
De Not. Rom. Lit. B.

FL.] FLAVIOS à FLAVO denominatos, nomenq; gentilitium esse à cognominibus desumptū Panuinius docet. Nomen tamen fuisse aliquando fatetur ipse his verbis: *Nomina autem, quæ recentioribus temporibus pro prænominibus vsurpata sunt, fuerunt, vt ex antiquis monumentis obseruaui, AVR. AVRELIVS. CL. CLAVDIVS. FL. FLAVIVS.* quibus addit: *Mos ille non nisi labefactata Republica vsurpatus, & tantummodo post Diocletiani tempora.* Ex quibus tempus constructionis arcæ huius facile elicitur.

De Veter. Not. Explic.
De Nom. Antiq.
Sigon. de Nom. Rom.

N̄ CCCC XXVIII] Per numerum istum quid auctor monumenti intellexerit, prorsus dicere non ausim. At cum in deperditis rebus, vel ipsa vetustate obrutis, liceat vnicuique quid sentiat libere proferre; cum nulli scribendi generi venia iustior debeatur, quam Antiquitatum indagationi, Valerij Probi & Aldi P. F. fultus auctoritate, qui N̄ ita signatum nummum quandoque denotare tradunt, verisimile existimo, in hoc monumentum nummos quadringentos ac viginti octo erogatos fuisse. Et huius generis etiam est saxum hoc, quod habet Gruterus, ex Heluetiorum pago Wyler depromptum.

De Not. Rom. Lit. N.
De Veter. Not. Explic. Lit. N.
Fol. 110. n. 3

DEÆ AVENT
T. TERTIVS
SEVERVS
CVR. COLON
IDEMQ. ALL
CVI INCOLÆ
AVENTICENS
PRIM. OMNIVM

OB. EIVS . ERGA
SE MERITA .
TABVLAM . ARG.
P . . . L . POSVER
DONVM . D. S. P.
EX . HS . N̄ CC. L D. XL.

Quæ poſtremæ literæ, in indicibus ad Gruterum, à Ioſepho Scaligero concinnatis, capite *De Notarum, ac Literarum Singularium Vocum Abbreuiatarum Interpretatione*, ſic explanantur. *De ſua pecunia, vel, de ſuo poſuit ex ſeſtertiorum nummorum ducentis quinquaginta millibus quingentis quadraginta.*

IN MONASTERIO SANCTI STEPHANI.

INgens cœnobium, S. Stephano Protomartyri ſacrum, à religioſis Virginibus ſub Diui Benedicti inſtitutione habitatur. Cuius origo quamuis parum ſit certa, eius tamen antiquitatem perampla declarant teſtimonia, in tabellis apud ipſas magna cura ſeruatis. Sunt nempe hoc in loco inſtrumenta cenſuum, data ſub anno ſeptimo Henrici ſecundi anno MXXX ad Imperium euecti, Donationum etiam ſententia ſub annum Chriſti MLXIIX. Henrici V. Imperatoris in Monaſterij fauorem. Annuis vero prouentibus locupletiſſimum maioribus opibus auxerunt Moniales, quæ olim extra OMNIVM SANCTORVM portam habitabant, vulgo Sancta Maria de Fiſtomba nuncupatæ; quæ anno M CD LIX, in D. Stephani Monaſterium receptæ, bona huc omnia tranſtulere. Aucto itaque in dies Virginum numero, ædificium anno M DC XXXIIX ampliatum fuit, Vicario Capitulari Abbate Albertino Bariſonio, Archypresbytero Patauino, viro generis ſplendore, atque eruditione claro, &, dum hęc condo, Pontificis Maximi INNOCENTII DECIMI beneficio ad Cenetenſem Epiſcopatum electo; Abbatiſſa Margarita Polcaſtra, Protectoribus Aloyſio de Strata Philoſoph. ac Medic. doctore, & Vrſato Vrſato Equite patre meo: quorum cura dum noua ſtruuntur cubicula, huius maxime, vtpote antiquitatum cultoris eximij, diligentia ſaxum hoc effoſſum horti muro fuit impoſitum.

Vannin. 4. Faſtor.

Ex Archiu. Monial. S. Steph.

Ex Eodem. Portenar. lib. 9. cap. 35

M'. PVBLICIVS
FESTVS D. D.

Votiuum monumentum fuiſſe Dis Manibus dicatum ex eo credere audeot, quod dum fundamenta noui Templi S. Stephani iacerentur, eodem ferme loco effoſſæ ſint ſpectatæ magnitudinis arcæ, in quibus, à noſtris maioribus proditum mihi eſt & cineres, & numiſmata fuiſſe reperta. Nunquid fuerunt trientes ad Acherontis naulum ori defunctorum inditi? In hanc rem Iuuenalis.

——— *At ille* *Satira 3.*

Iam

Iam ſedet in ripa, tetrumque nouitius horret
Porthmea, nec ſperat cænoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

In area quoque ædium Ioannis Dominici Sala, Medici numquam interituræ memoriæ, e templi huius regione, quam plurimas diuerſæ formæ vrnas lateritias reperire licuit. Ex quo pronum eſt credere, locum mortuorum cineribus reponendis fuiſſe deſtinatum. Quod etiam innuit, iſtam inſcriptionem ſibi à Patre meo traditam expendens, Doctiſſimus Tomaſinus. Vbi ſilere haud poſſum, ſaxum iſtud minime fuiſſe repertum in fundamentis Templi, vt ipſe habet, cui anno M D XCVII. manus extrema fuit addita; ſed in hortis, vbi noua ſtructura annò M DC XXXVIII. fieri cœpit.

De Donar. ſeu Tabel. Vot.

PVBLICIVS.] POBLICIAM gentem, ſic antique dictam (quãdoquidem Publij antiquitus Poblij vocabantur) plebeiam, &, ex ea Conſules Malleolum & Bibulum cognominatos fuiſſe, Panuinius & Vrſinus teſtantur. Hæc ob C. Publicium Bibulum meruit, vt Senatus decreto ipſi poſteriſque eius, virtutis, & honoris cauſa, locus monumenti publice daretur: quem in vrbe conceſſum fuiſſe, putat Vrſinus ex inſcriptione, quam ſub Capitolio in monumenro quadrato ex lapide Tiburtino viſam ipſe exhibet.

De Antiq. Nomin. *De Famil. Roman.* *In Gen. Public.*

FESTVS.] *Fauſtum & feſtum his intellectibus diſcernuntur: etenim fauſtum quaſi à fauendo dictum, ac per hoc proſperum, & propitium, vnde contra infauſtum minax, & improſperum: Feſtum vero ſolenniter lætum, & feriatum.* Ex quibus opinor FESTI cognomen, vel ex eo ortum; quod, vt ait doctiſſimus Turnebus in ſuis Aduerſarijs, *pro fauſto homine, & auſpicato, & optato dicatur, translatione ducta à diebus feſtis:* vel ex eo quod notat Muretus ad illud Terentianum in Eunucho.

Nonius Marcellus. *Lib. 5. cap. 11.* *Act. 3. Scen. 5.*

——— *ô feſtus dies hominis*

Nempe ex iucunditate illius, qui hoc cognomine fuit prædictus: ipſe enim illud dictum explicat: *ô homo mihi iucundiſsime.*

SAXVM IN HORTIS COENOBITARVM S. MICHAELIS, IN VICO VANTII EFFOSSVM.

SAncti Michaelis templum, quod antiquitus Sanctorum Archangelorum nuncupabatur, munificentiſſimus Gauslinus Transalgardus Epiſcopus Patauinus cœnobitis Sanctæ Iuſtinæ inter cætera donauit; vt antiqua eius donationis tabula, in cœnobij archiuo aſſeruata, & ab eruditiſſimo Cauacio ad verbum tradita reſtatur. Ex qua hæc in rem noſtram. *Ego in Dei Omnipotentis nomine Gauslinus Pataiuenſis Eccleſiæ Epiſcopus donamus & confirmamus ad Monaſterium* Sa-

Hiſt. Cœnob. D. Iuſt. lib. 2. Torten. lib. 9. Cap. 22.

Sanctæ Iustinæ Virginis, & ecclesiam Sanctorum Archangelorum, quæ constructa est foris ciuitate Patauij in loco, qui dicitur Vantio, cum suis finibus. Verum cum, extincta monachorum disciplina, ditissimam Diuæ Iustinæ Abbatiam Summi Pontifices presbyteris in commendam, vt vocant, concessissent, ijs temporibus est credibile ecclesiam Sanctorum Archangelorum separatam à monasterio Sanctę Iustinę fuisse, ac electum Præpositum, qui sacris præesset: cuius dignitas hodieq; perdurat. Anno tandem M CD LXXIX. cum nonnullis annuis prouentibus ædem hanc Sixtus IV. Pontifex Maximus cœnobitis Sancti Spiritus Venetijs eo pacto donauit, vt Præpositum alerent. In prędiolo itaque, quod in vico Vantij possident, anno Christi M DC L. vigesimo die Decembris, cum altius terra foderetur, repertum fuit pulcherrimum, quod exhibeo, monumentum, quatuor pedes altum, vnum cum semisse latum, ab omni temporis iniuria intactum: quod in parietibus cœnobij Diui Michaelis Monachi reponendum censuere. *Vngarel. M.S.p.1. Portenar. ibi.*



De Famil. Rom. COELIAE] Vrsini & Panuinij fide Romæ Cœlia gens Plebeia *De Antiq. Nom.* fuit, Consulesque, Caldos & Rufos cognominatos, habuit.

A.] AVLI prænominis est nota. Auli vero prænomen, vt Si- *De Rom. Nom.* gonius & Panuinius ex Valerio habent, illi assumebant, qui *Dijs a- lentibus nascebantur*. Addit tamen ex Quintiliano Panuinius, ab olla *De Antiq. Nom.* Aulos prænominatos fuisse; cum ollam veteres aulam dixerint, Fabio teste. E quo prænomine Aulorũ gentẽ emanasse Panuinius auctor est.

2. Instit. Titulo. 20. §. Opti. Legat. OPTATVS] Videlicet electus ad libertatem, namque idem valere hæc nomina tradit Nonius. Cognomen itaque Optati susceperat iste Aulus Cælius, quod fortassis inter alios seruos fuerat ad ma- *Lege 2. ff. de Option. Legat. lib. 33. T. 5.* numissionem electus. Vel etiam Optatus erat dictus, quia inter serues per testamentum legatos optatus fuerat, ut antiquitus mos fere- *L. 37. de Legat. 1.* bat: hac tamen cautione, ut seruus Optatus, nec optimus, nec pessimus esset.

D. S. F.] Scilicet DE SVO FECIT.

IN. F. P. XX. R. P. XX.] Hoc est IN FRONTE PEDES VIGINTI RETRO PEDES VIGINTI. Quæ dicendi forma paulo post explicabitur.

Mulieris stolatæ hæc est effigies; si stola, vt Isidoro placet, *est Ma- Etymolog. lib. 19. tronale operimentum, quod cooperto capite & scapula à dextro latere in læuum humerum mittitur*. Matronarum habitus stola fuit; quamuis Nonius asserat: *Stolam veteres non honestam vestem solum, sed etiam omnem,* *Lit. M.* *quæ corpus tegeret*, dixere. Nam Festo auctore, *Matronas appellabant eas fere, quibus stolas habendi ius erat*. Imo Barnabas Brissonius vir Iurisprudentiæ in antiquam dignitatem restituendæ natus, Tertulliani innixus auctoritati, ostendit meretricibus turpibusque & inhonestis mulie- *Select. ex Iur. Ciuil. Antiq. lib. 1 cap. 4.* ribus stolarum vsu legibus interdictum fuisse: habetque de diuerso matronatum, & meretricum vestitu, elegantissimum tractatum: ad quem lubens lectorem remitto.

IN PRÆTORIO.

QVo olim loco Manfredæ apud Patauinos familiæ clarissimæ, quæ Fauentiæ, Fori Cornelij, ac Fori Liuij quondam imperauit, amplę spectabantur ędes, ingens hodie surgit Prętorium, non tam nostrę Vrbis, quam vniuersi orbis miraculum. De quo opinari audeo vaticinatum fuisse Martialem canendo.

Ioan. de Nono de Famil. Pat. M.S. Iason in præfat. ad 2. Digest. Veter.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus iactet nec Babylona labor:
Nec Triuiæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens:
Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Spectac. lib. Epig. 1.

Coeptum hoc fuisse anno Christi M CC XIIX., Prętore Ioanne de Rusca Comensi, testantur carmina in ostio quodam inferioris fornicis, vulgo (*La Scauezzata*) olim sita.

COMI NATVS RVSCONVM DE GENTE IOANNES
NOBILIS ET STRENVVS PADVAM NVNC FORTE REGEBAT
CVM FVIT ISTVD OPVS VLTRA SPECVLARIA FACTVM
ANNIS MILLE DECEM LAPSIS NOVEMQVE DVCENTIS.

Memor. Tēp. de Fact. in March. Taruis. lib. 1. cap. 16.

Perfectum fuit mira celeritate anno sequenti, Prętore Malpileo de Sancto Miniato; vt omnes Patauini Chronologici referunt. Huic operi toti fornicato, lateriteisque columnis suffulto, ducentos quinquaginta sex pedes longo, sex & nonaginta lato, nullique ędificio inhęrenti, non casu seu necessitate situs, sed arte figura Rhomboides data est: vel quia apta magis esset ad vasta ędificia fulcienda; cum doceat Natura hominem erectum facilius procidere in terram, quam aliquantisper retractum in modum figurę Rhomboides; *quæ & opposita latera, & oppositos angulos inter se æquales habet, neque æquilatera est, neque rectangula*: Vel quod ibi omnia Mystica obseruentur. Anguli enim eius ita quatuor Cœli plagas respiciunt, vt Æquinoctij tempore Solis orientis radij per orientales tecti fenestras admissi Occidentales fenestras feriant, & versa vice sole occidente in orientales reflectantur, atque solstitiorum tempore per meridionales fenestras versus boreales tendant. Tectum asseribus tegulisque initio stratum fuit, ductisq; per medium muris, in tres partes diuisum, stetit vsque ad annum M CCC VI. quo tempore, interstitijs manentibus, Palatium deiecto culmine altius extructum fuit, laminisque plumbeis coopertum, Prętore Ciuitatis Poncino de Picenardis Cremonensi. Ceterum vt in monumento hic erecto adhuc legitur.

Rolād. Chrō. de Reg. Potest. Pad. an. 1218. Mantissa adiec. Chron. Monac. Paduani sub. eod. an. Portenar. lib. 3. cap. 7. Euclid. Element. lib. 1. Probl. 33. Itiner. Ital. Par. 1. fol. 17. Porten. lib. 3. cap. 6. Mantissa iā citat. sub. an. 1306. Portenar. lib. 3. cap. 7. Chron. Regi. Pot. Pad. sub. an. 1306.

ANNO DOMINI M CCCC XX VRBI NOSTRAE TVNC IVS DICENTE PRO SERENISSIMO DVCE NOSTRO VENETIARVM IVSTISSIMO PRAETORE MARCO DANDVLO D. BENEDICTI PALATIVM HOC REAEDIFICARI COEPTVM EST CVM PRIVS EODEM ANNO SVBITA VIS IGNIS ATQVE INTEREA OPVS MAGNIFICVM AC MIRABILE QVOD ANNIS CC II INVIOLATVM STETERAT SPATIO TRIVM HORARVM CONSVMPSISSET AD QVOD TRISTE INFAVSTVMQVE SPECTACVLVM CVM TOTA CIVITAS NON ALITER QVAM AD COMMVNE ALIQVOD FVNVS CONCVRRERET OMNESQVE SIMILE POSTEA REFICI DESPERARENT STATIM ILLVSTRISSIMA DVCALIS DOMINATIO PECVNIAM OMNEM QVA PVLCHRIVS ALIVD AVGVSTIVSQVE CONSTRVERETVR EX PVBLICO EIVS AERARIO DEPROMENDAM SENATVSCONSVLTO DECREVIT CVIVS TANTAE LARGITIONIS IMMORTALE BENEFICIVM HVIC ORNATISSIMAE INSCVLPI TABVLAE VOLVIT AVREISQVE LITTERARVM MONVMENTIS SEMPITERNAE MANDARI MEMORIAE.

Parietibus ipſum diuidentibus diſiectis, vaſtam in aulam, quæ hodie extat, opus mutatum fuit, Iconéſque Petri Aponenſis ingenioſiſſimi ciuis noſtri ſtudio, ad hominum, ſub duodecim ſignis Zodiaci, ſeptemque planetis, duodecim menſium curriculo naſcentium, naturas Scard. lib. 2. Claſs. indicandas inuentæ, per Giuſtum pictorem inſignem reſtitutæ fuere: quæ Tortenar. lib. 3. cap. 6. & noſtris temporibus integræ viſuntur. Occidentem verſus poſitum eſt T. Liuij Monumentum, prout heic delineatum eſt.

LIVIVS


V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS

LIVIVS] Liuiam gentem in numero plebeiarum reponit Panuinius: Conſules tamen habuit, & quidem clariſſimos, Salinatorem, Dentrem, Druſum, Libonem cognominatos,Patauioq; Summum conciliauit ſplendorem, quod Liuium noſtrum ediderit. De cuius Patria & natalibus nihil referam, cum & à propoſito inſtituto recedat, & clariſſimorum virorum innumera ſuppeditent teſtimonia, qui eum Patauinum, genere clarum, hiſtoriçque parentem declarant: inter quos de eius gloria hoc vnum Plinij ad Nepotem plurimorum loco ſufficiat. *Numquamne legiſti Gaditanum quendam, Titi Liuij nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum ab vltimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, vt viderat, abijſſe?* Vixit Romę vſque ad Auguſti deceſſum, cui ſumme gratus erat. Poſt eius vero mortem honoribus annisque defeſſus, in Patriam reuerſus, publicis à Patauinis receptus fuit acclamationibus: vbi Tiberio Cæſare Auguſto III. & Germanico Cęſare II. Conſulibus, anno V. C. DCCLXXI., à partu Virginis XIX., Imperij Tiberij quarto, ſuęque ętatis LXXVI. e vita exceſſit. Corpus eius haud procul à Concordię templo conditum fuiſſe, & ſaxum iſtud, & eius oſſa ibi eruta abunde confirmant. Id cum Iacobus Cauacius Congregationis Diuę Iuſtinę Cęnobita, eiuſque monaſterij Hiſtoricus, fide & ſolertia eximius, fuſe, ac ſine fuco, e tabulario depromat, ipſius verba heic apponere opportunum exiſtimaui.

Lib. 2. Epiſt. 3.

Panuin. Faſt. lib. 2.

Hiſt. Cænob. D. Iuſt. lib. 5. fol. 218.

Sed nos in vrbem reuocat T. Liuius Romanæ hiſtoriæ parens, & Patauinorum decus, cuius ſepulcrum in noſtro cœnobio repertum eſt. Pone Abbatis ades, vbi nunc valetudinarium eſt, ante annos quinquaginta effoſſus fuerat antiquus lapis cum epitaphio.

V. F.
T. LIVIVS
LIVIÆ T. F.
QVARTAE. L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS

Hunc Patres in veſtibulum templi tranſtulerant, atque Liuij imaginem appinxerant, quam ſitu exoletam Andreas Abbas nuper nouauerat. Marinus Ludouici frater cum ſape ad eum diuerteret, & aliquod negotium inferret diſciplina Monachorum, ſtatuit pone Abbatis domicilium ſibi adiculam extruere. Hic dum pro fundamentis altius effoditur, apparuit vetuſtiſſimum pauimentum ex quadratis lateribus affabre extru-

ctum.

ctum. Eo diruto reperta est arca plumbea sexpedalis, qua hominis ossa continebantur. Accurrere ex Monachis aliquot, qui meminerant, vel acceperant à maioribus effossum ibi veterem lapidem cum Liuij epitaphio. Inde constans omnium opinio fuit, id esse Liuij corpus. Rolandus Monachus de his actutum admonuit Xiconem Polentonum egregium & eruditum ciuem; qui cum vniuersa lustrasset, in Pratorium rediens, celebriorem apud ciues de Liuij corpore opinionem fecit, mox eo præstantiores aliquot secum traxit. Quidam præuenerant, & ex ossibus fragmenta diripiebant. Id quasi ad æmulationem reliquiarum Sanctorum Dei impie factum, monit Vicarium Abbatis, vt de comburendis Liuij ossibus cogitaret. Cœperat iam malleo craneum diffringere, cum negotijs quibusdam grauioribus e Cœnobio euocatur. Vix abscesserat, cum Rolandus rogatus à nobilium virorum turba quæ confluxerat, arcam, & ossa T. Liuij patriæ dono dedit: Proceres ac si viuentem Liuium amplecterentur, plumbeum tumulum extulere. Libet illustres viros recensere, qui humeros submiserunt. Alterum arcæ caput extulit Andreas Dandulus Patricius Venetus, alterum Polentonus, medium subiere Palamedes (Palaminus vulgo) Vitalianus, & Peraghinus Peraga aurati Equites, Alexander de Doctoribus, Io: Franciscus Capilisteus, & Nicolaus Porcellinus Iurisconsulti. Sequebantur feralem pompam Zacharias Triuisanus Prætor, & Leonardus Mocenicus Præfectus, mox quicumque litterarum studio, vel patriæ charitate tenebatur. Funus delatum est per frequentiora vrbis loca in Prætoris regiam, donec publico decreto statueretur, qui optimi ciuis memoriæ satis prospici posset. Quorundam sententia fuit, vt apud Fanum Sancti Clementis, qua forum respicit, publico ære Cœnotaphium T. Liuij e marmore excitaretur. Quidam optimates priuata pecunia Liuio multo nobilius monumentum pollicebantur, si prope eorum ædes liceret ipsius Liuij ossa transferre. Duo potissimum ad eam rem contendebant, Ludouicus Buzzacarinus eruditus ac diues admodum, & Henricus Scrouinius Eques. Attamen publicæ in Liuium pietati decere visum est, ipsius ossa in augustissimam aulam Pratorij referre, & antiquum lapidem cum Epitaphio adijcere. Hęc Cauacius. Vberius totam historiam complures alij hoc loco persequuntur: quos lector inspicere potest.

Blond. Flau. Ital. Illust.
Teod. Zuin. in Method. Apod. lib. 3. fol. 273.
Paul. Merul. in Cosmog. Ital. Par. 2. lib. 4.
Gerard. Voss. in Adnot. ad Lat. Hist.
Scard. lib. 1. Class. 3.
Porten. lib. 3. cap. 6.
Pignor. in Orig. Pat. fol. 124.
Tomasin. in Vita Liuij fol. 32.

Ad publicæ voluntatis decretum loco selecto, ossa Liuij occidentem versus in Prętorij pariete supra ostium, qua nunc Sanitatis officium, vt vocant, aditur, locata fuere; eaque sub rudi simulacro, & ab eius effigie omnino dissimili, hoc epitaphio, à Leonardo Iustiniano Patauij tunc Prętore addito, condecorata fuere. *Idem ibid. Cap. 9.*

OSSA

OSSA
T. LIVII PATAVINI VNIVS OMNIVM
MORTALIVM IVDICIO DIGNI CVIVS
PROPE INVICTO CALAMO INVICTI P. R.
RES GESTAE CONSCRIBERENTVR

Anno MCDLI. eximium quodpiam Liuij monumentum expetens Alphonſus Arragonum Rex, per Antonium Beuatellum Panormitanum Legatum ſuum, poetam inſignem, à Patauinis brachij os impetrauit. Eodem tempore Liuij maxilla, æneo orbe clauſa, fornici Archiui Ciuitatis noſtræ appenſa fuit; vbi & hodie ſpectatur. Supra oſtium vero, vbi oſſa repoſita fuerunt, illa parte, qua Palatium reſpicit, tale poſitum fuit monumentum.

INCLITO ALPHONSO
ARAGONVM REGI STVDIOSORVM FAVTORI
REIPVBLICAE VENETAE FOEDERATO ANTONIO
PANORMITA POETA LEGATO SVO ORANTE
ET MATTHEO VICTVRIO HVIVS VRBIS
PRAETORE CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE
EX HISTORIARVM PARENTIS T. LIVII OSSIBVS QVAE HOC TVMVLO CONDVNTVR BRACHIVM PATAVINI CIVES IN MVNVS CONCESSERE ANNO CHRISTI M CCCC LI
XIII KAL. SEPTEMBRIS

Regis autem deſiderium mors anteuertit; Brachium namque iſtud à Panormitano vix Neapolim delatum eſt, cum Alphonſus fatis conceſſit. Illud itaque Panormita religioſe cuſtodiuit, ac in delicijs habuit dum vixit. Eo mortalibus erepto, cum Io. Iouianus Pontanus publici muneris, quo fungebatur, à ſecretis Regni ſucceſſor ipſum quoque brachium obtinuiſſet, exiguo id tumulo, extra delubrum à ſe erectum, ſub tali inſcriptione condidit.

Pignor. in Origin. Pat. cap. 17.

T. LIVII HISTORICI BRACHIVM QVOD OLIM ANTONIVS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT IO. IOVIANVS PONTANVS MVLTOS POST ANNOS CONDIDIT.

Monumentum vero Liuij, quod in D. Iuſtinæ æde conſeruabatur, anno MDXXXXVII. in Prætorium vna cum ipſius oſſibus fuit tranſlatum; vbi noſtra ætate conſpicitur. Apici eius additus fuit vultus e mar-

marmore, qui penes Alexandrum Bassanum Patauinum seruabatur. Aenea vtrinque accesserunt simulacra; e parte dextra Aeternitatis, e sinistra Mineruae: sub primo Tiberis, sub altero Medoacus excurrit: inter vtrumque fluuium Lupa Romulo & Remo vbera praebet. Subiectam his simulacris tabulam aeneam Lazarus Bonamicus Bassanensis, vir doctissimus, politiorum literarum in Gymnasio tunc professor celeber, hoc epigrammate decorauit.

OSSA, TVVMQ; CAPVT CIVES TIBI, MAXIME LIVI,
PROMPTO ANIMO HIC OMNES COMPOSVERE TVI.
TV FAMAM AETERNAM ROMAE, PATRIAEQ; DEDISTI,
HVIC ORIENS, ILLI FORTIA FACTA CANENS.
AT TIBI DAT PATRIA HAEC, ET SI MAIORA LICERET,
HOC TOTVS STARES AVREVS IPSE LOCO.

Inscriptionem porro idem subdit.

T. LIVIVS
QVARTO IMPERII
TIBERII CAESARIS
ANNO VITA EXCESSIT
AETATIS VERO SVAE LXXVI.

Ceterum ne summae erga clarissimum ciuem obseruantiae testimonia deficerent, etiam supra Praetorij ostium, sub magna statua marmorea librum apertum tenente, manumque ori admouente cum hoc symbolo

PARVVS IGNIS MAGNVM SAEPE SVSCITAT INCENDIVM
Maiores nostri hoc monumentum statuerunt.

T. LIVIVS PATAVINVS
HISTORICORVM LATINI NOMINIS FACILE PRINCEPS CVIVS LACTEAM ELOQVENTIAM AETAS ILLA QVAE VIRTVTE PARITER AC ERVDITIONE FLOREBAT ADEO ADMIRATA EST VT MVLTI ROMAM NON VT VRBEM RERVM PVLCHERRIMAM AVT VRBIS ET ORBIS DOMINVM OCTAVIANVM SED VT HVNC VIRVM INVISERENT AVDIRENTQVE A GADIBVS PROFECTI SVNT. HIC RES OMNES QVAS POPVLVS ROMANVS PACE BELLOQVE GESSIT QVATVORDECIM DECADIBVS MIRA STILI FELICITATE COMPLEXVS, SIBI, AC PATRIAE GLORIAM PEPERIT SEMPITERNAM.

Ve-

Veterem Liuij inscriptionem in aula Prætorij positam, aliamque in ædibus Capilisteorum ad Sanctum Danielem, suo loco expendendam, minime ad Liuium pertinere, his verbis demonstrare conatur ingeniosissimus Pignorius. *La inscritione si come l'ho per antica, così non credo, che appartenga al nostro T. Liuio. Il mio argomento è, che T. Liuio scriueua* SIBE *&* QVASE, *non* SIBI *&* QVASI, *& così Asconio Pediano, come racconta Quintiliano nel libro primo à capi* VII *delle sue institutioni oratorie, & questa ò simile peregrinità di ortographia, e di voci, & forse di elocutione era la Patauinità, che Asinio Polione haueua osseruato in Liuio.* Quo quidem argumento Liuij monumento nequicquam decedere puto: etenim Asinius Pollio, non vt styli elegantiam extolleret, sed vt formam dicendi irrideret, acerbe dixerat, Liuium sibi videri *Patauinitatē sapere*: vt bene Patriæ studiosissimus Tomasinus obseruauit. Pub. Terentius etiam, qui Tranquillo teste, *Inter finem secundi belli Punici, & initium tertij natus est & mortuus*, multo ante Liuium, in Eunucho loco soli scripsit

In Origin. Patau. cap. 17. — *In Vita Liuij cap. v.* — *Act. 5. Scē. 6.*

—— *Mihi sola ridiculo fuit.*

Quam dicendi formam obseruauit Clarissimus Clarauallensis Comes Gaspar Scioppius, qui in Patria nostra sibi gratissima aliquamdiu vixit, diemque nuper clausit extremum. Quid apud Quinulianum clarius? *Non E quoque I loco fuit: vt Meneruα, & Leber, & Magester, & Dijoue, & Veioue, pro Dijoui, & Veioui?* Adde lapides antiquos minime Patauinos, in quibus SIBE pro SIBI obseruatur. Talem e Romanis descripsit Gruterus.

Suspectar. Lect. lib. 1. Ep. 1. — *Instit. Orat. lib. 1. cap. 4.* — *Fol. 958. n. 1.*

DIS . MANIB
M . VINICI . M . F.
SALVIARI
VIXIT . ANN . XXXII
MENS . VI
VINICIA . HELPIS
PATRON . ET
CONIVGI
INDVLGENTISS.
ET . SIBE

T.] Liuij prænomen TITVS est; vel quod Festo auctore, *Tituli milites appellarentur, quasi tutuli, quod patriam tuerentur, vnde & Titi pranomen ortum est*; vel à Sabino nomine, vt putat Valerius, quem Sigonius, & Panuinius secuti sunt.

Lit. T. De Nom. Imposit. — *De Nom. Rom.* — *De Antiq. Nom.*

L I.

LIVIÆ T. F. QVARTÆ L. HALYS] Hæc quarta Liuij filia fuit, vt iam obseruaui : & , vt docet Panuinius , LIVIA T. F. QVARTA nupsit L. HALY. sic enim credo cum Scardeonio hæc explananda esse; non autem LIVIÆ T. F. QVARTÆ LEGIONIS HALYS; vt teste Scardeonio Blondus Flauius de Italia Illustrata censuit. Scardeonius enim vere affirmat, quod Legio non sola litera L., sed LEG. in monumentis exprimebatur; & quod Legio quarta non Halys, sed Scythica erat dicta ; vt in quodam ex nostris epitaphijs, in vico Putei Vitaliani sito, suo tempore declarabimus. Sitne vero L. HALYS ille, qui & L. Magius appellatur, gener T. Liuij, Socerique causa laudatissimus Rhetor, de quo Seneca, prudens sileo, cum certi nihil habeam . Eundem tamen esse Seardeonius asserit: *Quod autem LVCIVS MAGIVS & HALYS appelletur, minime absurdum videri debet : cum id fere ciuibus Romanis conueniat, vt tribus nominibus inscribantur . Dictus autem est HALYS ab HALY fluuio & cognomine Hispano, vnde forte profectus erat.* Pro sententiæ suæ fundamento epitaphium Saguntinum, ab Achille Statio Lusitano receptum, sed mutilum affert : quod vt integrum habeatur, sic legendum ex Grutero. Fol. 778. n. 2.

De Antiq. Nom.

Lib. 1. Class. 3.

In March. Taruis.

In Epist. lib. 5. Contron.

Loco citat.

V . F .
C . GRATTIVS
HALYS . SIBI . ET
GRATTIÆ . MYRSINI
VXORI . KARISSIM
ANN . XXXXVII
SIBI . ET . SVIS

CONCORDIALIS.] Ex hac voce ea semper mihi fuit opinio, Templum Diuæ Iustinæ non fuisse ædem Iouis, in qua Cleonymi Lacædemonij spolia appensa fuere , vt Blondo Flauio placet ; nec Martis aut Iunonis, vt tradit Paulus Merula ; sed Concordiæ. Non enim vnum hoc saxum habemus, quod Concordialis dignitatis testimonium præbeat, nempe Sacerdotis Deæ Concordiæ, sed alia etiam, quæ hoc ipsum confirmant. Concordialis autem sacerdos teste Scardeonio, cui lubens subscribo, Patauij fuit magnæ dignitatis & æstimationis; qui nempe præerat Templo ab Antenore erecto: in quo forsan, postquam

In Ital. Illustr. Loc. cit.

Cosmogph. Par. 2. lib. 4.

Scard. loc. cit.

——— *Vrbem Patani sedesque locauit*

Aeneid. 1. *Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit.*

Et quoniam de Cleonymo mentio incidit, non poſſum præterire feſtiuum nauium certamen, quod ſingulis etiamnum annis apud nos tamquam vrbi peculiare celebrari in flumine ſolet, originem haud dubie ſortitum ab illo, quod fuſis Cleonymo duce Græcis, Patauij ob Hiſt. Lib. 10. publicam lætitiam fuit editum. Et hinc ait Liuius: *Patauij monimentum naualis pugnæ eo die, qua pugnatum eſt, quotannis ſolemni certamine nauium in flumine oppidi medio exercetur.* Vnde & mihi perſuadeo eandem pugnandi formam retineri. Paruæ enim nauiculæ, ſex robuſtiſſimorum remigum impulſu incitatæ, ex aduerſo ſibi committuntur; in prora viri lanceis armati, aſſerem, denſiſſimis clauis infixis munitum, ſcuti loco prætendentes conſiſtunt; qui validiſſimo impetu tamdiu in ſe mutuo irruunt, dum alteruter in aquas deijciatur. Hoc autem celebre ſpectaculum diebus feſtis Pentecoſtes plerumque peragitur.

PATAVI] Vox iſta, quæ loco Patauij heic habetur, monumenti huius antiquitatem eruditiſſimo cuidam viro ſuſpectam reddit; quod nec publice profiteri eſt verius. Verumenimvero facili negotio mihi dubium tolli videtur; cum Virgilius ipſe, qui T. Liuij temporibus vixit, *Patani* loco Patauij ſcriptum reliquerit: vnde quidni hoc etiam in monumento toleretur?

In Origin. Patau. cap. 17. In Vita Liu. Cap. 10. De capite vero ſupra Liuianum hoc monumentum poſito, quod Pignorius Cn. Lentuli Marcellini effigiem referre putat, conſulatur eruditiſſimus Tomaſinus.

SER-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIB. I. SECT. II.

REGIO PRIMA TEMPLI CATHEDRALIS.

LOcis publicis iure succedunt priuatorum ædes; quæ, quotquot priscis monumentis sunt conspicuæ, iuxta quatuor regiones Ciuitatis commode perlustrantur. Prima inter eas occurrit ad occidentalem vrbis partem; altera ad pontem Molendinorum septentrionem versus; pontis Altinati tertia ad orientalem plagam protenditur; quarta tandem Turricellarum meridiem spectat.

PRIMA REGIO

APVD IOANNEM GALVANVM I. C. INSIGNEM.

PRiuatas ædes lustranti iure merito primus occurrit Ioannes Galuanus, Ciuis Patauinus, Iurisconsultus disertissimus, atq; patrio in Gymnasio cathedræ criminalis eruditissimus possessor. Pollet enim vir eximius non modo iurisprudentia, in qua nulli est secundus, sed etiam penitiori eruditione, antiquitatumq; peritia vere primus habetur in patria, magnaque celebritate fama eius vniuersum orbem gloriose peruagata est. Intet antiquitatum cimelia itaque, quæ augustum musæum in eius ædibus in vico Sancti Spiritus pone Obicios erectum ornant, numismata innumerabilia, statuæ, aliaque quamplurima, quæ priscorum ingenium ostentant, obseruantur: præ ceteris tabella ænea ignotis characteribus signata, ac fragmentum quod sequitur, religiose custodiuntur.

I



II



1. Huius tabulæ, quam eruditorum contemplationi subijcio, Athanasius Kirkerus, Societatis Iesu ornamentum, penes quem multiplicis scientiæ stat imperium, epistola, disertissimo Io. Rhodio, viro doctrina morumq; suauitate eximio, quem summo semper amore colo, scripta, luculentissimam promisit explanationem. Faxit Deus, vt infinita profundissimæ eruditionis opera, quæ mirando summus iste vir ingenio parturit, ea temporum diuturnitate perennent, vt & amicis, & Reipublicæ literariæ in horum characterum, ac symbolorum enodatione sufficiat, quum ferme solus hanc molem sustinere valeat.

Ego quidem, si inter densissimas tenebras conijcere licet, tabellam hanc votiuam suspicor, ex foramine, cuius generis varia in eiusmodi veterum tabellis obseruaui. Tale quidpiam sedentis icon videtur significare: forsan & characteres ipsi, quorum significationem à doctissimo Kirkero desideramus.

2. M. VAL. PASTOR] Quod est MARCVS VALERIVS PASTOR. Fragmentum hoc lateritium, quinto ab vrbe lapide in prędiolo nostro, quod Vicus *Casalis Serugi* vulgo cognominatur, viginti abhinc annis, inter varia tegulatum atque vrnarum fictilium rudera erutum, Parens meus eruditissimo Galuano donauit, ratus monumentum hoc nusquam dignius habitum iri.

PASTOR] Hoc cognomen eadem ratione, qua Ouiculæ, & Caprarij, ex viri conditione deprompτum videtur. Pastor autem vocatus fuit, vt notat Torrentius, vir doctissimus, ad Suetonium in Augusto: *Qui & aratores, & coloni, & agricolæ, & pastores sæpe à Cicerone atque alijs appellantur, non quod ipsi vel ararent, vel pascerent, sed quod obstricti publicanis circa eadem negotia versabantur, eo vtiliores Reipub. quo in opere quisque suo diligentius negotiabatur.* Cognomen proinde illud non vile, vt illud Caprarij, sed nobile censendum. Hac mente quoque Seruius in Virgilium: *Pastor vt Rex, & re vera pastor est & ductor exercitus*; vnde eodem quoque libro subdit: *Proprie magistri sunt militum; Pastores, pecorum. Sed reciproca sunt istæ translationes. Nam ductor militum pastor vocatur, vt diximus supra, & magistros pecorum diximus.* Cap. 42. Aeneid. lib. 12.

Nec poetarum duntaxat vel doctiorum hominum hoc fuit cognomen, vt placuit Virgilio,

Vt Linus hæc illi diuino carmine pastor, Ecloga. 6.
Floribus atque apio crines ornatus amaro
Dixerit.

sed & Deorum nonnulli ita sunt nuncupati: vnde Poeta de Apolline ipso, vt mittam alios:

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus Georg. lib. 3.
Pastor ab Amphryso

IN ÆDIBVS OBICIORVM.

ISTæ ædes, quæ non procul ab Epiſcopio viſuntur, olim Nigrorum, ſeu Rogatorum fuere; quæ gens vtraque ſumma ſemper nobilitate claruit. Nigra enim de Nigris, ex ſua antiqua familia ſola ſuperſtes, cui ampliſſima dos obtigerat, Antonium Obicium illuſtriſſimum virum, Luca (vbi maiores ipſius imperauerant) oriundum, ob ſingulares corporis & animi dotes, eximiamque virtutis æſtimationem Patauij reliquis omnibus, à quibus in matrimonium fuerat ambita, prępoſuit, anno MCDXXII: ex quo in hunc vſq; diem Obiciorum ſplendidiſsima familia, non minus antiquitate & opibus, quam viris præclaris inſignis, Patauij floruit. Et certe ſi omnes recenſere in animo eſſet, quamplurimæ non ſufficerent paginæ. Satis ſit itaque dicere, quod hodie inter numeroſiſſima ampliſſimæ iſtius familiæ ſydera emicat nulli ſecundus Pius Æneas Orciani Marchio, qui ad maiorum decora amplianda natus, noſtro æuo ſuam familiam, in qua primum locum obtinet, tum heroica indole, cùm literarum & armorum gloria longe lateque illuſtrat. In his itaque ædibus e regione portæ in rudi ſaxo hæc inſcriptio legitur.

VXORI
M. ALLIO. M. F. FESTO
FILIO
HOSTILIÆ. C. L. SEVERÆ
N. F. F. N. S. N. C.

M.] Prænomen MARCVS deſignatur, quod ijs imponebatur, qui Martio menſe in lucem venere, Valerio, Panuinio & Sigonio teſtibus; Manliæ familiæ neutiquam. Siquidem teſte Feſto, *Manliæ gentis decreto nemo ex ea Marcus appellatur: Quod M. Manlius qui Capitolium à Gallis defenderat, cum regnum affectaſſet, damnatus, necatuſque eſt.* Quam inhibitionem & Antoniæ genti poſt Antonij III VIRI mortem factam Panuinius ex Plutarcho docet.

De Nom. Impoſ. *De Antiq. Nom.* *De Nom. Rom.* *De Antiq. Nom.*

ALLIO.] Allia familia eadem cum Aelia, ſiue Ailia, Plebeia, ſed antiqua fuit, maximiſque magiſtratibus clara, & Conſulibus præcipue; vt in Capitolinis patet monumentis.

Vrſin. de Fa mil. Rom.

HO-

HOSTILIAE] Hanc gentem Hostiliam, ab Hosto Hostilio Sabinorum aduersus Romulum belli duce, ac postea ciuitate donato exortam, duplicem, patriciam, & plebeiam fuisse, ac in Patriciam Hostilium prædictum, & Hostilium Regem relatos ex Dionysio, & Liuio noto; in Plebeia Consules varios, Mancinos, Sasernates, Tubulos, Catones cognominatos deprehendo. *Hist. Lib. 1.* *Fast. Lib. 1.*

C. L.] CAII LIBERTAE. *Libertus vocatus, quasi liberatus: erat enim iugo seruitutis addictus. Libertorum autem filij apud antiquos Libertini appellabantur, quasi de libero nati*, vt ait Isidorus. *Etymolog. lib. 9. cap. 4.* Forma libertatis impertiendæ seruis manumissio dicebatur; qui tribus modis manumittebantur: aut si quispiam seruus assentiente, vel iubente Domino nomen suum in censum detulisset; aut si à Domino serius testamento liber legatus fuisset; aut si virga in serui caput à Prætore imposita, quæ vindicta vocabatur, in libertatem esset vindicatus; sic enim Cicero, *si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber*. *Topicor. lib.* Modum vero manumissionis Festus sic tradit. *Lit. M.* *Manumitti seruus dicebatur, cum Dominus eius, aut caput eiusdem serui, aut aliud membrum tenens dicebat:* Hunc hominem liberum esse volo: *& emittebat eum è manu*. Seruo autem Prætori se sistente subdit Sigonius, *De Iudic. lib. 1. cap. 13* quod Prætor *vindicta, id est virga, eiusdem serui capiti imposita, ita dicebat:* Dico eum liberum esse more Quiritum. *Inde conuersus ad Lictorem addebat:* Secundum tuam caussam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta. *Tum Lictor accepta à Prætore vindicta caput serui percutiebat, faciem palma, tergumque verberabat. Quibus actis nomen manumissi in acta à scriba referebatur*. *De Formul. lib. 8.* Sed circa manumissionis solemnia elegantissime eruditissimi Iuris Consultorum Coryphæi Brisonius & Cuiacius. *In Partitill. ad lib. 40. tit. 2.*

Omittere tamen hic nolo cum Sigonio, quod hæc manumissio aliquando pro tribunali Prætore sedente, aliquando vero in transitu, Prætore aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum causa prodeunte peragebatur. *De Iudic. lib. 1. cap. 13* Erant & alij manumittendi modi; nempe inter amicos, per mensam, & per epistolam; sed sic manumissi serui, ex lege Iunia Norbana, minorem libertatem consequebantur. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 4. c. 10.*

Sed & libertate donari capite raso pileum gestabant, libertatis insigne. *Ioan. Rof. Antiq. Rō. lib. 1. cap. 20.* vnde Liuius de Seruis, qui Volones dicti, à Gracho post Hannonem deuictum libertate donatis: *Ante suas quibusque fores prolata omnia pileati, aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt.* *Hist. lib. 24.* Sic in antiquorum Imperatorum numismatibus libertatis typus spectatur dextra tenens pileum. Adhæc, quemadmodum pueri nobiles bullam, ita Libertorum filij lorum ex collo gestabant. Liberti in quatuor vrbanis tribubus, quæ rusticis ignobiliores erant, suffragium ferebant; *Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 6.* sicut & libertini libertorum filij ad aliquod tempus: at paulo post legem *tulit P. Sulpicius Trib. Pleb. L. Sylla. Q. Pompeio*

Coss.

Paul. Man. de Legib. *Coſs. vt in omnibus tribubus Libertini ſuffragium ferre poſſent*. Non licebat tamen Senatoribus, nec eorum filijs, vxorem libertinam ducere Idem ibid. ſub dignitatis iactura, vt docuit idem Manutius.

SEVERAE] cognomina non tantum viris, verum etiam mulieribus antiquitus indita obſeruo; nam eadem erat cognominum neceſſitas apud mulieres, quæ apud viros habebatur: ideo à moribus hæc mulier Seuera dicta.

N. F. F. N. S. N. C.] Septem hæ literæ cum Scaligero penitus ignotæ ſunt mihi. Ipſe enim in indicibus ad Gruterum, cap. de notatum, ac literarum ſingularium, & vocum abbreuiatarum interpretatione, litera N., eas inexplicatas relinquit. Vnde quid mihi poſt tantum virum? cuius maiores (vt & hoc patriæ gloriæ accedat) Patauini fuerunt; vtpote qui teſte clariſſimo Scioppio e Bordonia familia, ad hunc vſque diem vigente, originem traxere.

IN

IN ÆDIBUS CONTARENORUM.

POne templum Cathedrale versus pontem Sancti Ioannis, è regione Siluaticorum, quorum hodie familiam Benedictus, Medicus & Eques, non tam in Patauino Gymnasio medicinæ summus, ac dum hæc scribo, supraordinarius declaratus professor, quam omnium nostro æuo medicorum facile Princeps exornat, ædes Nobilium Venetorum de Contarenis, vulgo *dal Scrigno*, satis amplæ, conspiciuntur, in quibus hæc monumenta apparent.

1

In parietibus area in rudi saxo.

V. F.
L. AELIVS L. F.
FAB. MACER
VI. VIR SIBI ET
L. AELIO ANTIGON
LIB. CONSORTI
ET
P. SALTIO MYSTICO
AMICO
SALTIAE EVTICHIAE
H. M. H. N. S.

In parte vero huius saxi, quæ in pariete conditur, receptum est hæc esse inscripta.

L. S. M. C.
IN. F. P. XXI.
R. P. XXVI.

2

Ad Dextram ianuæ horti.

L. CAEDIVS
L. L. EROS. SIBI
ET LIBERTO HIL..
ET LIBERTO AC..


F Ad

3

Fragmentum rude eximiæ magnitudinis.

L . CANIVS FESTVS . . .
C . AVFIDIVS . CANDI
DVS . C . VVILIVS Q.F.
CERVIVS ... LISP . . . AD
LECTI . DECVRIONES
CONSVLVERVNT . VI
NONAS MAIAS . IN..
RIA . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
ST.RABO C . ACILIVS .
QVOD . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

4



I. V. F.] VIVVS, ſeu VIVENS FECIT, ab omnibus explicatur.

AELIVS.] Plebeia familia Aelia, alias Allia, de qua iam dictum eſt.

MACER.] Cognomen ex eorum numero, quæ ab habitu corporis deſumuntur: ortum nempe à gracilitate.

VI. VIR.] Magiſtratus SEXVIRORVM Romæ creabatur, *quoties aliquod munus difficile Reip. impendebat, in quo præcipua aliquorum opera fideſque exquirebatur, vbique multum ſtudij curæque opus erat,* ait

ait Alex. ab Alex. In Colonijs etiam, & Municipijs Sexviros electos Panuinius ostendit: imo apud ipsum legitur. VI *Vir Senior.* VI *Vir Iunior.* VI *Vir Vrbanus.* & inter Sacerdotes Municipales, & Coloniarum apud eundem reperiuntur, VI *Vir Augustorum.* VI *Vir Augustalis.* VI *Vir Augustalis, & Flaminalis.* VI *Vir Iunior, & Augustalis.* VI *Vir Senior & Augustalis.* Quos omnes Magistratus, & Sacerdotia lapidum testimonio confirmata apud eum loco citato notare est. Præterea Sexviros Præfecturarum apud Sigonium inuenio: Præfecturæ namque, Festo autore, *eæ appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam Resp. neque tamen magistratus suos habebant, in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent. Quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire præfecti quatuor (sex virum pro populi suffragio creati erant) in hæc oppida Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acertas, Suessulã, Atellum, Calatiam: alterum, in quas ibant, quos Prætor Vrbanus quotannis in quæq; loca miserat legibus, vt Fundos &c.* Genial. Dier. lib. 3. cap. 16. Antiq. Veron. lib. 2. cap. 12. De Antiq. Iur. Ital. lib. 2. cap. 12. Lit. P.

Qualis esset Sexviralis magistratus, Alciatus declarat hisce verbis: *Sextumviri, & ipsi de his quæ ad Rempublicam pertinebant solebant cognoscere.* Ex quibus credere est, magistratum istum potius ad iura tuenda institutum fuisse; exceptis tamen Sexviris Augustalibus, de quibus suo loco, nostris in lapidibus. De Verb. Signif. leg. 39.

MYSTICO] Mysticum à Mysterijs deptomptum, nempe quod in arcanis Deorum sit; vnde Mysticos illos dictos vult Bulengerius, qui arcanorum principum conscij essent: propterea Mysticus iste forsan a singulari fide in non propalandis secretis. De Imper. & Imperio.

AMICO] Mos antiquorum erat, loco sepulturæ delecto in cippis designare, quibuscum sepulchri ius commune habere vellent. Propterea PVBLIO MYSTICO AMICO, ceterisque in monumento expressis, sepultutam communem destinauit auctor.

EVTICHIÆ] Cognomen quod fortunatam fœminam significat.

H. M. H. N. S.] Id est HOC MONVMENTVM HAEREDES NON SEQVITVR sic in Gruterianis indicibus Scaliger, vt constaret, ad quos ius pertineret sepulchri; vnde Horatius.

Mille pedes in fronte trecentum cippus in agrum
Hic dabat: hæredes monimentum ne sequeretur. Lib. 1. Satir. 8.

Quod fortasse notauit Alex. ab Alex. *Reliqui vero in agris quisq; suis, aut in fundo suburbano, seu auito, & patrio solo ex S. C. Gn. Duilio Cons. Romæ humari consueuere. In quibus sepeliendi licet toti genti familiæ ius esset à principio, postea vt in familiam ius sepulchri non descenderet, recentiore cura prouisum fuit.* Mos iste ad hæc vsque tempora durat, vt passim in nostris sepulchris obseruatur. Genial. Dier. lib. 3. cap. 2.

L. S. M. C.] Scaliger. LOCVM SIBI MONVMENTO CEPIT: si

poſt tantum virum quidpiam licebit, dixerim, LOCVM SVI MONVMENTI CVRAVIT, vel CONSTITVIT.

IN. F. P. XXI. R. P. XXVI.] Quæ ab omnibus leguntur: IN FRONTE PEDES VIGINTI VNVM. RETRO PEDES VIGINTI SEX. Ne mortui homines in vrbe conderentur, lege XII. tabularum cautum fuit: *Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, neue vrito*. Ideo ſcriptum reliquit Alex. ab Alexandris, vt iam vidimus, quod omnes in agris ſuis, vel in fundo auito, ſeu ſuburbano Romæ humari conſueuerant: propterea & hodie Patauij vicum ſuburbanum habemus, noſtra lingua *Terra negra* vocatum, quem ſepulchris deſtinatum fuiſſe, notat omni laude maior Pignorius noſter, hiſce verbis. *La noſtra terra negra è ſenza dubbio da l'antico, & perche ſeruiua à ſepelire communemente, però fù chiamata con voce mezza latina, & mezza greca Terra nera*: Quod Strabonis auctoritate confirmat, qui ait. *Poſtea eſt Necropolis, & ſuburbanum, in quo horti plurimi ſunt, & ſepulturæ, manſiones condiendis mortuis idoneæ*. Terræ autem nomine ſepulchra communiter appellabantur: hinc Tibullus.

Cicer. de leg. — In Adnot. ad Pat. Origin. fol. 168. — De Situ Orbis lib. 17. — 2. Elegiar. 4.

Et bene diſcedens dicet, placideque quieſcas
Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa leuis.

Cum igitur in agris mortuorum corpora conderentur, venditori agri ingens erat probrum, non apud ſe iura ſepulchrorum retinere, teſte in orationibus Cicerone: *Cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius, ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet*. Et ideo miſer ille agricola apud Apuleium, auaritia diuitis cuiuſpiam, qui terram eius totam ſibi vindicauerat, omnibus bonis ſpoliatus, *vt ſuo ſaltem ſepulchro paternum retineret ſolum, amicos plurimos ad demonſtrationem finium, trepidans eximie corrogarat*.

Pro Roſcio Amerin. — Metamorphoſ. lib. 9.

Locus ſepulchrorum ſacer declarabatur antiquis legibus. *Vbi corpus demortui hominis condas, ſacer eſto*: & alibi: *Ne quis veſtibulum aditumve ad ſepulchrum vſu capito*: vt Paulus Manutius in ſuo de legibus refert. Ideo ne totus ager cineribus deſtinatus videretur, in imis cippis pedum menſuram adnotabant veteres, tum vt, quantus locus à fronte, à latere, à tergo ſeu retro ſacer puruſq; relinquendus eſſet, cognoſceretur, cum etiam vt area ſepulchralis ab omni parte ſuum liberum haberet acceſſum. Quod ſuo tempore in lege dedicationis areę ſepulchralis videbimus; quæ olim Patauij in Buzzacarenorum ędibus, nunc Atheſte apud ſolertiſſimum antiquitatum cultorem, eximiumq; Senatorem Venetum Georgium Contarenum religioſe cuſtoditur.

Fol. 143.

Frons monumenti erat, quæ viam, vel agri limitem tangebat; pars poſterior, quæ agrum reſpiciebat. Pro copia, & anguſtia opum maior, & minor erat ſepulturæ locus; vnde ſuum adeo paruum deſignat Propertius.

2. Eleg. 10.

Deinde

Deinde vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes paruula testa meos:
Et sit in exiguo Laurus super addita busto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.

Monumenti autem pars, quæ agrum respiciebat, illa erat, quam in cippis antiqui denotabant per illas voces. RETRO. IN ARGVM, nec non aliquando IN PARTEM POSTERIOREM: vt aperte hoc Aquileiense monumentum demonstrat, quod legi in ædibus Illustrissimi Comitis Ioannis Iosephi de Strassoldo consanguinei mei omni elogio dignissimi, quas ibi possidet.

L O C V S
S E P V L T V R Æ
G E N T I L I V M
V E T E R A N O R
IN . FR . P . XXV.
I N P A R T E M
P O S T E R I O R E M.
. . . .

Loca tandem frequentiora monumentorum erant secundum viam. Varro de memoria loquens habet. *Monere ab eodem, quod is qui monet, proinde sit ac memoria. Sic Monimenta quæ in sepulchris. Et ideo secundum viam, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos Mortales.* & Iuuenalis. De Ling. Lat. lib. 5. Sat. 1.

—— *Experiar, quid concedatur in illos,*
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Item Propertius. 3. Eleg. 14.

Di faciant, mea ne terra locet ossa, frequenti
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.

2. CÆDIVS] Gentem istam hisce regionibus non fuisse obscuram antiqua saxa demostrant, ac præcipue Gruterianum, quod sub hoc titulo habetur: *Padua in Foro Iulij ex Appiano, & Scardeonio; item Carolo Sigonio, qui Feltriæ extare ait.* fol. 379. n. 5.

F 3 D. M.

D : M
Q. CAEDIVS . P . F . PVB
SEXVIR . TERGESTAE
V . F . VINISIA . Q . F
MAXIMA . VXOR
APVSIDIA . C . F
SECVNDA . MATER
C . CAEDIVS . P . F
FRATER

Fol. 341. Lib. 1. Claß. 4. fol. 63. De Antiq. Iur. Ital. lib. 3. cap. 3.

Sed titulus inſcriptionis huius, quam cum Appiano, Scardeonio & Sigonio Gruterus Patauij fuiſſe ſcribit, animum torquet meum. Neque enim capio, quid Appianus & Gruterus hiſce verbis intelligant, *Patauij in Foro Iulij*: ſiquidem Patauij nullum eſt Forum, Iulij nomine, & minus in Foro Iulij Patauium ſitum eſt; quod olim in Tranſpadana Italia, nunc in Marchia Taruiſina deſcribitur.

EROS Græcum Amoris nomen: vnde ex amabili morum conſuetudine forte Amoris cognomen hic aſſecutus eſt.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 50. Fol. 965. n. 2

Ceterum hoc monumentum cum in paucis variet, idem ſuſpicor, quod Scardeonius apud Diuam Luciam in quadam domo deſcribit, & Gruterus *Ad Diui Luciani* habet.

L . CAEDIVS
L . L . EROS
SIBI ET LI
BERTINAE
ET LIBERTO
. . . . AG.

3 Frag.

3 Fragmento sequenti ab iniuria temporis vindicando omnem operam diligentiamque meam impendi; attamen vix quidquam diuinare integrum fuit. Plura namque verba sunt mutila; quæ, vt integra apparerent, restituere conatus fui, literis minoribus in monumento substitutis, atque vtinam omnibus. Quod si nimis audacter id à me factum est, studio conseruandi eiusmodi monumenta venia dabitur.

AVFIDIVS.] De gente Aufidia nihil Vrsinus. Pauinius eam plebeijs accenset: apud quem consules ex ea cognominantur Orestes, Tucca, Lurco. *1. Fastor.*

STRABO] Cognomen Consulis ex Pompeia familia; fuitque Strabo dictus Cn. Pompeius, Magni Pompeij pater, qui cum Lucio Portio, Catone in Bello Marsico anno ab V. C. DC. LXV. occiso, consulatum gessit; quiq; etiam Asconio nostro teste Transpadanas colonias deduxit. Alterius Strabonis pariter Consulis ex Fannia gente cognomen extat in Fastis, anno ab V. C. DXCIIII. vbi C. Fannius C. F. C. N. Strabo in Consulatu reponitur cum M. F. M. N. Messala, & C. Fannius C. F. C. N. Strabo cum GN. Domitio GN. F. GN. N. Ahenobarbo, anno V. C. DC XXXIII. *Panuin. Cōment. in 1. Fast.* *Comment. in Pisonian.* *Panuin. 1. Fastor.*

Ceterum Strabones cognominabantur illi, quorum oculi peruersi ac detorti erant. Isti tamen tanta oculorum acie pollebant, vt Plinius (quod incredibile fermeque ridiculum est) tradat fuisse Strabonem quendam vocatum, qui præuideret C. XXXV. M. pass., solitumque fuisse *Punico bello, à Lilybeo Siciliæ promontorio, exeunte Classe Carthaginis portu, etiam numerum nauium dicere.* *Plin. Hist. Natur. lib. 7. cap. 14. & lib. 11. c. 73.* *Lib. 7. cap. 21*

4. Q.] QVINTI prænomen, quod litera Q. designatur, ab ordine nascendi desumptum, ex Varr. 2. de Analog. Panuinius docet, non secus ac prænomina SEXTI & DECIMI. Libeat hic tamen cum isto eruditissimo viro obseruare, prænomina iam memorata, vt & illa, Manij, Lucij ac similium, non omnibus qui DECIMI, SEXTI, & QVINTI, vel qui mane, aut prima luce exorti erant, indita esse; sed primum eo numero vel tempore natos; deinceps vero, etiam alios amicitiæ, aut discriminis, aliave nonnunquam de causa istis prænominibus appellatos fuisse. *De Antiq. Nomin.*

POMPONIVS.] Pomponiam gentem plebeiam facit Vrsinus, quamuis eam cum Plutarcho à Pompone Numæ Pompilij Regis filio originem duxisse demonstret. Panuinius vero, & Patriciam, & Plebeiam ostendit: Patriciam his verbis: *Post Numam Pompilium Regem fuerunt familiæ patriciæ minorum gentium hæ: Pompilia, Calpurnia, Pomponia, Mamercia;* quod ipsum forsan cum Plutarcho innuit Vrsinus minorumque gentium loco, vti est apud Panuinium, plebeiam Pomponiam gentem vocauit. Plebeiam vero idem Panuinius declarat, vbi *De Famil. Roman.* *De Antiq. Nomin.*

gen-

gentes Romanæ plebeiæ ante Augusti Cæsaris tempora literarum ſerie enumerantur. Quidquid ſit, Conſularis hæc familia fuit, neque multis tantum Conſulibus, ſed doctiſſimis etiam viris illuſtris: inter quos Sex. Pomponius Iuriſconſultus, de quo in Alexandro Seuero, cui vir iſte cariſſimus fuit, hæc Lampridius: *Et vt ſcias, qui viri in eius conſilio fuerint, Fabius Sabinus, Sabini inſignis viri filius, Cato temporis ſui; Domitius Vlpianus iuris peritiſsimus, Aelius Gordianus Gordiani Imperatoris pater, & ipſe re vera vir inſignis, Iulius Paulus iuris peritiſsimus, Claudius Venatus orator ampliſsimus, Pomponius legum peritiſsimus.* In Alex. Seuer.

SEVERVS] Cognomen hoc à moribus tractum eſſe, facile patet: nam Seuerum à ſæuo Cornelius Fronto deriuat.

ET. LIB. OMNIB.] Affectus Domini eximius in ſuos libertos, cum quibus ius ſepulchri commune voluit.

T. F. I.] TESTAMENTO FIERI IVSSIT omnes explicant, vt ſæpius expreſſum videbimus.


IN ÆDIBVS BASSANORVM.

IN hoc ipſo vico paulo vlterius progredienti ædes occurrunt, vulgo *La caſa de' ſpecchi* appellatæ, à politiſſimis orbibus porphyreticis, iaſpide, alijſque pretioſi marmoris ſpeciebus, quibus vndique nitent. Ædes hæ olim Magiorum Baſſanenſium, Patauij non obſcuro genere natorum, fuere. Quos inter Alexander iunior, ad præclari Iuriſconſulti Alexandri ſenioris diſcrimen, ſumma cura & impenſa non ſolum eas ſuperbe ornauit; ſed vt antiquitatis ſtudioſiſſimus, ac peritiſſimus erat, nulli parcendo labori, diligentiæ, & diſpendio, in eis adeo multa antiqua monumenta intus, foriſque repoſuit & collocauit, vt, quiſquis externos parietes, veſtibulum, aream, hortumq; tanto monumentorum numero conſpexerit refertum, non immerito miraturus ſit, qua ratione priuatus, nec magnæ fortunæ vir tam amplam monumentorum ſupellectilem ſit adeptus. Quæ namque heic non ſunt columnarum fragmenta vaſtæ magnitudinis? vrnæ marmoreæ, inſcriptiones Græcæ, Latinæ, alijſque linguis memorabiles? & quid non antiquitatum? ita vt vulgus noſter T. Liuij ædem & credat, & nuncupet. Etſi vero Alexandri heredes domicilium hoc Bucinellis ciuibus Patauinis in emphiteuſim conceſſerint, omnia tamen ferme, quæ Alexander collegit, in hunc vſque diem ſunt integra.

I



II



III



Jo. Georg. sculps.

IV




V



VI



VII



Io. Georgi fecit.


VIII



IX



X




XI



G. Georgi f.


XII



XIII



XIV



XV



Io. Georgi fecit.


XVI
V · F
Q· MVSTIVS
EVSEBES SIBI
ET CAETRONAE
PROCVLAE VXORI
ET SAVFEIO NIGRINO
FILIASTRO
POSTERISQ SVORVM
LOCO · PRIVATO
IN· F·P· XXX
IN·A·P· XXX.
XVII
CH·
ALEX.
MIL. A. XXVII.
M.TITIVS
HONORATVS·HER.
III· APOL.
B · M · P ·
XVIII
M
M
M·AVRELIO
MARCELLINO
CONIVGI
DVLCISSIMO
SAVFEIA
CRISPINA
CONIVX
XIX
D
M
P· MARIO· NI
GRO· CORVI
NA· NI· CON.
VIX·AN·LXII
MIL·AN· XXV
III·AESCVLA
PIO
ASCLEPIO
DOTI
Io. Georgi fecit.




XX


D. M.
Q. OCTAVIO
ATHICTO
AFRONIA. FESTA
VXOR MARI.
Q. OCTAVIVS
PRISCIANVS
Q. OCTAVIVS
LABERIANVS
P. F.


XXI


M. D. M.
IN MEMOR.
LVSIAE L. FIL.
TERTVLLINAE
SACERD. DIVARVM
MATRIS SVAE
SEX. APPVLEIVS MARCELL.
D. D.

XXII


C. LVSCIVS
QVADRA
TVS. SIBI ET
INSTEIAE MA
XIMAE VXORI
ET FILIIS SVIS
V. F.
L. LVSCI
VS. VÆNS
H. S. E. AN.
XIX. M. II.
D. XIII
LVSCIA
QVADRA
TILLA H S EST
ANN. XXV
M. IX D. XXIII


XXIII
Q·AETRI ROM
MACER·MIL COR.
X·PRAETOR E
XXIII
XXIV
AETRI
CER·MIL
PRAETOR
ACVTIO
MARCELLO
M·F·
XXIV
M·ACVTIO·M·F·ROM.
MARCELLO·C·ACVTIO
M·F·ROM.
SECVNDO
Io. Georgi fecit.



I	II	III	IV
ΔΙΑΒΑΙ	ΤΟΥ	ΠΕΡΑΣ	ΤΡΟΙΑΣ
ΝΟΝΤΟΣ	ΑΙΝΕΙΟΥ		ΑΛΟΥΣΗΣ



29 30

C . ASCONIO . C . F.
FAB . SARDO
IIII VIR I. D.
PRAEF . FABR.
FRATRI
CVSINTAE M . F.
SARDI MATRI
ET SIBI
ASCONIA . C . F.
AVGVRINI
SACERDOS
DIVAE DOMITILLAE

: ATILIVS
LACHES ET
ATILIA . PHOEBAS
PIENT . B . M . P.
QVI LEGIS . T . VALE.

31

TERENTIA
T . F .
SEVERA
Q.MINVCIO.F.

I T. AV-

32

T. AVRELIVS. T. L. FELIX.
VIVOS. FECIT. SIBI.
ET. LIBERTIS. SVIS.
OMNIBVS. ET.
CONLIBERTIS. SVIS.
ET. CONLIBERTAE.
GRATAE. SVAE
IN. FR. P. XVI. IN. ARG.
P. XX
MON. H. M. N. S.
DIS. MANIB.

33

MEMINIA
SIBI. ET. LEPONIAE
M'. Q. LEPONIORVM
ET. VNICAE. MATRI. SVAE
VIVA. FECIT. LOC.
SEPVLTVRAE. IN. FRON.
TE. P. XV.

. . . .

34

M. ARRVNTIO
M. F. TER. AQVILAE
III. VIRO. A. A. A. F. F.
QVAEST. CAESARIS
TRIB. PL. PRO. COS.
XV. VIRO. SAC. FAC.
FILIO

35

D. M
L. SEPVELLIO P. L.
FLORENTI
CAECILIO OLCRENI
C. CASTRITIO C. L.
CALVIONI
CASTRITIAE C. L. EVCHI
C. CASTRITIO. Ↄ. L.
MARTIALI
LOC. SEPVLT.
SIBI ET SVIS
L. DOMITIO THEOPHILO
IN FR. P. XX. RETRO. P. XXV

HA.

36

HATERIAE
FELICITATI
AN . XXXIII
HATERIA
IVSTINA . MATER
ET . T . FL . HYGINVS
MARITVS . P

37

L . ARRIVS . T . F.
SEX . VIR
OPITERGI
SIBI . ET . SVIS
T . F . I.

38

M . LAEPO
NIVS . Ↄ . L.
SVRVS
SIBI ET
A II
A . . SVRI . L.
A . . . LAE
. . . PONIO
. . . . . . E

39

C . LVCILI . P . F.
FAB . XX . P . QV
OQVO . VERS.
FAMIL . QVE
EIVS . POSTER.

40

C . MANLIVS
GIBBAE . L
PRIAMVS
QVAESSI . SEMPER.

41

VALERIA MATER
ET . VALERI.
. . RIONI
. . LIBERTO
IN . F . P . XX . RE . P . L.

42

M E R C V R I O
A V G . S A C R.
I N . M E M O R I A M
C . LARTI . TAVRINI
FILI . POSVIT
E L I A M A X I M A
MATER . L . D . D . D.

43

VIVA F. S. ET. S. L. CAETRO
NIO. L. L. ANDEROVDO. VIRO
L. CAETRONIO. L. F. FIRMO. F.
CAETRONIAI. L. F. PRIMAI. F.

44

POPPIA CAVALERINA . ET . ATIC. .
MARCELLVS . QVIET . . ARSINOO. .
AB SOLO FABRICAVERVNT N CCC. .

45

CIPIA . P . F . SECVNDA
FIEREI . IVSSIT.
LOCVS. IN. FRONTE. P. XX
IN AGRVM . P . XXV.

46

. . C . F . FAB . SA . .
. . DO . P . CESTI . .
. . BRIO . DEXTRO . .
. . DVCENIO
. : S : PROVINCIA . :

47

. . P . AVRELIVS
. . E N O D O T V S
. . T . EX . 7 . SIBI . ET.
ELIAE . AQVILEIAE
CONIVGI . DVLCISS.
VIVVS . POSVIT

P. MAN-

48

P . MANLIVS SVRVS P . F . III . V . CAP.
ET POMPONIA . GN . F . MARITALI . CO
NCORDIA INCOMPARABILES . S . V . P.
HAC . F . SINE . VLLA . PENA VT SVPERS
TES ROSIS . S . IACENTIS QVOT
AN KAL . IVN . EXORNET . HICQ . CVM
SVR . OMNIBVS EPVLETVR . QVOS MO
RIENS DAMNET AD TALE POSTEROS
QVI SVPERERIT . HVC DEFVNCTVM
NICHILO IMMVTATO . QVOD AD COR
PVS ATTINET COMITETVR . QVAN
. . . ST OMNIBVS IMMVTABILI . F . L.
. . . IDVM N . S . H . M . NAN . VT
. . . . . ORVM ANIMVS STETIT ITA
. . . . . TVORVM CINIS . H . IACEAT.

49

C . BRICENIO C . F.
CLEMENTI . S . ET.
COELIAE . VOTIENAE
. VXORI
LOCVM DEDIT
SALVIO . NIGELLO
ET.
SALV . IVCVNDAE

50

P. FLAVIVS Q. F. ROM.
STABILIS
ADLECTVS. DECVR.
SIBI. ET
P. FLAVIO. P. F. FESTO
FILIO ADLECTO DECVR
ET
FLAVIAE. TERTIAE
VXORI . T . F . I.

51

D . M .
FLAVIAE . QVIN
TILLAE . P . Q . F . ET
L . CVRVLLO CON
IVGI IMPACIENTIS.
VNA . H . SVPERSTI
TI . P . QVINTILLVS
VIX DOLORE . V.
ET . S . H . M . P . C


52

C . CAESIDI HERME
ROTIS. ET . CAESIDI
AE . HORAE . LI
BERTAE ET COIVGI
V . . .

53



54



55

C . TITIVS . STELAN.

56

M . A G R I P P A

. . . .

57

. . . I . TRA . .

. . IERV . . . . .

58

. . AE . . ALE . . LIO

. . RIB . . POTE . . .

. . .

59

I N . F . P.

X I I I . I N

AG . P . XXX

60

. . CVRATORIS . .

. . ILLYRICI . .

. . . .

61

ΕΙΠΕ ΚΙΩΝ ΤΙΝΟΣ ΑΝΔΡΟΣ ΕΦΕΣΤΩΣ ΣΗΜΑ ΦΥΛΑΣΣΕΙΣ
ΤΟΥ ΚΥΝΟΣ ΑΛΛΑ ΤΙΣ ΗΝ ΟΥΤΟΣ ΑΝΗΡΟ ΚΥΩΝ
ΔΙΟΓΕΝΙΣ ΓΕΝΟΣ ΕΙΠΕ ΣΙΝΩΠΕΥΣ ΟΣ ΠΙΘΟΝ ΩΙΚΕΙ
ΚΑΙ ΜΑΛΑ ΝΥΝ ΔΕ ΘΑΝΩΝ ΑΣΤΕΡΑΣ ΟΙΚΟΝ ΕΧΕΙ

ACCI- ...

1. ACCILIA] Libertæ nomen desumptum ex familia, in qua libertatem adepta est. Accilia enim gens plebeia fuit, testibus Vrsino & Panuinio, Consularis tamen; & in ea Consules cognomine Balbus & Glabrio. *De Famil. Rom.* *De Antiq. Nom.*

CARTORIO] Cartorij nomen, quo aliud Patauij monumentum habemus insignitum, familiæ olim Patauij nobilissimæ cognomen fuit. Cuius originem splendidissimæ Maltrauersorum familiæ adscribit tum Ioannes de Nono, cum Scardeonius: vnde Cartorium villa, vulgo *Carturo*, hodieque nomen seruat: cui gens Cartoriorum ratione meri, & mixti imperij præfuit: donec sæua Eccellini Tyranni immanitate, Guilielmo Cartorio carceris squallore absumpto, filijsque ipsius Guilielmo & Eccelino publice securi percussis, familia hæc penitus euersa fuit. *De Famil. Patau. M.S. in membr.* *Lib. 3. Class. 13.* *Scard. ibi.*

Non BASSIO nec SIRTO vt Scardeonius, sed BASIO & SCIRTO habet saxum. *Lib. 1. Class. 4. fol. 74.*

2. SEMPRONIVS] Sempronia gens patricia primum fuit, postea ad plebem traducta est; quemadmodum notat Vrsinus, cui Panuinius consentit. In patricia consules multi Atratini semper cognominati; in plebeia varij, sed varijs etiam cognominibus: vt Sophus, Tuditanus, Longus, Blæsus, Gracchus, Asellus. *De Famil. Rom.* *De Antiq. Nom.* *1. Fastor. 1. & 2. Fast.*

VIVOS] Pro Viuus scripsisse veteres, indicant hæc Fabij: *Quid O atque V permutatæ inuicem? vt Hecoba, & Notrix.* Quod confirmat Festus: *Sed antiqui quatenos dicebant*, quod nos quatenus: quem etiam in modum Plautus. *Instit. Orat. lib. 1. cap. 4.* *Lit. Q.* *Persa Act. 4. Scen. 3.*

Eleusipolim Persæ cepere vrbem in Arabia
Plenam bonarum rerum, & antiquom oppidum.

Et Lucretius. *De Rer. Natur. lib. 5.*

Aere solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus, & volnera vasta ferebant.

Quem scribendi modum Vmbrorum fuisse, in diuersorum ad Plautum adnotationibus indicat Clarissimus Marcus Zuerius Boxhornius, in primum prologi Amphitruonis versum: *Margini adscripsit MS. Palat. tert. Lingua Vmbrorum vertit O in V. Hetrusca contra: A in V.*

CLODIAE] Hoc est Claudiæ: nam hæc gens Clodia, etiam Claudia dicta fuit Vrsino teste. Claudiam vero gentem idem in Patriciam minorum gentium, & Plebeiam discriminat: ex illa fuisse Pulchros; ex ista Marcellos, sed clariores demonstrat. Panuinius vero huius gentis patriciæ principem facit Actium Clausum, qui ex Regillo Sabinorum Oppido Romam commigrauit, ac ipsam gentem in Sabinos, Regillenses, Crassos, Crassinos, Cæcos, Pulchros, Caudices, Centones, Nerones, Hortatores, & Rufos distinctam ostendit. Plebeiam vero à quodam Claudio gentis patriciæ cliente ortam *Famil. Rom. fol. 200.* *Vrsin. in Gent. Claud.*

De Antiq. Nom. nec potentia, nec dignitate, patricia minorem, in Marcellos, Glitias, Æſerninos, Flaminios, Aſellos, Rufos, Caninos diuiſam refert.

Verum Suetonius patriciæ Claudiæ gentis auctorem Titum Tatium *In Tiber. cap. 1.* conſortem Romuli, ſeu Attam Claudium dicitque quem nonnulli Actium Clauſum nominant. Hæc gens, ipſo Tranquillo monente, *Lucij prænomen conſenſu repudiauit, poſtquam e duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus eſt.* *Loco cit.*

VXORI CLODIÆ SECVNDÆ] Non ſecundæ Vxori, vt aliqui credunt, ſed ſecundæ filiæ ad diſtinctionem Clodiæ primę.

Lib. 1. Claſſ. 4, fol. 73. In hoc monumento, quod apud Scardeonium extat, Q. E. PIMVS. ſculptum eſt, pro Q. F. PRIMVS. In locum vero illorum verborum, ILLI DEOS IRATOS QVOS OMNES CVIVNT SI QVIS VIOLARIT, ſic reſtituendum ex lapide ipſo: ILLI DEOS IRATOS QVOS OMNIS COLVNT SI QVIS DE EO SEPVLCRO VIOLARIT. quæ pariter in monumentis *Sacroſanctæ Vetuſtatis Petri Appiani, & Bartholomæi Amantij* reponenda ſunt: apud *Inſcript. Ital. fol. 339* quos legitur, ILLI DEOS IRATOS QVOS OMIS, ſed reliqua deſiderantur, vbi etiam in principio monumenti G. in C. mutandum eſt.

3. OPPIO] Oppia gens plebeia, in qua claruit C. Oppius Tr. Pl. qui de matronarum habitu legem tulit: *Ne qua mulier plus ſemunciа auri haberet, neu veſtimento verſicolori vteretur, neue iuncto vehiculo in vrbe, oppidoue, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa veheretur:* vt notat Paulus Manutius. *De legibus.*

RVTILIÆ] Hanc gentem plebeiam tantum Panuinius facit, & ex illa Conſules Lupum, Rufum, Craſſum, Caluum cognominatos dicit: at Vrſinus eam in Patriciam & Plebeiam diſtribuit; obſeruatq; ex Valerio Maximo Cenſorinum, ex numiſmatibus Flauum cognomina Rutiliorum fuiſſe. *De Antiq. Nom.* *Fam. Rom. fol. 228.*

CASSIÆ] Patricia, & Plebeia hæc gens fuit: Patricia conſulares ſimul & triumphales viros habuit, Viſcellinos cognominatos; plebeia Conſulares, Longinum, Varum, Rauillam, Kalenum. Et cum de Caſſia gente mentio incidat, non omittendum cenſeo, illam, etſi plebeiam, floruiſſe quoque Patauij: prædicat enim Suetonius fortitudinem Caſsij Patauini, in exilium ab Octauiano Auguſto eiecti, quod libero animo mortem ipſi comminari eſſet auſus: *Iunium Nouatum, & Caſsium Patauinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exilio punire ſatis habuit: cum ille Agrippæ iuuenis nomine, aſperrimam de ſe epiſtolam in vulgus edidiſſet: hic conuiuio pleno proclamaſſet,* Neque votum ſibi, neque animum deeſse confodiendi eum. Hic Scardeonio fuiſſe Lucius prænominatus videtur; verum nudo Caſsij Patauini nomine apud Suetonium inuenitur: & cum de eo alio in loco memoria non *In Auguſt. cap. 51.* *Lib. 1. Claſſ. 3.*

ex-

extet, quomodo Lucij prænomine vsus sit, nescio, siquidem duos illos alios Cassios, quorum eodem capite meminit Sardeonius, Patauinos extitisse, asserere non audeo; cum nec Cæsar loco à Scardeonio citato Cassium Patauinum dicat, sed *Q. Cassium Tribunum Plebis*; nec Tacitus aliud habeat, nisi hæc tantum verba: *Iussu Imperatoris à Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur, vincitur que.* De Bell. Ciuil.lib.2. Annal.lib. 15.

T. F. L.] Hoc est TESTAMENTO, vel TITVLVM FIERI LEGAVIT.

FACIVNDVM] Hoc modo scripsisse veteres, ex Gn. Cornuto auctor est Cassiodorus. *Lacruma, an lacrimæ, maxumus an maximus, & si quæ similia sunt, quomodo scribi debent, quæsitum est. Terentius Varro tradit, Cæsarem per I eiusmodi verba solitum esse enuntiare, & scribere: inde propter auctoritatem viri consuetudinem factam: sed ego in antiquioribus multo libris, quam Caius Cæsar est, per V pleraque scripta inuenio. Optumus, intumus, pulcherrumus, lubido, dicundum, faciundum, maxumæ, monumentum, contumelia, minumæ.* Vnde Lucretius. De Ortographia Rat. De Rer. Natur.lib.6.

Nunc ratio reddunda, agmen cur nesciat æquor.

4. ↄL.] Hoc est CONLIBERTO; Conliberti enim, qui simul liberati erant, vt omnibus notum est, vocabantur.

GALLAI.] Pro GALLAE: sic enim ex Papyriano Cassiodorus: *Ae syllaba, quam nunc in fine sermonis diphtongon scribimus, vt cogitationes magnæ, apud antiquos per ai scribebatur, vt esset distractio genitiuorum à datiuis. Nam genitiuo hanc diuisionem dabant, vt non esset syllabis similis datiuo, si trisyllabus inueniretur, vt Magnai, Asiai, Aulai, rugai, ferai.* Ideo Lucretius. De Ortogra. ph.Cap.4. De Rer. Nat.lib.5.

Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Sustineat corpus tenuissima vis animai?

Et Virgilius. Aeneid.lib. 6.

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Inscriptionem istam nullo verbo immutato, sed aliquibus omissis, geminam dat in ijsdem ædibus Scardeonius. Lib. 1. Class. 4.fol.72.

5. LEMONIVS] Fortasse gens ista Lemonia à pago Lemonio dicta, quemadmodum & Tribus Lemonia, Festo auctore, *à pago Lemonio appellata est, qui est à porta Capena via Latina.* Lit. L.

MOLLO] Cognomen forte, à voce Greca Μαλακὸς deprompptum, quod lenem, mitem, placidum, mollem significare valet.

6. D. M.] Id est DIS MANIBVS. *Manes Dij ab auguribus vocabantur, quod eos per omnia manare credebant: eosque Deos superos & inferos dicebant*, obseruatione Festi. At Platonici, ex quibus præci- Lit. M.

puus Apuleius, exiſtimarunt Manes nil aliud eſſe, quam animas hominum corporibus functas. *Eſt*, inquit, *ſpecies Dæmonũ, ſiue geniorum, animus humanus emeritis ſtipẽdijs vitæ corpore ſuo abiurans: hunc vetere lingua Lemurem reperio dictitatum. Ex his qui poſterorũ curas ſortitus pacato ac quieto numine domũ poſſidet, Lar dicitur familiaris; qui vero ob aduerſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus Laruas pleriq. perhibent*. Cum igitur eos Deos crederent, vt placatos haberent, D.M. ſepulcra inſcribebant. Alij ſimpliciter Deos Manes Deos inferos interpretãtur, ſub quorũ poteſtate erant. Acron in Horatiũ: Dij Manes, Dij boni, à manum, quod eſt bonum. Seruius ad Virgilianum illud,

De Deo Socrat. *Aeneid. 3.*

——— ſtant manibus aræ,

Cæruleis mœſtæ vittis, atraque cupreſſo

per antiphraſim ait Manes eſſe Deos Inferos, quia non ſint boni. His ter in anno ſacrificabant veteres: poſtridie Vulcanalia; ante diem tertium Nonis Octobris; & ante diem ſextum Idus Nouembris; eoque tempore nihil in Republ fieri volebant, niſi ſumma exigente id neceſſitate.

Lil. Greg. Gerald. De Dijs gent. ſyntag. 7.

8\. FANNIO] Fannia plebeia quidem gens, attamen conſularis; in eaq; conſules cognomine Strabones. De hac plura qui velit, Traſeæ Pęti vitam ab acutiſſimo comite Iacobo Zabarella Patauino Hetruſco ſermone deſcriptam legat.

Panuin. de Nom. Antiq.

FELICI] Cognomen a fortuna natum Sigonius oſtendit.

De Nom. Rom.

PATRONO] *Patronus ab antiquis cur dictus ſit, manifeſtum: quia vt patres filiorum, ſic hi numerari inter dominos clientum conſueuerunt*: ita Feſtus: hoc eſt ſicuti filij patres, ita clientes eos, in quorum tutela erant, patronos appellabant. Romulus autem patronorum fuit auctor, vt Halicarnaſſeus docet. *Patricijs autem plebeios commendauit, vnicuique de plebe libera optione data, vt ſibi quem vellet patronum eligeret*. Ex quo etiam colligo munus patronorum fuiſſe clientibus ſuis tam publicè quam priuatim omnem quietem procurare, atque pręſidio, & quacumque ope eos ſemper tueri. Nec plebs tantum in ipſa Vrbe ſub patronorum tutela erat, verum ẽtiam Coloniæ Romanorum, & ciuitates, quæ ſocietatis, amicitiæ, aut belli cauſa ſe populo adiunxerant Romano, patronos habebant ſuos, & ſæpe harum vrbium, & gentium controuerſiæ ad patronorum iudicium remittebantur; quod Senatus ratum habebat. Vnde Cicero: *Primum omnis Pompeianorum, colonorumque diſſenſio delata ad patronos eſt, cum iam inueteraſſet, ac multos annos eſſet exagitata*. Ceterum clientes erga patronos mutuis beneficijs ſe oſtendebant promptos; &, ne vna pars ab altera vinceretur, nullum miniſterium patronorum cauſa recuſabant; ita vt mutuo amore patroni, & clientes coaleſcerent. Quare apud Ciceronem colonos, qui ſub patrocinio L. Syllæ erant, videmus

Lit. P. *Antiq. Rõ. Lib. 2.* *Dionyſ. Antiq. Rom. lib. 2.* *Orat. Pro L. Sylla.* *Dionyſ. ibi.*

mus pro sui patroni conseruatione anxios: *Atque hoc Judices ex hac frequentia colonorum, honestissimorum hominum, intelligere potestis: qui adsunt, laborant, hunc patronum, defensorem, custodem illius coloniæ si in omni fortuna, atque in omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus iacet, per vos tutari conseruariq; cupiunt.* Cicer. Loco citat.

Saxum extrema tituli parte mutilum, vbi nil aliud quam . . . NIAE. C. L. conspicitur, interpretor FANNIAE CAI LIBERTAE; quod conijci potest etiam ex huius monumenti, etsi vnicum sit, duplici delineatione, quam in domo ista Scardeonius exhibet: vbi vno loco id mutilum, prout est, alio vero integrum describit. Lib. 1. Class. 4. fol. 70. & 74.

9. P. SERVILIÆ] Mulieres vetustissimis temporibus prænomina habuisse, præter ea, quæ habent Sigonius & Panuinius, hoc saxum testatur; in quo Seruilia mulier PVBLIAE prænomine decoratur. Postremis vero Reipub. temporibus mulieribus prænomina minus frequentia fuere imposita; tandem penitus sublata sunt. De Nom. Rom. De Nom. Antiq.

SERVILIÆ.] Alba excisa gens Seruilia in Ciuitatem Romanam à Tullo Hostilio Rege adscita fuit, anno ab V. C. XXCV. regni eius IV. Is enim, Liuio teste, *Principes Albanorum in patres, vt ex quoque pars Reipub. cresceret, legit: Tullios, Seruilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Cloelios.* Liuio subscribunt Vrsinus & Panuinius; hoc tamen discrimine, quod in Panuiniano Codice IVLIA legitur; nisi typographi errore pro TVLLIA irrepserit IVLIA. Vrsinus hanc familiam in patriciam, & plebeiam distinctam fuisse obseruat. Quicquid sit, gens ista stante Repub. fuit clarissima, cum in ea fasti, & Consules, & Dictatores, & Magistros equitum, itemq; Tribunos militum consulari potestate enumerent. Fastor. lib. 1. Histor. lib. 1. De Famil. Rom. De Antiq. Nom. Fastor. lib. 1.

SEXTILIA.] Hanc gentem plebeiam fuisse satis superque ex Liuio constat: qui, dum Velitris expugnatis, ac Præneste in deditionem recepto, comitia tribunorum militum consulari potestate commemorat, ait: *æquatus patriciorum, plebeiorumque numerus* fuit; subditque: *ex patribus creati P. & C. Manlij cum L. Julio: plebes C. Sextilium, M. Albinum, L. Antistium dedit.* Ex hac gente Sextilia, Virginem quandam Vestalem, ob incestum damnatam, viuam fuisse defossam, auctor est, qui Liuij epitomen concinnauit: quam à nostra Sextilia diuersam fuisse verisimile est. Histor. lib. 6. Lib. 14.

VIR. VEST.] VIRGO VESTALIS. Virgines Vestales primus Numa Pompilius Rex instituit. Hæ sacrum ignem custodiebant, Vestæq; operabantur. Vesta quid esset, docuit Cicero. *Cumque Vesta quasi focus vrbis, vt Græco nomine est appellata, quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus, conspecta sit, ei colendæ virgines præsint, vt aduigiletur facilius ad custodiam ignis, & sentiant mulieres in natura fœminarum omnium Deum castitatem pati.* 2 De Leg.

Si ignis inertia virginis, quæ ipſius curam gerebat, extinctus fuiſſet, inuoluta linteo, in obſcuro, & vmbroſo loco flagris cędebatur: quod etiam fiebat, quando earum aliqua quocunque modo deliquerat, inceſtu excepto. Huius enim criminis rea Veſtalis, lecticæ impoſita, ac velata, loriſque reuincta, ita ne vox audiretur, per forum tacite, & cum mœrore in ſceleratum campum delata, viua defodiebatur.

Veſtales primum à Numa quatuor inſtitutæ fuere: Gegania, Beremia, Canulla, & Tarpeia: at temporis progreſſu, populo in ſex partes diuiſo, vt quæuis pars Veſtalem miniſtram ſacrorum haberet, duæ fuerunt additæ: quarum præſes Maxima dicebatur. Sed de Veſtalibus plura qui cupit, A. Gellium, ceteroſque Romanarum rerum ſcriptores conſulat.

Noct. Attic. lib. 1. cap. 12.

In hoc eodem ſaxo ſculpta conſpicitur biga muliere aurigante, cui alia innititur: quod quid ſibi velit, non ita planum video. Ceterum cum in monumentis honores, dignitates, animi ſymbola & ſimilia inſculpta fuiſſe ſciam, exiſtimo ſignum eſſe illius honoris ac venerationis, qua apud Romanos Veſtales decoratæ erant. Ipſis namque carpentum honoris gratia conceſſum fuiſſe, teſtis eſt vindex antiquitatum ſupremus, Iuſtus Lipſius, Syntaxi de Veſta & Veſtalibus; cuius verba ita ſonant: *Sed addo & pilento ſiue carpento plurimum vectas.* Et ad illa Taciti verba, *Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altius, Carpento Capitolium ingredi: qui mos ſacerdotibus, & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat fœminæ*, ſubdit ipſe: *Sacerdotibus nempe iſtis Veſtæ.* Vnde Veſtalibus venerationis gratia carpento vti licebat: quod lege Oppia alijs Romanis mulieribus vetitum erat, niſi ſacrorum cauſa, vt obſeruauimus in gente Oppia. At cum non carpenti, ſed vehiculi forma in ſaxo exprimatur, hoc profectò me dubium, anxiumque reddidit. Dicere tamen fortaſſe licet, non vbique Virginibus Veſtalibus carpentum conceſſum fuiſſe, ne Romana maieſtas, quæ venerationem ab hominibus, ſed non imitationem expetebat, vileſceret potius, quam coleretur; & ideo Patauinas Veſtales carpenti loco vehiculo vti conſueuiſſe. Quod autem Patauij quoque Veſtales fortaſſe fuerint, ſuggeſſit mihi eruditiſſimus Octauius Ferrarius, Mediolanenſis, in Patauino Gymnaſio politiorum literarum ſummus, & eximius interpres, vir ob præclaras virtutes, & ſingularem morum amœnitatē aſſidua à me veneratione cultus. Si enim, dixit ille, Patauij tantus Equitum ordo fuit, vt teſte Strabone, *in ea cenſi ſint quingenti equeſtris ordinis viri*; Si Amphiteatrum, quod priſca voce adhuc *l'Arena* dicitur, tam amplum, quam veſtigia etiam hodie demonſtrant; Si campus Martius, vulgo *Prato della Valle*; ſi Templa Concordiæ, Iunonis, Cereris, Rheæ vt Romæ fuere, cur non etiam, Veſtales, quæ ignem ſacrum, ſeu Veſtam, quaſi focum vrbis, vt habet

Cap. 11.

Tacit. Annal. 12.

Lipſius loco cit.

Paul. Manut. de Legib.

De Situ Orb. lib. 5.

Cice-

Cicero, Palladium ac Deos Penates custodirent, fuisse credamus? Adde ego, quid obstitit, quo minus & nos mores, ritus, ac sacra Romanorum seruaremus, quæ illi ex Troiano instituto colebant, cum æque ac ipsi Phrygio sanguine fuerimus prognati. Imo si Palladium à Vestalibus custoditum Troiana Minerua erat, Lucani fide, 2. De Legib. Pharsal. lib. 1.

Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.

minime dicere verebor, nos origine Troianos Palladium habuisse, ideoque Vestales ipsas, quæ illud custodirent. Adhæc eximie meæ fauet opinioni Theano Antenoris vxor, quæ Troia relicta, cum marito, & liberis in Euganeos venit; vt notat Seruius ad illud Virgilij, Aeneid. lib. 1.

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis.

Eratque Troiæ Homeri sententia Sacerdos Palladis, Palladioq; ministrabat. Cum Hecuba enim, vt ipse ex versione Henrici Stephani ait, Palladis templum accessisset, Iliad. lib. 6.

Ei fores aperuit Theano pulchras genas habens,
Cissei filia vxor Antenoris equorum domitoris.
(Illam enim Troiani fecerunt Mineruæ sacerdotem)

Ex his igitur Patauij fuisse Vestales credere licet. Quonam vero loco Vestam ac Palladium coluerint, sine rubore fateor me ignorare; cum post tot, quæ hæc ciuitas passa est excidia, vix sit, qui affirmare possit: Hic Patauium fuit. Si quis vero putet, hanc bigam currum esse agitatorum, dicat mihi quæso, quid Vestalibus cum agitatoribus? & quomodo duos agitatorum currus caperet? eique lubens acquiescam: quamuis incertus adhuc hæream, num figuræ, quæ in vehiculo visuntur, mulierum sint, adeo imagines ipsa vetustate obtritæ sunt.

10. AVR.] Prænomen AVRELII desumptum est, teste Panuinio, ex familiarum nominibus. De familia vero Aurelia sic Festus: *Aureliam familiam ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant: quod ei publice à populo Romano datus sit locus, in quo sacra facerent Soli.* Nomina autem familiarum quando pro prænominibus vsurpata sint, cum Panuinio superius tradidi. De Antiq. Nom. Lit. A.

VET.] VETVRIA lego; quod nomen est Tribus decimæ nonæ, à gente Veturia sic dictæ; quæ antea, si Rosino credendum, Vetusia vocabatur. Rustica Tribus fuit. Rusticæ vero Tribus omnes Vrbanis nobiliores fuerunt; cuius rei in suo *de Re Rustica* talem reddit rationem M. Terentius Varro: *Viri magni nostri maiores non sine causa* Antiq. Rõ. lib. 6. c. 15. Lib. 2. in Præf.

 præ-

præponebant ruſticos Romanos vrbanis. Vt ruri enim, qui in villa viuunt, ignauiores quam qui in agro verſantur in aliquo opere faciundo: ſic qui in oppido ſederent, quam qui rura colerent, deſidioſiores putabant. Itaque annum ita diuiſerunt, vt nonis modo diebus vrbanas res vſurparent, reliquis VII vt rura colerent. Quod dum ſeruarunt inſtitutum, vtrumque ſunt conſecuti, vt & cultura agros fœcundiſsimos haberent, &

Hiſt. Nat. lib. 18. cap. 3 *ipſi valetudine firmiores eſſent.* Ideo Plinius: *Ruſticæ Tribus laudatiſſimæ eorum, qui rura haberent: Vrbanæ vero, in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ, probro.* Propterea in Vrbanis Tribubus, tanquam ignobilioribus, liberti, prout iam diximus, ſuffragia ferebant.

SEPTIMIVS] Gentem iſtam à Septimo denominatam, plebeiam Panuinij teſtimonio deprehendere licet.

PROCVLVS] Huius cognominis Feſtus duplicem rationem

Lit. P. his verbis aſſignat. *Proculum inter cognomina cum dicunt, qui natus eſt patre peregrinante à patria procul. Proculos ſunt qui credunt ideo di-*

In Marc. Coriol. *ctos, quia patribus ſenibus, quaſi procul progreſsis ætate nati ſunt.* Verum Plutarchus Proculos tantum cognominatos putat, qui abſente patre editi fuere.

Lit. H. HEREDES.] *Heres apud antiquos pro domino ponebatur*, vt

§ Item extran. de Hered. Qual. & diff. L. Heredit. ff. de Regul. Iur. Feſtus ait. Ideo iuriſperitorum ſententia heredem inſtituere, nil aliud eſt, quam deſignare aliquem bonorum ſuorum poſt mortem futurum dominum, quia heres proprie eſt ſucceſſor in vniuerſum ius, quod defunctus habuit; iſque vocabatur apud antiquos ex aſſe heres,

Antiq. Rō. lib. 1. vnde Dionyſius: *Alij dicunt Aenea defuncto Aſcanium ex aſſe regni heredem relictum*: & Martialis

L. 7. Epigr. 65.

> *Heredem Fabius Labienum ex aſſe reliquit:*
> *Plus meruiſſe tamen ſe Labienus ait.*

Cumque ex aſſe heres eſſet, ad quem ſolum hereditas tota deuoluebatur, ideo veteres aſſem in partes diuidebant: quod Suetonius Cæ-

In Iul. Cæſ. cap. 83. ſaris teſtamento demonſtrat. *Sed nouiſsimo teſtamento tres inſtituit heredes, ſororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q.*

Cap. 101. *Pedium ex quadrante: reliquos in ima cera.* Et in Auguſto: *Heredes inſtituit primos Tiberium ex parte dimidia, & ſextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum iuſsit; ſecundos Druſum Tiberij filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum liberoſque eius tres ſexus virilis.*

CVRANTIBVS] CVRATOR generali vocabulo is dicitur, qui rebus alicuius curandis gerendiſve præficitur. Curatores ego & publicos, & priuatos reperiri exiſtimo: Publicum Curatorem arbitror

In Auguſt. cap. 37. Gruter. Fol. 410. n. 8. 381. n. 3. fuiſſe eum, qui vel Reipublicæ, vel cum Suetonio *Curam operum publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidundi habebat.* Vnde in priſcis monumentis legitur: CVRATOR AERARII.

CVRA-

CVRATOR ALBEI TIBERIS, ET CLOACARVM VRBIS. CVR. PEC. PVBLICAE. CVRATORI FRVMENT. CVRATOR VIARVM. CVRATOR OPERVM PVBLICORVM. Omitto varios in quamplurimis alijs monumentis curatores, quos omnes ex munere publicos puto. Priuatum vero curatorem censeo illum, qui, vt notant Iurisconsulti, datur cuipiam vel adolescenti, vel furioso, vel prodigo, vel muto, vel surdo, vel dementi, vel fatuo, vel debili, vel cuiuis alij, qui suis rebus præesse non possit: cui non publici negotij, sed priuatæ familiæ cura incumbit.

451. n. 5. 199. n. 1. 26. n. 3.

ff. & C. de curat. furios. & Inst. de curat. L. 1. § vlt. & L. 2. 3 4. & 5. ff. de postul.

In hoc monumento non est V. ET, vt apud Scardeonium, sed VET. Tribus nota, vt iam dixi: neque etiam particulæ, EIVS, quam ipse hoc loco apposuit, vestigium apparet.

Lib. 1. Class. 4. fol. 73.

11. Græcam hanc inscriptionem sic intelligendam credo.

DIONYSIVS LEVCII
MATERISCA ZOPYRI
MATERISCA THEODORI.

Materisca nomen proprium videtur, vt sit Dionysius Leucij filius, Materisca Zopyri & Theodori, aut filia, aut vxor.

12. VALERIO.] VALERIA gens ex Sabinis oriunda, bello Sabino confecto, Romæ inter Patricias minorum gentium annumerata fuit. Tarquinius enim Priscus Rex, Liuio teste, *non minus regni sui firmandi, quam augendæ Reipub. memor centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati*. Familiæque minorum gentium dicebantur ad differentiam illarum, ex quibus Romulus centum primos patres elegerat, quæ patriciæ maiorum gentium sunt appellatæ.

Hist. lib. 1.

Dionys. Antiq Rom. lib. 3.

Auct. de Vir. Illustr. in Poplicol.

Hæc familia quamplurimis Dictatoribus, Magistris Equitum, Consulibus, Tribunis militum, Censoribus claruit: qui cognominati Poplicolæ, Volusi, Potiti, Maxumi, Corui, Falti, Coruini, Læuini, Messallæ, Nigri, Barbati, Flacci. Sed eam præ ceteris illustrauit Valerius Volusi. F. Volusus, L. Iunij Bruti primi consulis collega; de quo Plutarchus fuse. Hanc gentem Vrsinus in patriciam ac plebeiam diuidit: vbi obseruo, quod, antequam Consules è plebe fierent, gentis Valeriæ consules cognominati fuerint Poplicolę, Potiti, Volusi, Maximi: postquam vero Consules e plebe designari cœpere, Valerię gentis Consules cognominatos reperio Coruos, Flaccos, Maximos, Coruinos, Læuinos, Messallas, Faltos, Acisculos: vnde priores ex familia patricia, istos e plebeia originem traxisse credo: nisi quis dicat facili nego-

Panuin. de Antiq. Nō.

Fastor. lib. 1. 2.

In Vita Poblicolæ.

De Famil. Rom.

Fastor. lib. 1.

Fastor. lib. 1. 2.

negotio, totam hanc gentem à Patribus ad plebem tranſmigraſſe; cum plebi maxime deditam fuiſſe, quiſque cogniturus ſit, qui Liuium, & Dionyſium conſuluerit.

Ex Gente Valeria Flaccorum familiam quoq; emerſiſſe Patauij, mihi perſuadet C. Valerius Flaccus Setinus, qui Argonauticũ opus heroico, ac pene diuino carmine concinnauit. De quo iure Petrus Crinitus: *Et mirum videri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſurgat, quantaque ingenij felicitate in ſcribendo carmine præſtet.* Hunc Patauinum fuiſſe, pace illorum, qui è Setia Campaniæ oppido ortum volunt, ex Martiale non vno in loco colligimus.

De Poet. Latin. lib. 4. cap. 68.

Lib. 1. Epig. 62.

Cenſetur Apona Liuio ſuo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

Lib. 1. Epig. 76. Et alibi

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei ſpes & alumne Laris.

In quo loco, vt ipſum à Muſis ad forum reduceret, eo quia modicis opibus erat inſtructus, prædiumque poſſidebat exiguum, Martialis his argumentis vſus eſt.

Idem ibid.

Pierios differ cantuſque, choroſque ſororum:
Aes dabit ex iſtis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Mineruæ:
Hæc ſapit, hæc omneis fœnerat vna deos.
Quid poſſent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & ſerta Lyraſque deorum
Nil habet, & magnum ſemper inane ſophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permeſſidos vnda?
Romanum propius, diuitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Inſtit. Orat. Lib. 10. c. 1. Hic iuuenis admodum diem obijt; vnde Fabius: *Multum in Valerio Flacco nuper amiſimus.* De eodem addit Lilius Gregorius Geraldus de Poetis, & Hiſtoricis; *Sunt & qui Decemvirum Sibyllinum putent eum fuiſſe, ducti illis eius verſibus.*

Dialog. 4.

Argonaut. lib. 1.

Phœbe mone, ſi Cumeæ mihi conſcia vatis,
Stat caſta cortina domo; ———

Hic eſt, inquam, Valerius Flaccus, cuius Argonauticum opus extat, Veſpaſiano patri inſcriptum, vt facile ex eius carminis principio colligitur. Opus inquam, quantum per iuuenem præſtari poteſt, cultum, eruditum & varium, ſed in quo plus eſt virium, quam virtutis, vt in eo animos, & audaciam quandam iuuenilem facile offendatis.

DIODORO] Cognomen ex Græco prognatum, quod ſignificat

cat Dei vel Iouis donum: nam Græcis Iuppiter Ζεὺς dicitur, cuius genitiuus διὸς. Item δῖος per contractionem pro δίιος, quod idem est, atq; à Ioue oriundus.

PLACIDVS] De cognomine isto ad irridendam aliquorum ineptiam hæc Quintilianus. *Et hæc tam frigida, quam est nominum fictio, adiectis, detractis, mutatis litteris: vt Acisculum, quia esset pactus, Pacisculum: & Placidum nomine, quia is acerbus natura esset, Acidum: & Tullium, cum fur esset, Tollium dictos inuenio.* Quæ, vtcunque sint, relinquo; maxime cum apud Aelium Donatum legam: *Clemens est circa recte agentes, placidus etiam circa delinquentes: clementis est nulli lædere os, placidi arridere omnibus.* Ideo placidum ex miti vultu, & obuia erga omnes comitate dictum puto: Nonio vero Marcello placidum à patiendo & silendo nomen traxisse videtur. *Instit. Orat. lib. 6. cap. 4.*

Hanc inscriptionem, quamuis omnino sibi similem, nescio cur Scardeonius duplicem profetat eisdem in ædibus; vtrique tamen litteræ D.M. addendæ sunt, quæ in monumento obseruantur. *Lib. 1. Class. 4. fol. 74. & 75.*

In hoc saxo apparet imago mulieris sedentis velato capite, fortasse ob luctum: cui adstat puerulus tunicatus, & penulatus, eadem fere forma, qua visitur alius in monumento decimo septimo; quemadmodum iudicat, & propediem explicabit, in altera parte *De Re vestiaria*, eruditissimus, ac omni laude maior, Octauius Ferrarius.

13. POPILLIÆ] POPILLIA gens Romæ inter plebeias à Panuinio enumeratur: ex qua varij prodiere Consules, omnes cognomine Lænæ. Illustriorem tamen præ reliquis famam sibi conciliauit Gn. Popillius, qui ad Antiochum Epiphanem legatus, vt ipsum ab obsidione Ptolomæi pueri desistere iuberet, tempus ad respondendum petentem *circumscripsit virgula, iussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito arenæ circulo.* Vnde, quasi miraculum aliquod allaturus, subdit Paterculus: *Sic cogitationem Regiam Romana disiecit constantia: obeditumque Imperio.* *De Antiq. Nom.* *Vell. Patercul. Hist. lib. 1.* *Liu. Hist. lib. 45.*

PRISCÆ] *Priscus Tarquinius est dictus, quia prius fuit quam superbus Tarquinius*, monente Festo. Vnde forsan Popillia hæc Prisca dicta, quia alijs sororibus prior; nisi id parentis cognomen fuit. *Lit. P.*

14. SAVFEIVS] Saufeiam gentem plebeiam fuisse refert Panuinius: & cuiusdam L. Saufeij Attici amici meminit Cicero: *eius consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror.* Et de eo ad eundem libro septimo: *Dederam equidem L. Saufeio literas, & dederam ad te vnum: quod cum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis literis ad te venire nolebam.* *De Antiq. Nom.* *Ad Attic. lib. 1. Epist. 2.* *Epist. 1.*

CLEMENS] Quis non agnoscit hoc cognomen ex ingenij facilitate desumptum? vidimus enim superius, cum de Placidi cognomi-

ne differeremus ; quod Clementis ſit nullum lædere. Sed clemens pro modetato ab Apuleio ſæpe ſæpius vſurpatum videtur; habet enim diuerſis in locis : *Iſto accepto pergit ipſe, & iniecta dextra, clementer me trahere adoritur*. Nec non : *Priuſquam totum exorberem, clementer inuadit*. Atque: *Clementi denique tranſmiſſo cliuulo peruenimus ad locum deſtinatum*.

Metamorph. lib. 1. Lib. 2. Lib. 4.

Columbæ ſeſe in ſummo monumento deoſculanres, forſitan amoris, ac fidei coniugalis ſinceritatem inter Sauſeium & Valeriam teſtantur. Siquidem columbarum maxime proprium eſt, teſte Plinio, coniugij fidem non violare, imperioſos mares, ſubinde etiam iniquos ferre, imo, vt placeant, eos exoſculari. Ælianus vero prodit, columbas adeo ſtabili, & certo connubio ſibi adhęrere, vt tanquam mutuo conſenſu alligatæ nunquam alienum cubile attingant.

Hiſt. Nat. lib. 10. c. 34. Hiſt. Animal. lib. 3. cap. 44.

15. VETVRIA] Hoc mulieris nomen à gente Veturia deſumptum eſt. Veturiam gentem inter Patricias minorum gentium Panuinius ponit, eamque ex illarum numero dicit, quæ Romæ à L. Iunio Bruto primo Conſule inter patricias adlectæ fuerunt, ob imminutum Senatum ſæuitia Tarquinij ſuperbi. Hanc gentem eximię illuſtrauit Veturia illa Martij Coriolani mater, quæ glorioſa pro patriæ ſalute legatione functa, filium infeſtiſſimo Volſcorum exercitu eidem imminentem, in ſummo diſcrimine cum Volumnia nuru placauit; vt adeo Dionyſius dicat, potuit *Veturia filium recipere, patriam liberare, ſuos ciues ſeruare, & immortalem gloriam poſteritati relinquere*.

De Antiq. Rom. Rom. Antiq. lib. 8. Liu. Hiſt. lib. 2.

PRIMIGENIA]. Idem ac Primogenita, vnde Feſto *Primigenius ſulcus dicitur, qui in condenda noua vrbe, tauro & vacca deſignationis cauſa imprimitur*. Sic & Primigenia Fortuna dicta, vt Ciceroni placet. *Recte etiam à Colatino Spes conſecrata eſt : Fortunaque ſit vel huius diei. Nam valet in omnes dies, vel reſpiciens ad opem ferendam, vel forum, in quo incerti caſus ſignificantur magis, vel primigeniam à gignendo*. Sic & primigenius dies, de quo Lucretius.

Lit. P. De Legib. lib. 2. De Rer. Nat. lib. 2.

Multaque poſt Mundi tempus geniale, diemque
Primigenum maris, & terræ ſoliſque coortum.

FVSCI] A colore obſcuro Fuſci cognomen depromptum exiſtimo. Nam fuſcum illud eſt, quod obſcurum apparet, nec ex toto nigrum.

16. EVSEBES] Hoc cognomen à lapide Euſebe ortum fortaſſe opinor, de quo hæc Plinius. *Euſebes ex eo lapide eſt, ex quo traditur Tyri in Herculis templo facta ſedes, ex qua Dij facile ſurgebant*. Ob hoc forte Euſebium religioſum ſonat.

Hiſt. Nat. lib. 37. c. 10.

FILIASTRO] Vox hæc quamuis corrupti ſeculi videatur, apud Gruterum tamen in antiquis monumentis occurrit: qualia ſunt.

L. CE-

L . CEIONIVS . MAGNVS . FILIASTRO . BENE . MERENTI
ET *Fol.645.n.4*
EPITYNCHANO . FILIASTRO . M . ANTONIVS . HERMEROS. B.M.F. *Fol.681.n.8*
ET
C . IVL . MAXIMVS . FILIASTRO . ET . AVRELIA.
FAVSTINA . MATER . VNICO . FILIO. *Fol.681.n.9*

NIGRINO] Cognomen à nigro colore desumptum, aut ad blandiendum, aut ad ostendendam nigredinis lenitatem.

LOCO PRIVATO .] Sepulchra alia fuere publica, alia priuata. Publicum sepulchrum illud erat, quod honoris gratia publico decreto dabatur: vnde in lapidibus legebatur, velut in nostro suo loco obseruabimus,

LOCVS : SEPVLTVR:
D : D:
PVBLICE DATVS

Priuatum vero sepulchrum, vel familiare, vel hereditarium erat: Familiare dicebatur, quod quis sibi familiæque suæ constituerat, certisque verborum formulis denotabatur; vt in hac eadem domo.

Ω
C . LVCILI : P : F.
FAB . XX . P . QV
OQVO : VERS
FAMIL : QVE
EIVS POSTER

Hereditarium fuit, quod quis sibi heredibusque suis constituerat; & tale in monumentis Gruterianis deprehendo.

Fol. 571. n. 8

HVIVS . SEPVLCHRI . IVS
AD . HEREDES . PERTINET
PROVT . TESTAMENTO
QVISQ . EORVM . SCRIPTVS
EST.

Atque

Fol. 593. n. 7

ET LIBERTIS . LIBERTABVSQ . POSTERISQ
EORVM . H . M . H . S.

In Indic. ad Grut.

Vltimas has literas ita exponit Scaliger : *Hoc Monumentum heredes ſequitur* . Cum vero ſepulchrum neutiquam hereditarium antiqui vellent, in ipſis ſculpebatur ſæpiſſime

H . M . H . N . S.

Quod omnes interpretantur: *Hoc Monumentum heredes non ſequitur* . Quia vero ſæpe heredes ex aliena familia erant, ne monumentum de familia exiret, cauebatur aliquando, ne heredes ſequeretur. Quare in aliquibus inſcriptionibus hæ notæ habentur: N. D. F. E. hoc eſt, NE DE FAMILIA EXEAT.

17. MIL. A. XXVII.] Id eſt, MILITAVIT ANNOS VIGINTI SEPTEM. Milites in Republica Romana, lege à C. Graccho Tr. Pl. lata, infra XVII. ætatis annum ad militiam non cogebantur, ſed à decimo ſeptimo vſque ad quadrageſimum ſeptimum annum, vel quinquageſimum ad ſummum militabant. Intra quod tempus, vt Polybius teſtatur, *equites quidem dena, pedites vicena ſtipendia explere oportebat neceſſario annis quadraginta ſex à natiuitate, exceptis ijs, qui infra drachmas quadrigenas cenſi erant; quos amittebant, & reſeruabant omnes ad nauticum vſum*. Huius tamen legis beneficio ſe gauiſum non eſſe, apud populum Romanum conqueritur Sp. Ligustinus, vt apud Liuium videre eſt; ait enim: *Quater intra paucos annos primum pilum duxi, quater, & tricies virtutis cauſa donatus ab Imperatoribus ſum. Sex ciuicas coronas accepi. XXII. ſtipendia annua in exercitu emerita habeo, & maior annis ſum quinquaginta*. Mos autem iſte ſeligendi, ac dimittendi milites etiamnum apud Sereniſſimam

Paul. Manut. de Legib.
Sigon. de Antiq. Iur. Ciu. Rõ. lib. 1. cap. 15.
Polyb. lib. 6.
Hiſt. lib. 42.

Vene-

Venetorum Rempubl. obtinet; nemo enim in tertiis ipsius dominio subiectis in militem conscribitur ante annum decimum octauum, nec vltra quinquagesimum ad militiam adstringitur. Militandi autem tempore finito milites dimittebantur; eratque teste Sigonio duplex missionum genus: Honestum scilicet, & Causarium. Honesta missio eorum fuit, quibus iusta militiæ vacatio erat; Causaria, quibus necessaria. *Loc. cit.* Iusta vero vacatio esse censebatur, cum quis legitima confecerat stipendia, aut maior erat annis quinquaginta; ideoque Adrianus *de militum etiam ætatibus iudicabat, ne quis, aut minor, quam virtus posceret, aut maior, quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versaretur*. *Ael. Spartian. in Adrian.* Missio necessaria erat, cum vel ob morbum, vel dubiam valetudinem miles muneri suo vacare non poterit: hinc Liuius: *Consul educto in æstiua milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit, alijs emerita dicendo stipendia esse: alios graues iam ætate, aut viribus parum validos.* *Hist. lib. 7.*

Ceterum stipendia Romani milites ex ærario non accipiebant, sed suis priuatis sumptibus militabant, vsque ad annum Vrbis conditæ CCC XLVII. ex Sigonio, vel ad CCC XLVIII. cum Panuinio. *Diony. Antiq. Rom. lib. 4.* *Loco citato.* *Comment. in 1. Fast.* Tribunis enim militum Consulari potestate, P. Cornelio & Gn. Cornelio Cossis L. Valerio Potito. N. Fabio Ambusto, post Anxuris Volscorum oppidi oppugnationem militibus ob hanc causam munera fuerunt data. *Fast. lib. 1.* *Additum deinde omnium maxime tempestiuo principum in multitudinem munere, vt ante mentionem vllam plebis tribunorumue decerneret Senatus, vt stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* *Liu. Hist. lib. 4.* Quale autem vniuersorum militum stipendium fuerit, in hæc verba declarat Polybius. *Stipendij nomine pedites in diem accipiebant binos obolos: ordinum ductores duplum: equites drachmam. Admetiuntur vero peditibus quidem, tritici partes circiter duas medimni Attici; equitibus vero hordei in mensem septenos medimnos, tritici vero binos. Sociorum peditibus par mensura datur ac Romanis: equitibus tritici medimnus vnus semis, hordei mensuræ eiuscemodi quinæ*, hac tamen diuersitate, vt idem obseruat: *Socijs quidem gratis donantur: Romanis siue frumentum, siue vestis tribuatur, aut etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium certa pretia Quæstor deducit*. *Lib. 6.* Quam quidem stipendij formam non semper æqualem fuisse, sed varijs Reipublicæ temporibus auctam aut imminutam, historiæ omnes testantur.

Icuncula, quæ in inferiori huius monumenti parte spectatur, Chlamydatam meo iudicio se intuentibus præbet: quamuis palliata doctissimo Ferrario in suo *De Re Vestiaria* videatur. Nam Chlamys, vt ista obseruatur, vestis erat aperta, quæ supra humeros ligabatur, & à ter-

go dependebat. Sic Statius:

Silvar. 1. *It tergo demiſſa chlamys.* ———

Ea communis pueris, militibus, Ducibus, & Imperatoribus fuit: puerorum tamen, quod alarum inſtar facta erat, alicula vocabatur. Vnde apud Virgilium Aſcanio Chlamydem offert Andromache.

Aeneid. lib. 3.

Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes,
Et Phrygiam Aſcanio Chlamydem, nec cedit honori,
Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur.
Accipe, & hæc manuum tibi quæ monimenta mearum
Sint puer, & longum Andromaches teſtentur amorem.

Chlamys etiam militaris erat veſtis: propterea Aeneas, quicunq; in paternis ludis ſtrenue ſe geſſerat, *Victori Chlamydem auream* largitus eſt. Sed & militum Duces Chlamydati incedebant: hinc

Aeneid. lib. 5.

——— *Ipſe agmine Pallas*
In medio, Chlamyde, & pictis conſpectus in armis.

Aeneid. lib. 8.

Verum & Imperatores ipſi Chlamyde vtebantur, purpurea tamen, vt quædam diſtinctio eſſet. Eutropius de Diocletiano. *Diligentiſsimus tamen, & ſolertiſsimus Princeps, & qui Imperio Romano primus regiæ conſuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis inuexit, adorarique ſe iuſsit, cum ante cum cuncti ſalutarentur, ornamenta gemmarum veſtibus, calceamentis indidit. Nam prius imperij inſigne in Chlamyde purpurea tantum erat: reliqua communia.* At nec purpuream Chlamydem ſemper Imperatores induiſſe deprehendo, ſed ad arbitrium: nam de Seuero Spartianus hæc habet: *Hic tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta Chlamyde humeros velaret.*

Hiſt. Rom. lib. 9.

In vita Seueri.

Ceterum non horum tantum Chlamydem fuiſſe, verum etiam viatorum, & eorum, qui peregre aduenirent, Plautus mihi ſuppeditat.

Pſeudol. Act. 4. Scen. 2.

Quis hic homo Chlamydatus eſt, aut vnde eſt, aut quem quæritat
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.

Lib. 1. Claſſ. 4 fol.

In hac domo Scardeonius geminam, quamuis omnino ſibi ſimilem, ponit inſcriptionem: qua de cauſa equidem ignoro, ſcio tamen vnam tantum ibi reperiri.

18. M. M.] Duæ iſtæ literæ, in ſummo hoc marmore conſpicuæ, à Scaligero explanantur MEMORIAE: meo tamen iudicio, ſi quid poſt ipſum reſtat, eas tribui vel MAGNAE MATRI (quaſi monumentum hoc Magnæ Matris tutelæ commendatum fuerit) vel dici poſſe credo, quod ſignificent MONVMENTVM MARCI, vt obſeruat Manutius: cum MARCO AVRELIO SAVFEIA CONIVX monumentum erexerit.

In Indic. ad Gruter.

De Veter. Notar. explan.

AVRELIO] Aurelia gens ex Sabinis oriunda Romæ inter patri-

cias

cias minorum gentium primis temporibus, & ante Augusti seculum inter plebeias numerata fuit: in qua consules, qui cognominabantur Cotta, Orestes, Scaurus, Panuinius recenset; sed plebeiæ tantũ Vrsinus meminit. *De Antiq. Nom.* *De Famil. Rom.*

Et hæc inscriptio, quamuis vnica sit, duplex in Scardeonio recurrit, vtraque tamen corrupta. In prima desideratur CRISPINA CONIVX, & loco duplicis M, D M; pro SAVFEIA vero SAVFEGIA, sicuti in secunda, vbi MM omnino omissum est, SAVFERIA legitur. *Lib. 1. Class. 4. fol. 72. & 74.*

19. MARIO] Maria gens quamuis consularis, plebeia tamen, atq; ita humilis erat, vt C. Marius C. F. Vrsino teste, nullo sit cognomine vsus. Nihilominus iste septimum consulatum est adeptus: quo tempore cum Sullæ aduersaretur, ab eo victus, & in carcerem coniectus, *immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit*. Et C. Marius filius viginti quinque annos natus consulatum inuasit, paternęque sæuitiæ heres curiam armatus obsedit, inimicosque trucidauit, ac pręcipitauit in Tiberim. Ceterum in apparatu belli contra Sullam vigilijs fessus, dum sub dio quiesceret, absens victus est. Præneste deinceps ab inimicis obsesso, tentata frustra per cuniculos fuga, se amico iugulandum præbuit. *De Famil. Rom.* *Fastor. lib. 1.* *Auct. de Vir. Illustr.* *Idem ibi.*

ÆSCVLAPIO] Æsculapium Apollinis fuisse filium, testatur tum Hippolytus apud Ouidium: *Metamor. lib. 15.*

Nec nisi Apollineæ valido medicamine prolis
Reddita vita foret: quam postquam fortibus herbis
Atque ope Pæonia, Dite indignante recepi.

tum Dionysij senioris sæuitia; qui cum Epidauri Æsculapij statuam contemplaretur, *barbam auream demi iussit, quod affirmaret non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum vero barbatum conspici*. Dictus autem fuit Æsculapius, vt obseruauit Phornutus, *quod ad mortem vergentem inclinationem reijciat atque repellat*. Bacillum & Serpens ipsi dicati fuerunt. Causam tradidit Iulius Hyginus, *quod, cum Glaucum cogeretur sanare, conclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum, quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepsisse, quem Æsculapius mente commotus interfecit bacillo, fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, & in caput eius imposuisse: quo facto loco fugisse, quare Æsculapium vsum eadem herba, & Glaucum reuixisse*. Sed cur Æsculapio bacillum, & serpens tribuantur, mysticam quidem, ceterum tamen pulcherrimam rationem Phornutus reddit. *Illi Draconem appingunt, quod quiddam huic neutiquam diuersum patiantur, qui medendi arte vtuntur: idque hac de causa, quia è morbis reiuuenescant, ac senectutem exuant: simul etiam quum attentionis signum sit draco, qua plurimum opus est in re medica. Ceterum baculus huiusmodi rei symbolum esse apparet, quod, nisi tali cura erigamur, ac confirmemur, continuo ad imbecilliorem valetudinem æquo* *Val. Max. lib. 1. cap. 1.* *Speculat. de Nat. Deor.* *Astronom. lib. 2.* *Speculat. de Nat. Deor.*

citius

citius prolapsuri sumus. Æsculapium fulmine ictum ob vitam Hippolyto restitutam, Virgilius testatur.

Aeneid.lib. 7.
Namque ferunt fama, Hippolytum, postquam arte nouercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis: ad sydera rursus
Ætheria, & superas cæli venisse sub auras,
Pæonijs reuocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vita,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.

Hist. Nat. lib. 29. cap. 1. Eod. lib. c. 4. Hist. Nat. lib 20. c 24. Plinius vero ita punitum fuisse asserit, quod Tyndaridem reuocasset ad vitam; scribitque, viperam serpentem, propter occultas, quibus prædita est, remediorum vires ipsi dicatam, & ideo forsan Theriacæ compositionem versibus consignatam in limine ædis Æsculapij lapidi incisam fuisse.

Hist. Nat. lib. 20. cap. 24. Anno ab V.C. CD LXI. peste Romæ grassante Senatus oraculi responso admonitus, ad Æsculapium accersendum, Epidaurum decem legatos Q. Ogulnio principe misit: quo cum appulissent, anguis quidam in nauem irrepsit, & in Q. Ogulnij tabernaculo multiplicem in orbem conuolutus, placide quieuit. Legatis vero Romam Epit. Liuij lib. 11. reuersis; in insulam Tiberis egressus est; vrbsque illico peste liberata Val. Max. lib. 1. cap. 8. fuit: quare Aesculapio sedes eodem loco constituta est. Ceterum Epi- Auct. de Vir. Illustr. dauri nobile templum possidebat Aesculapius, longe ab vrbe quinque millia passuum; idque donis erat ditissimum, *quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant Deo,* vt ait Liuius. Cur autem ex- Hist. lib. 45. tra vrbem Aesculapij templa extructa fuerint, innuit Plinius dum in- Hist. Nat. lib. 29. cap. 1 quit: *non rem antiqui damnabant, sed artem. Maxime vero quæstum esse immani pretio vitæ recusabant. Ideo templum Æsculapij, etiam cum reciperetur is Deus, extra vrbem fecisse, iterumque in insula, tradun-* Hist. Nat. lib. 34. cap. 8 *tur.* Huius filia Hygia, quod idem ac salus significat, appellatur: cuius statua, vt & patris, Nicerati sculptoris opus, Plinio teste, in æde Concordiæ Romæ conspiciebatur. Aesculapio non nisi capræ, & gallinæ Gen. Dier. Lib. 3. c. 12. immolabantur: *hæque,* inquit Alex. ab Alex. *ad rem diuinam luteo rostro & pedibus, puræ non sunt; nigræ vero, & imparibus digitis idoneæ.* Propterea moriturus Socrates gallum Aesculapio vouit.

ASCLEPIO] Hoc cognomen Aesculapij nonnulli faciunt; sed Fabul. 202. 251. hunc Hyginus ex Apolline, & Coronide, Phlegyæ filia natum tradit, eumque ab inferis rediisse, auctoremque medicinæ Clinicæ fuisse.

Lib. 1. Class. 4. fol. 73. Inscriptionem hanc mendosam, ac mutilam sic Scardeonius exhibet.

D. M.

D : M.
P . MARIONI NI
GRO CORVINA
NI CON . VIX . AN
XXVIII . AESCVLA
PIO . . . .
DOTIS.
H . . . CONIVGI.

Istam, & similem Scardeonij fide, titulo *De Affectu Coniugum*, Gruterus colligit: sed ad saxum qui accedet, mendum statim deprehendet. *Fol.806.n.10.*

10. OCTAVIO] Octauiam gentem inter plebeias Panuinius habet, in qua Consules cognomine Rufus & Thurinus fastis designantur. *De Nom. Antiq. Fast.lib.1.*

FESTA] legendum vt in saxo, non TESTA, quemadmodum Scardeonius habet. *Lib.1.Class. 4.fol.70.*

P.P.] Id est, POSVERE forsan; vel PROPRIA PECVNIA.

Lapis iste aræ formam præsefert, imo ad aræ vsum extructum censeo; quia Manibus honoratorum virorum aras consecrare solebant veteres; vt obseruat Adrianus Turnebus ad illud Virgilij: *Aduersar. lib.17.c.6.*

Dardanidæ magni, genus alto à sanguine diuum,
Annuus exactis completur mensibus orbis, *Aeneid. lib.5.*
Ex quo relliquias diuinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacrauimus aras.

Ijs in aris veteres Manibus lac libabant, & sanguinem: quoniam, vt ex Seruio notat diligentissimus Kirchmannus, animas lacte, & sanguine delectari credebant. Vnde in Polydori funere Virgilius. *De Funerib. Rom. lib.4.cap.1.*

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte, *Aeneid. lib.3.*
Sanguinis, & sacri pateras ———

At non tantum Manibus, sed inferis Dijs omnibus super huiusmodi aris sacra peragebantur, teste eodem Vate. *Lib.4.*

Stant aræ circum, & crines effusa sacerdos
Tercentum sonat ore Deos, Erebumque Chaosque

Lib. 1. *Tergeminamque Hecatem.* ——

Ideoque ad illud Poetæ,

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,

Seruius obseruauit, quod *Superorum & aræ sunt, & altaria; inferorum tantum aræ.* In aris arbitrio eorum, à quibus erigebantur, apertis verbis aliquando denotabatur, quibus Dijs sacrificandum esset pro- De Funer. Rom. loco citato. vt apparet in veteri inscriptione Romana, quam Kirchmannus notat

CORNELIA . ANNIA . NE . INDESO-
LATA . ORBITATE . SVPERVIVE-
RET . MISERA . VIVAM . ME . VLTRO
IN . HANC . ARAM . CVM VIRO . CVM
QVO . VIXI . ANN . XX . SINE VL
LO DO . LIB . LIBERTABVSQVE
NO . VT . QVOTAN . SVPER . ARAM
NO . PLVTONI . ET . VXORI . PRO
SERPINAE . OMNIBVSQVE . SACRI
FICENT . ROSISQVE . EXOR
NENT . DE . RELIQVO . IBI . EPV
LENTVR.

Vnde facile in hanc adducor sententiam, aras in sepulchretis erectas eodem loco fuisse apud veteres, quo apud christianos sacella, & pia legata ad animarum instituta suffragia; vt in monumentis vbique patet.

21. M. D. M.] Quod est MAGNAE DEVM MATRI. Hoc titulo condecorata fuit Cybele, vt alia quæ passim apud Mythologos videre est, ipsius nomina omittamus. Sic Virgilius. Aeneid. lib. 6.

—— *qualis Berecynthia mater*
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta Deum partu, centum complexa Nepotes
Omnes Cælicolas, omnes supera alta tenentes.

De Rer. Nat. lib. 2. Sic Lucretius:

Quare magna Deum mater, materque ferarum,

Et

Et nostri genetrix hæc dicta'st corporis vna

Sic Ouidius etiam. *Fastor.lib.4.*

Supplicis alma tuæ genetrix fœcunda Deorum
Accipe sub certa conditione preces.

Sic & Claudianus. *De Rapt. Proserp.lib. 3.*

Iam non vlterius Phrygia tellure morabor
Sancta parens ———

Appellationis rationem Festus attulit: *Cybele mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod* κυβηβᾶν *dicunt*. *Lit. C.* Hæc capite turrito, sceptrum manu tenens, in curru à leonibus vehebatur. Quorum omnium non minus quam nominis in suis Mythologicis Fulgentius mysticam rationem reddit; quam hic subnectere haud inconcinnum putaui. *Sosides Atticus in libro Theologumenon, quem appellauit, scribit Matrem Deum, in modum potentiæ voluisse poni: vnde Cybele dicitur quasi Cydos baleon, id est gloriæ firmitas. vnde & Homerus ait: cui Iuppiter gloriam donauerat. Ergo ideo turrita pingitur, quod omnis potentia elatio sit in capite. Ideo leonum currui præsidens, quia omnis potentia regno ornata sit. Sceptrum etiam fert, quod omnis potentia vicina regno sit. Ob hanc rem etiam mater Deum dicta est.* *Lib.3.de Berecynt. & Atti.*

Huic Deæ Galli sacrificabant, quos tamen verius (si ita loqui licet) capos dicerem, cum sibi virilitatem sustulerint; nisi, cur Galli vocarentur, Festus his verbis declararet. *Galli qui vocantur, Matris magnæ comites dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo, quia qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, vt se priuent virilitatis parte*. *Lit.G.* Qui tamen quam impuram traxerint vitam, testis fuit Apuleius in asinum conuersus. *Metamorph.lib.8.*

Magnæ vero Deum Matri hoc monumentum optimo iudicio dicatum credo: cum nemo ambigat Matrem Deum terram esse; cui autem aptius, ac tutius mortuorum cineres, quam terræ communi omnium matri traduntur, quæ nostra corpora tamquam filios ad se longe redeuntes repetit, & amplectitur? *Macrob.Satur.lib.1.c.21.*

LVSIAE] De hac gente, ni fallor, nihil commemorant familiarum collectores: eam tamen Romanam, ac consularem fuisse, ex his Taciti verbis elicitur: *Redditur ordini Lusius Varius consularis auaritiæ criminibus olim perculsus*. *Annal.lib.13.* Ex hac etiam Lusij Getæ prætorianorum militum præfecti antea meminerat. *Idem lib.11*

SACERD. DIVARVM] Videlicet SACERDOTI DIVARVM. Quarum Diuarum Lusia Tertullina Sacerdos fuerit, eruditissimus Pignorius noster, in suis Patauinis Originibus, ad hunc lapidem & perquirit, & diserte adeo explicat, vt nihil ei addendum videatur. Verba eximij viri sunt. *Il senso della inscrittione è, che Sesto Appuleio dedica à Cibele, in memoria di sua madre Vsia, ouero Lusia Tertullina,* *Cap.10.*

D : M.
IN . MEMOR.
VSIAE . L . FIL.
TERTVLIANAE
SACERD . DIVARVM
MATRI SVAE
SEX . APPI.

Vnde factum, vt huius monumenti duplicem inscriptionem Gruterus afferat, vnam in ædibus Cauinorum; ex Scardeonio alteram nihil prorsus diuersam, à mendis tamen purgatam, ex Pinelli schedis, quam se Pinello ipsi dedisse scribit Pignorius. Fol.322.n.6 Fol. 29 n.4. In Origin. Patau.c.10.

22. LVSCIVS] A Lusia hanc gentem diuersam esse monumenta indicant. Romæ enim inter libertos, & seruos Domus Augustæ Titi Vespasiani Imp. memoratur Grut. fol. 101, n.3.

P . LVSCIVS CELER.

& in latere dextro basis prægrandis ad arcum Septimij effossæ, quæ Paci Æternæ Domus Imp. Vespasiani Cæs. Augusti. libertorumque eius sacrata erat, isti lustrantur tituli Idē fol. 241

P . LVSCIVS . FELIX.
P . LVSCIVS . MAXIMVS.
P . LVSCIVS . ZOSIMVS.

QVADRATVS] Cognomen forsan huic viro inditum à præstanti corporis habitu, & forma. Auctor enim est Cornelius Celsus, quod *corpus habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum.* De Re Medic. lib. 2. c. 1 Nec tantum quoad formam corporis, sed etiam quoad animum homo quadratus dicitur; vt ex Aristotele primo Ethicorum Pierius in Hieroglyphicis notat. *Quadratum simpliciter virum per translationem* Lib. 39. c. 32

dictum autumat, & perfectum significare. Sic & Mercurio, quem veritatis, & rationis numen agnouerunt antiqui, Herma erigebatur, id est, quadratus lapis. Vnde Macrobius: *Pleraque etiam simulacra Mercurij quadrato statu figurantur solo capite insignita, & virilibus erectis. Quæ figura significat Solem mundi esse caput & rerum satorem: omnemque vim eius non in quodam diuisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cuius sedes in capite*. Vlterius quadrati cognomen viris sapientibus nonnumquam tribuebatur, cum sapientiam supra quadratam basim locarint veteres, ad differentiam Fortunæ, quam vt sapientiæ aduersam ob instabilitatem globo imponebant. Quadratus pariter homo à fortitudine dicebatur ad similitudinē quadrati agminis, quod validissimum esse ad resistendum hostibus semper censebatur. Ideo eximiam Vespasiani formam describens Suetonius dixit, eum fuisse *statura quadrata, compactis firmisque membris*.

Pier. Hieroglyph. lib. 39. cap. 34. — Saturnal. lib. 1. cap. 19 — Senec. Epist. 19. — In Vesp. cap. 20.

MAXIMA] Hæc mulier, cum inter ceteras sorores forsan natu prima esset, ad aliarum differentiam Maxima dicta fuit. Nam cum familiæ nomine mulieres gauderent, si plures essent, eiusmodi discrimine, vel subinde etiam numero ab inuicem distinguebantur.

VALENS] Sic forsan cognominatus, quia robore ac validitate pollebat. Sic enim Cicero sexcentis in locis viros validos, valentes, & validissimos nominauit.

H. S. E.] Videlicet HIC SITVS EST. *Vere nam siti dicuntur ij qui conditi sunt*. Apud sitos siticines canebant, vnde nomen traxere, Gellij testimonio, qui ait *siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos, & sepultos*.

2. de Leg. — Noct. Attic. lib. 20. cap. 2.

AN. XIX. M. II D. XIII.] quod est ANNORVM XIX. MENSIVM II. DIERVM XIII. Omnes enim hi numeri monumentis inscribebantur: quia, vt politissimus Kirchmannus obseruat, solemne erat veteribus spatium vitæ eorum, qui tumulis condebantur, exacte, & ad calculos quasi reuocare, non tantum annos & menses, sed etiam dies ac horas quot vixissent: vt passim in monumentis conspicitur. Quodsi aliquid mihi post eruditissimum virum adducere fas est, cum in puerorum, ac adolescentum monumentis, quæ apud Gruterum, & nos reperiuntur, vltra annos vt plurimum menses, dies, & horas expressas videam, saluo meliori aliorum iudicio, crediderim hoc forsan fuisse factum, tum ad ostendendum, quam velociter, quamque contra ordinem parentes filijs orbati essent, tum etiam vt monumentorum inspectores, parentum infortunium ac orbitatem deplorarent.

De Funer. Rom. lib. 3. cap. 10.

In hac inscriptione non est legendum IENS, vt apud Scardeonium, nec VAENS, vt apud Gruterum: Sed VALENS, vt in lapide conspicuum est: hac tamen obseruatione, quod A. L. E. in vnicam literam

Lib. 1. Class. 4. fol. 68. — Fol. 802. n. 9.

co-

coalescunt. Ceterum saxum hoc tribus titulis insigne, Scardeonij temporibus, in ædibus Francisci Quirini Patricij Veneti, ad portam Omnium Sanctorum extabat; temporis deinde progressu, ad Paulum Rhamnusium, cui omnia Quirinorum monumenta obtigere, translatum fuit; vt e Pinelli schedis fatetur Gruterus: tandem vero e Rhamnusiorum ædibus ad Alexandrum Bassanum peruenit: in cuius ædibus parietibus areæ ad manum dextram insertum, etiamnum hodie incolumitate gaudet. *Loco cit.*

23. Duo hæc columnarum fragmenta Ateste Patauium aduecta suspicor, cum eos, quorum exhibent nomina, in Tribu Romilia descriptos legam, cui Ateste antiquitus accensebatur. *Sigon. de Antiq. Iur. Ital. lib. 2. Cap. 3.*

ROM.] ROMVLIA, seu ROMILIA Tribus intelligenda, de qua Festus. *Romuliam Tribum appellatam ait Dionysius ab Romulo, quod in agro ab eo capto de Veientibus ea Tribus censebatur. Terentius Varro dictam ait, quod proxima Romæ esset.* Postea vero detorta vocali Romilia nuncupata est. *Vt autem inter Vrbanas Suburana primam sedem obtinuit, sic inter Rusticas Romilia*, Sigonij testimonio, cui & Rosinus subscribit. Hæc tribus etiam *Quirinalis dicta, quod à Romulo instituta*, vt Alexander ab Alexandro affirmat; qua tamen auctoritate nescio, nisi quicquid à Romulo profectum est, Quirinale dicendum existimet: quod an verum sit necne, accuratiori eruditorum iudicio committo. *Lit. R.* *De Antiq. Iur. Ciu Rō. lib. 1. cap. 3.* *Antiq. Rō. lib. 6. cap. 15* *Gen. Dier. lib. 1. cap. 17*

COR.] COHORS significatur: nam fabri imperitia mendum in saxum irrepsisse suspicor; quoniam COH. non COR. antiquitus sculpebatur. *Cohors, quod vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quidam fit vnum, sic ex manipulis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur*: sic Varro. Cohors autem decima pars legionis erat. *Nam in legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem*; velut ex Cincio obseruauit Gellius. Nec aliter Vegetius: *sciendum est, in vna legione decem cohortes esse debere*. Non omnes tamen cohortes in legione militum numero æquales erant inferiori seculo, quo vixit Vegetius. Nam *prima cohors reliquas, & numero militum, & dignitate præcedebat*, vtpote *quæ suscipiebat Aquilam, tum legionis, tum Romani exercitus insigne*, nec non *imagines Imperatorum*: in eaque censebantur *pedites mille centum quinque, equites loricati centum triginta duo: appellabaturque cohors miliaria: quæ legionis erat caput, & ab ea prima incipiebat acies, cum pugnandum erat*. Ceteræ vero nouem cohortes, vt idem refert, æquali numero & diuisione pedites continebant quingentos quinquaginta quinque, equites sexaginta sex. *De Ling. Lat. lib. 5.* *Noct. Attic. lib. 16. cap. 4.* *De Re Mil. lib. 2. cap. 6.* *Idem ibid.*

Non vero eundem semper militum numerum in cohortibus fuisse, sed modo imminutum, modo auctum pro Reipublicæ statu, &

ne-

Antiq. Rō. lib. 9. necessitate, mihi videtur ostendere Dionysius: *Duas autem, & non plures cohortes secum habebat, quæ numerum mille hominum conficiebant.* Et libro dicto: *Pro portis quatuor cohortes, quarum vnaquæque ex sexcentis viris constabat.* Hist. lib. 28. Cui Liuius noster adstipulatur. *Camertes cum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt.* Antiq. Rō. lib. 16. cap. 5. Ex quo simul constat Rosinum memoria lapsum, quando monet in tota Liuij Historia cohortium mentionem minime fieri; adeoque non C. Marij tempore, vt ipse credit, sed multo ante cohortes institutas fuisse. Hist. lib. 2. Neque enim Liuij verba ab ipso satis expensa sunt; qui dum de bello scribit, quod Tarquinius Superbus pro regni recuperatione Romanis intulit, ista profert. *Latinus dux nihil deterritus vulnere, prœlium ciet, & quia suos perculsos videbat, accessit cohortem exulum Romanorum, cui L. Tarquinij filius præerat.* Et post Cannensem cladem, Romæ Dictatore electo M. Iunio Pera, habet idem Hist. lib. 23. Liuius: *Dictator M. Iunius rebus diuinis perfectis, latoque vt solet ad populum, vt equum ascendere liceret, præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à Consulibus conscriptæ fuerant, & seruorum delectum, cohortesque ex agro Piceno, & Gallico collectas*, &c. Quod anno ab V.C. Fastor. lib. 1. factum D XXXVIII. Videant ergo docti viri, an de cohortibus Liuius mentionem faciat; quantoque tempore ante C. Marium cohortes in militiam introductæ fuerint.

X. PRÆTORIÆ.] DECIMA COHORS in legione Vegetij De Re milit. lib. 2. cap 6. monitu selectissimis bellatoribus constabat, quia in secunda acie sinistrum sustinebat cornu. Verum *Prætoria cohors est dicta, quæ à Prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & ceterorum munere militiæ vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent*: ita Festus. Lit. P. Ideoq; Prætoria cohors comitatus intimus fuit Prætoris, & meliorum militum, qui prætoriani vocabantur, erantque adinstar Celerum, quos Romulus pro sua custodia selegerat: Hist. lib. 43. Liuioque forte cohors ista Regia dicebatur: vt mirum sit, cur Rosinus asseueret, *Scribæ, Accensi, Præcones, Lictores, Interpretes, Tabellarij, Cubicularij, Medici, & qui quotidianæ vitæ propè socij fuerunt, quæ cohors Prætoria, & quasi Prætoria dicta est*; Antiq. Rō. lib. 7. cap. 42. cum teste Festo loco iam memorato, cui assentitur Sigonius, De Antiq. Iur. Prouin. lib. 2. cap. 2. meliores, & fortissimi milites in cohortem Prætoriam adscripti fuerint.

Cur autem cohortis decimæ Prætoriæ miles Q. Ætrius dictus sit, simpliciter affirmare non audeo, nisi quod, cum Augustus, Lipsio teste, De Milit. Rom. lib. 2. Dialog. 4. circa se habuerit nouem prætorias cohortes, verisimile forsan sit alios Imperatores integram legionem pro sui custodia tenuisse, ideoque hunc militem decimæ cohorti prætoriæ fuisse adscriptum.

Canis, & sus contra se concutsantes hac in columna mysticam aliquam

quam voluntatem huius militis videntur repræsentare, quamuis heic ambiguam: diuinare enim possumus, nihil tamen affirmare. Per canem igitur miles hic forsan prodere voluit fidem suam erga ducem, cuius symbolum est canis: vt liquet apud Ælianum de cane il- *De Hist.* lius Colophonij mercatoris, qui apud marsupium heri, à famulo in *Animal.lib.7.cap.29.* itinere amissum, tamdiu excubauit, donec omnem, quam fuerant emensi, viam relegerant. Tū vero diuturna fame confectus, cum conspecto domino in pedes erigere se conaretur, illico & custodiam, & vitam finiuit. Luculentum itidem amoris erga dominos testimonium perhibere valent canes illius Xantippi, qui ne herum suum desererent, rabiosis maris se commisere fluctibus, & ex Attica Salaminam *Idem lib.12 cap.35.* tranatarunt.

Per suem vero obsequium in duces exprimitur: si recte Pierius in Hieroglyph. *Sed quod pertinet ad obsequium erga dominum, habet hoc* *Lib. 5.cap.19.* *canis commune cum suibus, de quibus compertum ait Plinius, furto abactos, agnita voce suarij, merso nauigio inclinatione lateris vnius ad dominum remeasse.*

Ista & similia perquirant alij. Ego vero in venatione quidpiam memoria dignum militi huic accidisse crediderim, idque canis, & suis se cursu insectantium imagine declarari.

Vnam hanc inscriptionem Scardeonius ter exhibet. Primo in peri- *Lib. 1.Class. 4.fol.58.* stylio Diuæ Iustinæ.

Q. AETRIVS ROMVLIA
MACER . MIL . COR.
PRAETORIAE.

Quæ cum ibi non appareat, facile suspicor, Alexandrum Bassanum, qui omni studio talia monumenta collegerat, eam à cœnobitis impetrasse, suasque in ædes transtulisse. Deinde hanc ipsam in eadem domo sic perhibet *Lib.1. Class 4.fol.71.*

MACER . MIL . COR
X . PRAETO.

Demum verba hæc

MIL , COR , X . PRAETO.

immutat, eorumque loco reponit,

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 71. MILI . CORP . X . PRATORIAE.

24. ACVTIO] Acutiam gentem inter plebeias ante Auguſti tempora Panuinius de Nomin. Antiq. enumerat.

SECVNDO] Cognomina non tantum à corpore, corporis partibus, à fortuna, & à moribus tracta obſeruo, verum etiam fortaſſe ab ordine naſcendi: nam iſte C. ACVTIVS SECVNDVS, alium C. Acutium ſe priorem neceſſario habuit.

25. Græcum hoc monumentum ſic Latine interpretandum credo.

EPIPHANIA POLYCRATIS

SALVE

XAIPE] Id eſt SALVE. Antiqui enim mortuis ſuis vale & ſalue dicebant; non quod eis ſalutem optarent, quibus nulla eſſe poſſet, ſed vt oſtenderent, quod ab eis recedebant amplius non videndis. Hinc in Pallantis funere Æneaſ. (Serui. Aeneid. 5.)

(Aeneid. lib. 10.)

Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salue æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale.

Et Auſonius in amitæ ſuæ parentalibus; (Epig. 26. Parental.)

Ergo commemorata Aue; mœſtumque vocata
Pro genitrice vale.

26. Græcum pariter, quod ſequitur monumentum, nihil ab iniuria temporis integrum ſeruat, niſi ΦΥΛΑΣΣΩ, quod Latine ſonat SERVABO.

27. Verba Græca, quæ baſin hanc prægrandē intuentium oculos incurrunt, Clariſſimus Ioannes Cottunius Eques, eruditiſſimus, primuſque in Patauino Lyceo philoſophus, diſertiſſimus politiorum literarum cultor, vir omni virtutum genere præſtantiſſimus, ſic latine reddidit,

1	2	3	4
TRANSEVNTE	AENEA	FINIS	TROIAE INCENSAE

Græ-

Græci namque sexto casu destituti, eius loco genitiuo vtuntur. Qua ratione priores duę voces, nempe ΔΙΑΒΑΙΝΟΝΤΟΣ ΤΟΥ ΑΙΝΕΙΟΥ, æquipollent ablatiuo absoluto, quem Græci vocant γενικὴν ἀπολελυμένην.

Basin hanc in loco aliquo publico, vt puta in theatro, seu foro olim statuam aliquam sustinuisse, & forte Æneæ aut Antenoris nostri, illa Trojani incendij memoria fidem mihi facit: verum cum nihil certi habeam, nihil affirmo. Ceterum dum hæc sunt sub prælo, monumentum istud è domo, in qua asseruabatur, deuenit ad clarissimum, medicorumque nostri æui celeberrimum, Benedictum Siluaticum, qui nobiliore illud honoratutus colonia, transtulit Venetias, in ædes Amplissimi Viri Ioannis Pisauri Equ. inter Reip. Primates summa auctoritate conspicui: quem quo splendidissimi natales destinarunt, virtus & solertia auspicatissime prouexit. Ab ineunte enim ætate grauissimis quasi innutritus negotijs, animum multiplici rerum imbuit experientia, prudentia acuit: vt adeo ob debitam singularium meritorum, tum grauitatis ac moderationis æstimationem, per omnes honorum & dignitatum gradus ad suprema Reipubl. gubernacula admoto, & in numerum D. Marci Procuratorum cooptato, fortuna num quid vlterius conferre possit, videatur ignorare. Ipse autem in tam sublimi gloriæ culmine, in grauissimorum laborum ac curarum solamen accersit antiquitatum studium, non ignarus & hinc summæ nobilitati dignitatique decus & ornamentum accedere posse.

29. ASCONIO] Asconiam gentem Patauij celebrem, multisque illustribus viris refertam fuisse, varij clarissimi nominis auctores confirmanr. Inter primos Q. Asconius Pedianus emicuit, qui Romę vixit temporibus Neronis, fuitque non tantum grammaticus insignis, vt multa, quæ in orationes Ciceronis florentissimo, ac elegantissimo dicendi genere commentatus est, testantur, etsi pauca supersint, verum etiam, si fides Scardeonio habenda, in historia summe excelluit, eamque post septuagesimum tertium ætatis annum, quo tempore luminibus orbatus est, alijs dictauit. De Asconio Pediano Historico Plinius: *Samullam quoque centum decem annis vixisse auctor est Asconius Pedianus.* Sed à Scardeonio dissentit diligentissimus Pignorius, nec forsan absque causa: qui sic in originibus Patauinis. *Ne mi spiace l' auiso di Giuseppe Scaligero sopra Eusebio, che due siano stati gl' Asconij Pediani; vno il grammatico, l' altro l' historico, & ambedue io stimo che fossero de nostri.* Qua de re eruditiores cogitent: mihi enim satis est ostendere, Asconiam gentem vnum siue plures viros illustres produxisse. Siue itaque vnus, aut duo Asconij sint, Asconius certe Pedianus, cum octogesimum quintum iam attigisset annum, in summo omnium honore, Vespasiani Augusti anno tertio diem clausit.

Scard. lib. 1. Class. 3.

Hist. Nat. lib. 7. cap. 48

Cap. 16.

Scard. loco cit.

N 2 Alium

Alium iuuenem Pedianum Patauinum miræ elegantiæ verſibus Silius Italicus extollit. Qui num ex hac familia fuerit necne, ego aſſeuerare non auſim; cum tamen Pedianorum cognomen tribuatur Aſconiæ genti, rationi vtique conſonum eſt, eum hinc oriundum, & forſan illum ipſum fuiſſe, qui ob egregium apud Cannas facinus in familiam ſuam cognomen hoc propagauit. Quod vero eruditiſſimus Pignorius dicat, *& all' Historico io credo, che miraſſe Silio Italico nel 12. celebrandolo con quaranta, & più verſi degni della vena di Virgilio. Il fondamento della mia congiettura è, perche furono contemporanei*, captum meum prorſus ſuperat. Igitur tanti viri pace, ſi Aſconius hiſtoricus Silij fuit æqualis, hunc, quem ſuis verſibus idem poeta celebrauit, quemque infami illi Romanorum cladi apud Cannas, quæ longo tempore præceſſit, interfuiſſe refert, alium plane fuiſſe neceſſe eſt. Pro horum omnium confirmatione liceat mihi Silij verſus ſubiungere.

Loco cit.

Silius lib. 12

Pelydamanteis iuuenis PEDIANVS *in armis*
Bella agitabat atrox, Troianaque ſemina, & ortus,
Atque Antenorea ſeſe de ſtirpe ferebat.
Haud leuior generis fama, ſacroque Timauo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Hunc Pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,
Seu Muſas placidus, doctæque ſilentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,
Non vllum dixere parem: nec notior alter
Gradiuo iuuenis, nec Phœbo notior alter.
Qui poſtquam effuſis vrgens veſtigia frænis
Pœnorum, iuxta galeam atque inſigne peremptì
Agnouit ſpolium Pauli: puer illa gerebat
Non paruo lætus ductoris munere Cinyps,
Dilectus Pœno Cinyps, quo gratior ore
Non fuit, aut vlli nituit plus fronte decoris
Quale micat ſemperque nouum eſt, quod Tyburis aura
Paſcit ebur: vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris aduectus ab Jndis.
Quem poſtquam egregium criſtis, & caſside nota
Fulgentem extremo PEDIANVS *in agmine vidit,*
Ceu ſubita ante oculos Pauli emerſiſſet imago
Sedibus infernis, amiſſaque poſceret arma,
Inuadit frendens: tune ignauiſsime ſacri
Portabis capitis, quæ non ſine crimine veſter
Inuidiaque Deum geſtaret tegmina ductor?
En Paulus, vocat inde viri ad ſpectacula manes,

Et

Et fugientis agit costis penetrabile telum.
Tum delapsus equo, galeam atque insignia magni
Consulis abrumpit dextra, spoliatque videntem.

Vbi statim ac encomium morientis pueri, extincti Consulis arma ferentis, expleuit, sic progreditur.

Ipse etiam capta PEDIANVS *casside, nudos*
Attonitus stupet ad vultus, irasque coercet.
Tum galeam magno socium clamore reportans,
Immitem quatiebat equum, spumantia sæuo
Fræna cruentantem morsu saeui turbidus armis
Obuia Marcellus rapido tulit ora tumultu:
Agnoscensque decus, macte o virtutis auitæ
Macte ANTENORIDE; *nunc, inquit, rapta petamus*
Quod superest Libyci ductoris tegmina ———

Ceterum istum C. Asconium, cuius in lapide mentio, ex Decurionibus ciuitatis nostræ fuisse, inde videtur constare, quia fuit IIII VIR. Iuri dicundo: qui primus eo æuo magistratus erat, vt iam obseruaui. Pariter etiam ex Decurionibus fuit ille Asconius Gabinius Modestus, qui Præturam gessit; vt in quodam eius lapide suo loco ostendemus.

SACERDOS] Sacra etiam, quibus feminæ præerant, fuerunt apud antiquos. *Quoniam autem nonnulla etiam sacra per mulieres fieri oportebat, & alia per pueros patrimos matrimosque, vt hæc quoque optime peragerentur, iussit* (Romulus scilicet) *vxores sacerdotum cum suis maritis sacerdotio fungi, & si qua sacra nefas esset patrio more à viris fieri, hæc ab illis peragi*. Auctor est Dionysius. Ita Virgines Vestales Vestæ ministrabant sacrumq; ignem custodiebant. Fortuna quoq; muliebris, cuius templum Matronæ Romanæ, ob Marci Coriolani rabiem à matre mulierum suasu emollitam, extrui à Senatu petierant, sacra feminæ administrabant: & quidem, vt narrat idem, *mulieres ex suæ Sacerdotis sententia morem constituerunt, vt neq; coronæ huic simulacro imponerentur, neque manus ad id à mulieribus, quæ secundas nuptias expertæ fuissent, admouerentur; sed recens nuptis honor iste deferretur, & huius cultus cura omnis ijs committeretur.* Hinc Sacerdotes Bonæ Deæ seu Faunæ, siue Fatuæ, ad quam non nisi mulieribus ingredi fas erat; de cuius sacrificijs Plutarchum consulere licet. Hinc Festo monente, *Flaminia dicebatur Sacerdotula, quæ Flaminiæ Diali praeministrabat.* Est & apud Senecam de Sacerdote prostituta controuersia perelegans.

Antiq.Rō. lib.2.
Antiq.Rō. lib.8.
In Quæst. Rom.n.20.
Lit. F.
1.Controu.5.

DIVÆ DOMITILLÆ] Vespasianus Imperator ex Flauia Domitilla vxore tres liberos tulit, Titum, Domitianum, & Domitillam. Hanc cum patre, & fratre Domitianus in Diuorum numerum retulit. Vnde Statius.

Sueton.in Vesp.cap.3.

Siluar.1. *Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,*
Et soror, vna locum ceruix dabit omnibus astris.

In Domit. cap. 5. Istis omnibus Tranquillo teste templum dedicauit. *Nouam autem excitauit ædem in Capitolio Custodi Ioui, & forum quod nunc Neruæ vocatur; item* FLAVIAE *templum gentis.* De quo etiam Martialis.

Lib. 9. Epigram. 2.
Dum Ianus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux calendarum:
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt:
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona diues dulce Iulium nomen:
Manebit altum FLAVIAE *decus gentis,*
Cum Sole, & astris, cumque luce Romana.
Inuicta quidquid condidit manus, Cœlum est.

Qua autem forma in consecratione vsi sint Romani, qualesque ritus seruauerint, fuse Herodianus in Seuero exponit: ad quem lectorem remitto.

Post consecrationem consecratus vna cum ceteris numinibus colebatur, tuncque ministri sacrorum designabantur, sacerdotes illius, Suet. in Domit. cap. 4. qui consecratus fuerat, nuncupati. Ideo Collegium Flauialium Domitianus instituit, qui patri, & Flauiæ genti consecratæ ministrarent. Sic *post Augusti mortem atque consecrationem in omnibus orbis Romani Colonijs, & Municipijs, quemadmodum Romæ, nouum in Augusti honorem sacerdotium institutum est; nempe Flamen vnus, &* VI *viri Augustales, ob id vocati, quod sacra Augusto facerent in ea Colonia*; velut Antiq. Veron. lib. 2. c. 32. apud Panuinium legitur. Quare minime absurdum iudico, & Patauij forsan templum Diuæ Domitillæ dedicatum fuisse, in quo ASCONIA C. F. quæ conspicitur in saxo, sacerdotij munere functa fuerit.

30. ATILIVS] Atilia gens Romæ patricia, sed minorum gentium, & plebeia fuit. In patricia Consul cognomine Longus: in Vrsin. de Famil. Rom. plebeia vero Consules cognominati, Regulus, Calatinus, Bulbus, Ser- Panuin. de Antiq. Ver. ranus, Libo enumerantur. In hac familia clarus apud nos quoque vixit Sex. Atilius Serranus, vtpote qui in nostras regiones à Senatu Proconsul missus fuit, ad litem inter Atestinos & Veicetinos de finibus contendentes componendam; vt in saxo videbimus.

LACHES] Cognomen est à Λάχος Græca voce profectum, quod sortem, & quod sorte obtingit, denotat. Vnde iste vir Laches forte est cognominatus, tanquam sorte vitam obtinuisset.

PHOEBAS] Cognomine hoc Phœbi Sacerdos fatidica, Phœbi interpres significatur.

Lib. 1. Class. 4. fol. 72. & 3. Hoc monumentum apud Bassanum Scardeonius geminatum exhibet,

bet, non alio discrimine, nisi quod primum, vt reuera est, mutilum notet, alterum ad hunc modum.

C : ATILIVS
LACHES ET
ATILIA PHOEBAS
PIENT . B . M . P.
QVI LEGIS . T . V.

Sed in lapide VALE, & non V. tantum conspicitur.

31. TERENTIA] In Terentia familia plebeia, Panuinio teste, Varro, Muræna, Culeo, Messana, Parister consules enumerantur. In hac præcipue notandus Varro ille, qui licet cum Æmilio Paulo ad Cannas deuictus esset Reipublicæ Romanæ magnitudine periclitante, nihilominus ipsi *redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus fuit, & gratiæ actæ, quod de Republicâ non desperasset.* veluti testatur Liuius. *De Antiq. Nomin.* *Hist. lib. 22.*

MINVCIO] Minucia gens Romæ & patricia, in qua consul cognomine Augurinus, & plebeia, in qua Consules Rufus, Thermus, Pica, Melliculus dicti. Verum hæc gens eadem cum patricia fuit, & plebeia facta est Vrsini testimonio, ex Lucij Minutij Augurini ad plebem transmigratione. Sed Minuciæ gentis cognomen in nobilissima familia, quæ Serauallij inter primas sibi locum est adepta, etiamnum floret. *Panuin. De Antiq. N.* *De Famil. Rom.*

34. ARRVNTIO.] Arruntia gens, quamuis Romæ inter plebeias à Panuinio recenseatur (quod forsan primis illis exceptis, ex quibus Romulus centum Patres elegit; vel ex quibus Tarquinius Priscus Senatorum numerum ad ducentos adauxit; siue ex quibus L. Iunius Brutus primus Romæ Consul eundem Senatorum numerum ad trecentos ampliauit, ceteræ omnes familiæ plebeiæ fuerint) nihilominus Arruntiam gentem Patauinam ex maioribus patricijs prodijsse, in epithalamio Stellæ ac Violantillæ testatur Statius. *De Antiq. Nom.* *Idem ibi.*

——— *clarus de gente Latina* *Siluar. 1.*
Est iuuenis, quem patricijs maioribus ortum
Nobilitas gauisa tulit, præsagaque formæ
Protinus è nostro posuit cognomina Cœlo.

Gens ista consulibus inclaruit L. Arruntio L. F. L. Nepote, qui cum M. Claudio M. F. M. N. Marcello Æternino anno Vrbis Conditæ D CC XXXII consulatum tenuit, Cæsaris Augusti tribunitia po- *2. Fastor.*

testate

testate prima: itemque L. Arruntio L. F. L. Nepote, L. Arruntij viri
1. Fastor. & comment. in eosdem. consularis filio, qui cum M. Aimilio L. F. Lepido anno V. C. DCC
LIX consulatum inijt, Cæsaris Augusti, tribunitia potestate XXVII
Annal 1. & XXVIII. Et forsan fuit ille, qui (vt Tacitus obseruat) Tiberio suspe-
Annal. lib. 6. ctus, ac infestus, tandem, ne eius nece gloriaretur, sibi ipsi venas secuit mortemque intulit.

Inter ceteros hæc gens habuit L. Arruntium Stellam, patriæ nostræ
Tacit. Annal. 13. decus eximium, cui sub Nerone *cura ludorum, qui à Cæsare parabantur,* demandata fuit: fueratque ante, si vera Scardeonius tradit, primo Prætor,
Lib. 1. Class. 3 deinde Duumvir. Hunc sub Domitiano Consulatu functum esse, te-
Lib. 12. Epig. 3. stis est Martialis in epigrammate ad librum suum.

Vel si malueris, prima gradiere Subura:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hianteæ Stella petitor aquæ.

Lib. 9. Epig. 43. Pro quo consulatu idem poeta sic Apollini se deuouerat.

Campis diues Apollo sic Murinis,
Sic semper senibus fruare cycnis,
Doctæ sic tibi seruiant sorores,
Nec Delphis tua mentiatur vlli,
Sic Palatia te colant, amentque:
Bis senos cito me rogantes fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.
Felix tunc ego, debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuuencum
Nata est hostia, Phœbe, quid moraris?

Noster autem Arruntius Stella Consul ex eorum non fuit numero, qui maiores seu ordinarij erant dicti; quiq; in fastis designabantur, & sub quorum consulatu, quicquid eo anno memoria dignum acciderat, in acta publica referebatur; quum & anno nomen darent, & annorum series ab eorundem consulatibus numeraretur; ita vt Imperatorum temporibus tantum Cæsares, aut Imperatores ipsi, vel saltem e ciuibus nobilissimi dignitatem hanc obtinerent; sed ex ijs, qui minores vel suffecti vocabantur, eo quod maioribus consulibus subrogabantur, &c, cum vel se abdicassent, vel quapiam alia de causa officij sui partes explere non poterant, eorum loco consulatum gerebant, frue-
Panuin. Comm. in 1. Fast. vbi de. Cons. banturque toga prætexta, sella curuli, lictoribus, & fascibus XII, vt maiores consules. Verum de quodam consulatu L. Arruntij Stellæ sub Traiano Imperatore meminit tabula ænea, quam Aldus Manutius ex-
De Ortogr. Rat. hibet: cuius initum est tale.

L. AR-

L . ARRVNTIO : STELLA
L . IVLIO MARINO COS.
XIIII . K . NOV.
M'. ACILIVS . PLACIDVS . L . PETRONIVS . FRONTO
IIII . VIR . I . D. S . C . FERENTIN.

Ad reliqua apud ipsum Manutium videnda lectorem remitto.

Arruntium porro Stellam insignem poetam extitisse, Statius indicat. *Epistol. in 1. Siluar.* *Diu multumque dubitaui Stella iuuenis optime, & in studijs nostris eminentissime*. Et Martialis de sua puella. *Lib. 7. Epig. 13.*

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puella,
Amisit lusus, deliciasque suas:
Non quales teneri plorauit amica Catulli
Lesbia nequitijs passeris orba sui,
Vel Stellæ cantata meo, quam fleuit, Hiantis;
Cuius in Elysio nigra columba volat.

Quinimo Martialis in Stellam, quod plures annullos gestauerit, eleganter ludit, dum dicit eum gemmas à scriptis ad manus transtulisse. *Lib. 5. Epig. 11.*

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenies: inde est hæc, puto, culta manus.

Violantillam ipse perdite amauit: de qua sub Hiantis nomine (quod Græce viola est) plura cecinit: sed omnia, prô dolor! penitus periere, nec præter nominis gloriam quidquam superest. Eam demum vxorem duxit, vt planum est e Statij epithalamio, & apud Martialem, *Siluar. 1. Lib. 6. Epig. 21.* qui sic eleganter cecinit.

Perpetuam Stellæ dum iungit Hiantida vati
Læta Venus, dixit plus dare non potui.

Ciuibus igitur, qui nostram illustrarunt patriam, iure eum Martialis accensuit. *Lib. 1. Epig. 62.*

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est.
Censetur Apona Liuio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

Camillum Arruntium quoque Consulem, cum Gn: Domitio Aeno-

O barbo

In Othon. cap. 2. barbo apud Suetonium lego. *Otho Imperator IIII Kalend. Maij natus est Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo Coſs.* Atvero locum hunc non plane ſuſpicione vacare arbitror. Nam Camillus, quod prænominis De Nom. Rom. loco Arruntio additur, Furiæ familiæ cognomen fuit, Sigonio teſte; nec ab vllo hac ratione vſurpatur. Temporis quidem tractu nomina, & primum Diocletiani ætate, in prænomina tranſijſſe, cum Panuinio in prænomine Flauio obſeruare licuit: cognomina vero vlla in vſum prænominum mutata, hucuſque, quod ſciam, nullus obſeruauit: ſicuti, & nomina familiarum ad cognominum vſum traducta minime fuiſſe opinor; vt hic de Arruntij nomine gentilicio videtur. Cognomina enim non à familijs, ſed ab animo, à corpore, à fortuna, tra- Eodem lib. cta, monet Sigonius. Suſpicionem confirmant meam hæc Taciti ver- Annal. lib. 6 ba: *Gn. Domitius, & Camillus Scribonianus conſulatum inierant.* Qua auctoritate fretus in Faſtis Panuinius ad annum Vrbis Conditæ DC CXXCV hos conſules deſignat.

GN. DOMITIVS L. F. GN. N. AENOBARBVS
A. VITELLIVS P. F. Q. N. IN. M. M. E. IN. E. L. F. EST
M. FVRIVS. M. F. M. N. CAMILLVS SCRIBONIANVS.

Immo in commentarijs Faſtorum ad eundem annum addit: *Hoc an-* In 2. Faſtor. *no, vt Suetonius tradit, Otho Imperator natus eſt IV Kal. Maij.* Ex his itaque conſtat Camillo Arruntio ſubſtituendum eſſe in Suetonio M. Furium Camillum Scribonianum: de quo tamen eruditorum ſententiam expecto.

TER. AQVILÆ] Portenarius noſter de iſto Arruntio hæc ha- De Felicit. Vrb. Pad. lib. 5 cap. 8. bet: *Arrontio Padouano fù tre volte Aquilifero de Romani*: cui Scardeonius neutiquam patrocinatur; qui loco AQVILAE, vt eſt in ſaxo, Lib. Claſſ. 4. fol. 71. legit AQVLIF. Quem lapſum diſſimulare non potui; quum nemo, antiquitatum notitia etiam leuiter imbutus, ignoret, iſtis literis indicari TERENTINAM Tribum, quæ, vt in Tribu Fabia iam diximus, nomini illius, cuius eſt inſcriptio, proxime ſubiungitur. Legendum itaq; M. ARRVNTIO MARCI FILIO TERENTINA AQVILAE; non autem TER AQVILIFERO. Aquilæ igitur illi cognomen erat. Et cum cognomina, vt paulo ante cum Sigonio monui, vel ab animo, vel à corpore, vel à fortuna deſumantur; ad animum vero ſpectent, virtutes, mores, oratio, artes, ſtudia, res geſtæ; ad corpus, partes, color, Sigon. de Nom. Rom. habitus, veſtitus, ſimilitudo alterius, locus, & huiuſmodi complura; cognomen iſtud forſan à corporis colore deſumptum fuit. Sic enim Lit. A. de colore aquilio Feſtus: *Aquilius color eſt fuſcus, & ſubniger à quo Aquila dicta eſſe videtur.* Quid igitur vetat Arruntium Aquilam ſubnigrum & fuſcum fuiſſe? niſi malimus Aquilam à celeritate cognominatum: nam & Feſtus notat, aquilam ſic eſſe dictam ab acute volando. Quid ſi ab oculorum acie, quæ ſumma eſt aquilæ,

quam

quam nec elegantissimus naturæ interpres siluit? *Pullos suos percutiens subinde cogit aduersos intueri solis radios: & si conniuentem humectantemque animaduertit, præcipitat e nido, velut adulterinum atque degenerem: illum cuius acies firma contra steterit educat.*

Plin. Hist. Natur. lib. 10. cap. 3.

TER.] TERENTINAE vero tribus origo & appellatio Alexandro ab Alexandro videtur obscura: quam tamen cum Sigonio Rosinus subdubie à Terento campi Martij loco deriuat. Terentum vero apud Festum *locus in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris in terra occultaretur*. Hæc tribus in ordine trigesima tertia fuit, ceteris addita cum Aniene, Liuio auctore. *Et lustrum eo anno conditum à P. Sempronio Sopho, & P. Sulpicio Auerrione Censoribus: Tribusque additæ Aniensis, & Tarentina.* Quod factum anno V. C. CD LIIII.

Gen. Dier. lib. 1 cap. 17. De Antiq. Iur. Ciu. Rö. lib. 1. cap. 1. Antiq. Rö. lib. 6. cap. 19. Lit. T. Hist. lib. 10. Fast. r. lib. 1

III. VIRO. A. A. A. F. F.] Quæ notæ ab omnibus leguntur TRIVMVIRO AVRO ARGENTO AERE FLANDO FERIVNDO. Romæ magistratus iste Triumvirorum Monetalium dicebatur: quorum erat prouidere, vt numismata aurea, argentea, ærea probæ materiæ iustique ponderis flarentur, ac ferirentur. Eorum originem pace eruditissimi Fuluij Vrsini, qui Ciceronis tempore, vel paulo ante Triumviros Monetales electos putat, post Cannensem cladem apud Liuium reperio (si tamen ijdem Triumviri Mensarij, & Monetales fuerunt, vt nonnullis placet). *Et Romæ quoque propter penuriam argenti Triumuiri Mensarij rogatione Minutij Trib. Pl. facti. L. Æmilius, qui Consul Censorque fuerat: & M. Atilius Regulus, qui bis Consul fuerat; & L. Scribonius Libo, qui Trib. Pl. erat;* Ex quo tempore Triumviros Monetales originem traxisse, notant ad hunc locum Alex. ab Alexan. loco dicto, & Guarinus Piso Soacius eruditissimus Iurisconsultus Patauinus, sub Dictatura M. Iunij Peræ V. C. anno DXXXVIII. Horum quamplurima reperiuntur numismata, ab ipsis in honorem Augusti, ac Tiberij cusa, & aliquando quatuor fuisse obseruat Vrsinus. *Atque ita recte, & vere locutus erit Dio, qui lib.* LIIII. *dixit Triumuiros Monetales ab Augusto institutos fuisse, hoc est, eorum numerum à Cæsare auctum, & Quatuoruiros pro Triumuiris factos, ad Triumuiros rursus, vt primum erant, redactos.* Sed & Triumviros Monetales in Serenissima Republica Veneta receptos, omnibus liquido constat. Ad quos, veluti ad apud Romanos olim, pertinet curam gerere, ne argentum aut aurum imperfectius aut impurius, quam lege sancitum est, cudatur, & feriatur. nostro autem æuo vernacula lingua *Proueditori di Cecha* nuncupantur.

Pomp. Let. de Magistr. Rom. cap. 24. Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 16. Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. 18. De Famil. Rom fol. 71. Hist. lib. 23. De Rom. & Venet. Magist. int. se Collat. n. 125 1. Fast. r. De Famil. Rom. fol. 99.

QVÆST. CÆSARIS] Id est QVAESTORI CAESARIS. *Quæstores à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias,* dictos habet Varro. Huius magistratus initium antiquissimum esse Pomponius demonstrat. *Romulus, vt Iunius lib. 7. scribit, suffragio populi Quæstores binos*

De Ling. Lat. lib. 4. De Magistr. Rom.

creauit : *alij volunt Numam Pompilium*; *sed verius constat de Tullo Hostilio*. Quæstores primum creatos fuisse duos, inde quatuor, postea sex, tandem Syllana lege intercedente, temporis cursu numerum viginti excessisse, testis est Alex. ab Alex. Quæstorum porro munera varia scriptores rerum Romanarum colligunt. Nostra etiam Serenissima Respublica Quæstores vtplurimum duos habet penes quos in quauis ciuitate ærarij publici cura est, atque *Camerlenghi* vocantur. Quæstoriæ dignitatis in mea Patria imaginem repræsentat, singularis, ætate simul ac nobilitate conspicuus noster ciuis, qui *Cassiero del Santo monte* communiter à nobis nuncupatur.

Gen. Dier. lib. 2. cap. 2.

Quæstor vero Cæsaris quisnam fuerit, nullus est quod sciam, qui demonstret: nisi forsan dicendum, Quæstores Cæsaris & Quæstores candidatos, qui soli, teste Vulpiano, libris principalibus in senatu legendis vacabant, eiusdem fuisse generis. Quod si ita est, Quæstor candidatus, qui & Quæstor Principis dicebatur, à Quæstore Cæsaris nihil discrepat. Quanti autem quæstores Principis æstimari fuerint, testimonium præbet pro Theodorico Rege Cassiodorus hisce verbis ad Senatum Romanum. *Omnes enim, quos ad Quæsturæ culmen euehimus, doctissimos existimamus: quales legum interpretes, & consilij nostri decet esse participes. Dignitas quæ nec diuitijs, nec solis natalibus inuenitur: sed tantum eam doctrina cum coniuncta potest impetrare prudentia. Nam licet in honoribus alijs beneficia conferamus, hinc semper accipimus. Est nimirum curarum nostrarum felix portio: ianuam nostræ cogitationis ingreditur: pectus, quo generales curæ voluuntur agnoscit. Æstimate quid de illo debeat iudicari, qui tanti particeps est secreti*. Ex quibus conijcere licet, quod Quæstor Principis, & forte Cæsaris, idem erat, qui Venetijs hodie *Cancellarij Magni* titulo gaudet. Sed plura, & singularia de Quæstoribus Brisonius & Cuiacius eruditissime.

L. Vnic. ff. de Offic. Quæst.

Variar. lib. 5. n. 4.

De Verb. si gnif. lib. 5.

Ad D. L. Vnic. ff. de Off. Quæst.

TRIB. PL.] TRIBVNO PLEBIS. Notum est omnibus, quod decimo septimo anno post exactos Reges, plebs, nimis grauibus à ditioribus affecta iniurijs, in montem quemdam ad Annienem amnem, haud procul ab vrbe situm, confugerit: quæ prius non est in ciuitatem regressa, quam magistratum haberet, qui eam rueretur à præpotentium molestijs. *Ita Tribuni plebeij creati duo, C. Licinius & L. Albinus. Hi tres collegas sibi creauerunt. in his Sicinium fuisse seditionis auctorem, de duobus qui fuerint, minus conuenit.* ita docet Liuius. Qui magistratus vt sacrosanctus esset, hanc tulerunt legem. *Tribunum plebis inuitum nemo, vt vnum de vulgo, quidquam facere cogito: neque verberato nec ab alio verberari iubeto: neque interficito; neque interfici iubeto. Quod si quis contra ea, quæ interdicuntur aliquid fecerit, sacer esto, & bona Cereri sacra sunto: & qui eum occiderit, quod tale facinus patrarit, purus à cæde esto.*

Dionys. Antiq. Rom. lib. 6.

Hist. lib. 2.

Dionys. loc. cit.

Dionys. ibid.

Pote-

Potestas hæc, etsi tantum ad plebem tuendam inuenta, Ciceroni tamen *pestifera videtur: quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit.* Hinc Plutarchus: *Ius Tribunitiæ potestatis magis ad impediendum, quam ad agendum: quippe ceteris omnibus collegis volentibus, vnus qui nolit, & intercedat plus potest.* Vnde post institutos Trib. Pl. ius consulare imminutum fatetur Cicero. Et sane Tribunorum Plebis nimium præualuit auctoritas: nam post Marij Coriolani vocationem ad plebis iudicium ab ipsis institutam (quæ Dionysio auctore prima fuit) *postea ab illo tempore hoc in consuetudinem venit, vt Trib. Plebis, quibuscumque ciuibus libuisset diem dicerent, qua ad causam dicendam ad populum venirent.* Itaque tanta ipsorum erat auctoritas, vt neque Consulibus aliquando pepercerint. Ideo cum plebs optimatum potentiam à se iam euersam existimasset, L. Syllam magnopere extollit Cicero, *qui Tribunis plebis sua lege iniuriæ faciendæ potestatem ademerit, auxilium ferendi reliquerit.* De Legib. 3. In Catone Vtic. De Leg. 3. Antiq. Rō. lib. 7. De Legib. 3.

Ceterum Tribunis plebis nec sella curuli, nec purpura, nec lictore vt Consulibus, sed Viatore solum vti licebat; ipsisque non vocatio, sed prensio competebat. Sic enim teste Gellio ex Antistio Labeone respondit illa mulier Viatori Tribuni, qui eam in iudicium vocabat. Tribuni præterea nullam habebant potestatem in ijs, quæ extra vrbem erant: nam eorum potentia mœnibus circumscribebatur. Ideo anno ab V. C CCLXXI designatis Consulibus M. Fabio K. F. Vibulano, & L. Valerio Volusi F. Potito, cum petijssent, vt militum loco, qui in bello contra Antiates ceciderant, alij conscriberentur, ingens in vrbe ortus est tumultus, nec Senatui vllus obtemperabat, quum à Tribunis populus excitaretur. Itaque *Consules extra vrbem in proximum campum progressi, ibi sellas Imperatoris posuerunt, & milites conscribebant, & qui legibus non parebant, pecunijs mulctabant. Tribunus vero, qui militum conscriptioni delectuiq; intercedebat, nihil amplius contra hæc facere poterat* vt auctor est Dionysius. Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 1. cap 3. Noc. Attic. lib. 13. c. 12. Dionys. Antiq. Rom. lib. 8. Idem ibid.

Vlterius integrum diem extra vrbem abesse Tribunis fas non erat, eorumq; domus die ac nocte nulli claudebantur, tamquam securum perfugium eis, quibus opportunæ videbantur. Tribunorum plebis potestatem, non quoad personas, sed quoad dignitatem, repræsentare videntur Venetijs *Aduocatores Communis*, qui magis intercessione quam sententia pollent. Sicuti enim Trib. Pl. ad populum seu plebem referebant, ita hi de leuioribus causis ad Quadraginta Viros, de maioribus ad Senatum, de maximis interdum ad maius Consilium referunt: vt ex Sabellico, & Contareno diligenter obseruat Soacius. Macrob. Saturn. lib. 1. c. 3 Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. 23. De Rom. & Venet. Magistr. inter se Collat. n. 80.

PRO. COS.] Id est PROCONSVLI. De Proconsulatus origine quidpiam certi affirmare non audeo, cum omni dignus laude solertissimus Panuinius, eum anno ab V. C. CDXXVIII. cœpisse Comment. in 1. Fastor.

 doceat,

doceat; primumq; Proconsulem nominet Publilium Philonem. Quoniam cum comitijs imminentibus Palæopolitanos obsideret, ita vt à mœnibus eũ auocare spes capiendę vrbis nõ permitteret, *actum cum Tribunis est, ad populum ferrent, vt cum Publilius Philo consulatu abijsset,*
Hist. lib. 8. *proconsul regeret, quoad debellatum cum Græcis esset.* ita Liuius: apud quem tamen, & Dionysium, longe prius Proconsulem electum obseruo. Anno enim ab V.C. CC LXXXIX A. Postumio Allo, & Sp. Furio Medullino Coss. bello contra Æquos infeliciter gesto, ait Liuius:
Hist. lib. 3. *Optimum visum est Proconsulem T. Quinctium subsidio castris cum so-*
Antiq. Rõ. lib. 9. *ciali exercitu mitti.* Additque Dionysius: *Factumque est ante claram lucem S.C. vt T. Quintius, qui ter Consul fuerat, cum lectissima peditum, equitumque iuuentute. Proconsulari imperio ornatus in hostes confestim iret.*
De Magistr. Rom. Ex quo tempore statutum fuisse inquit Pomponius Lætus, vt qui consules vno anno fuissent, altero Proconsules essent.

Proconsules autem fuerunt, vel quibus vltra terminum magistratus ipse prorogabatur: talisque fuit Publilius Philo, de quo supra: vel qui priuati in prouinciam, aut ad bellum destinabantur: inter quos apud
Hist. lib. 26. Liuium obseruo P. Cornelium Scipionem: qui tametsi ætatis haudquaquam maturæ, cum die comitiorum de creando in Hispaniam Proconsule adesset, nec vlli maiorum eius prouinciæ suscipiendæ fiducia esset, ipse professus est se illam petere, statimque cunctis suffragijs designatus fuit. Vel Proconsules fuerunt dicti, qui post Consulatum in Vrbe gestum, ad prouincias consulares regendas mittebantur pro Consulibus. Lege enim Sempronia C. Gracchi Trib. Pl. sancitum fuit, vt Senatus quas vellet Prouincias, alias Consulares, alias Prætorias declararet. Non enim hæc, vel illa prouincia semper aut consularis, aut prætoria erat, sed pro voluntate Senatus: in quas, si essent consulares,
Paul. Manut. de Legib. Proconsules, si Prætoriæ, Proprætores annua administratione destinabantur. Demum Proconsules fuerunt, qui ab Imperatoribus in prouincias sibi reseruatas mittebantur: quæ tametsi prætoriæ essent, nihilominus ijs, quibus committebantur, Proconsulum titulum
Dio lib. 53. impertiebant. Proconsules vero in prouincias ibant cum XXII fascibus; Proprætores cum sex, & secum Legatum ducebant, cuius adiumento in administratione vterentur. Attamen manumittere non pote-
Manut. de Legib. rat, cum penes Proconsulem tantum manumissio esset.

XV. VIRO SAC. FAC.] Videlicet QVINDECIMVIRO SACRIS FACIVNDIS. Tarquinius Superbus post emptos tres illos libros, qui ex nouem superer ant, quos mulier quædam ei venum obtulerat, sed ludibrio habita tribus his exceptis cremauerat, scribit Dio-
Antiq. Rõ. lib. 4. nysius, quod *Duumviros ex nobilium numero creauit, & duos publicos ministros ipsis addidit, illisque horum librorum custodiam mandauit.* An-
Hist. lib. 6. no vero ab V.C. CCC LXXXIIII vt memorat Liuius, Tribunis militum

litum consulari potestate Q. Seruilio, C. Vetutio, A. & M. Cornelijs. Q. Quinctio, & M Fabio, promulgata lex est, *vt pro Duumviris sacris faciundis Decemviri crearentur: ita vt pars ex plebe, pars ex patribus fiat.* Quem quidem numerum mansisse vsque ad Cornelij Sullæ tempora, obseruant Alex. ab Alex. & Io. Rosinus. Hinc Quindecimvirorum habetur, ita vt ipsi verisimile putent, L. Sullam Decemviris, quinque alios addidisse. *Gen. Dier. lib.3.cap.16. Antiq. Rō. lib.3.cap.24*

Illis non tantum Oracula Sibyllina asseruandi, sed aliquando fastos corrigendi cura, teste Pomponio, concredita fuit; nec non ludorum secularium, vt fatetur Vrsinus in gente VOLTEIA. *De Magist. Rom. De Famil. Rō.fol.287.*

Sed præter hunc M. Artuntium, Thrasea Pætus quoque noster, Tacitii fide, hoc insigni sacerdotio donatus fuit. Cum enim Capito Cossutianus infensissimus eius hostis ipsum criminaretur, ei obiectabat: *Principio anni vitare Thraseam solenne iusiurandum: nuncupationibus votorum non adesse, quamuis Quindecimvirali sacerdotio præditum.* Ex quibus colligere mihi liceat, quanti Romæ fuerint Patauini, cum in eorum Sacerdotum fuerint numero, in quo & Augustus fuit; & cum ipsis rem commendauerint Romani, qua religiosius, ac sanctius nulla custodiebatur, Sibyllina nempe oracula. *Annal.lib. 16. Vrsin. de Famil.Rom. fol.161. Dionys.Antiq.Rom.lib. 4.*

Minime tandem omittendum, apud Scardeonium hanc M. ARRVNTII inscriptionem corruptam esse. Non enim legendum est ARRONTIO, vt apud ipsum; sed ARRVNTIO: nec AQVILIF. sed AQVILAE, vt in saxo patet: nec MARRVNTIO, vt apud collectores inscriptionum sacrosanctæ vetustatis apparet; sed M. ARRVNTIO, vt habet saxum. *Lib. 1. Class. 4.fol.72. Fol. 336.*

35. Prænomina, nomina, & cognomina non tantum nobiliorum fuerunt, vt innuit Ausonius: *De Tern. Num. Eydil.4.*

Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero Tribus, & sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ. Tria nomina nobiliorum.

verum etiam libertorum. Serui enim, statim ac manumissi erant, prænomen, nomen, & cognomen assumebant: quæ ex Quintiliani sententia solum liberorum propria erant. *Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, Tribum.* Cuius rei necessitas eueniebat ex nomine illius gentis, quod accipiebant serui cum manumitterentur. Vnde cum in vna familia vtplurimum multi serui manumissi essent, omnes illius familiæ nomine, quod proprium antiquitus erat, vocabantur, ad confusionem tollendam. Ideo ipsi etiam liberti vt ingenui, prænomine, nomine, & cognomine distinguebantur: ita tamen, vt etiam nomen seruile retinerent, adiecto prænomine & nomine patroni. vt Tiro Ciceronis libertus, dictus est M. Tullius Tiro. *Instit. Orat. lib.7.cap.4.*

In Aug. cap. 56. CASTRITIO] Hanc gentem Romanam fuisse, patet tum ex Suetonio, *Unum omnium e reorum numero, ac ne cum quidem nisi precibus eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castritium, per quem de coniuratione Murenæ cognouerat* : tum ex sinistra parte basis, erectę M. Aurelio Antonino Aug. L. Sept. Seueri Imp. filio à Collegio fabrorum tignariorum, in qua recensetur

Grut. fol. 168. n. 1. CASTRICIVS PROCVLVS.

Tum etiam ex tabula marmorea, quæ Ateste in ædibus Contareni extat: in qua est

Idem fol. 328. n. 1. L. CASTRICIVS OMVNCIO.

Ac ne in re plana hæream, pariter in monumento Celeiæ supra S. Maximiliani portam posito legitur:

D : M.

Idem fol. 386. n. 3. D : CASTRITIO. VERO

ANTONIO

DEC : CL. CEL. AN. XXVI

IVLIA. Q : FIL. VERA

MATER

V. F. ET SIBI

Vbi DEC. CL. CEL. denotat DECVRIONEM COLONIAE CELEIAE. Non itaque scribendum fortasse erat CL. sed COL. quod Coloniæ est nota. Celeia enim Norici oppidum fuit, Plinio teste.

FLORENTI] Cognomen si recte iudico à forma corporis, aut prospera fortuna desumptum.

1. Fast. CÆCILIO] Cæcilia gens plebeia fuit, in qua Consules multi cognomine Metelli in fastis obseruantur. Ad distinctionem duplici cognomine vtebantur, & post Metellum Calui, Balearici, Macedonici, Dalmatici, Caprarij, Numidici, Nepotis, Celeris, Pij, Scipionis.

CALVIONI] Si cognomen hoc à caluitie non descendit, originem eius reconditam credo. Sed cum Capitones, Frontones, Nasones, Labeones, illi dicantur, qui magno sunt capite, fronte, naso, labijs: cur non Caluiones à magna caluitie?

EVCHI] Cognomen tractum fortassis à Græca voce εὐχὴ, quæ precationem latine sonat.

MAR-

MARTIALI] Martiales cognominatos puto illos, qui vel sub Martis stella nati; vel qui animo martiali erant; vel qui Martis sacrificia obibant. vnde Flaminem Martialem, summum Martis Sacerdotem nuncupatum fuisse constat.

DOMITIO] Domitia gens inter Plebeias recensetur ab Vrsino & Panuinio. Hinc duas postmodum familias, Caluinorum scilicet & Ænobarborum ortas fuisse, auctor est Suetonius : qui pariter ostendit, quod duo prænomina tantum, Cnei & Lucij videlicet, notabili varietate vsurpauerint, *modo continuantes vnumquodque per ternas personas, modo alternantes per singulas. Nam primum secundumque ac tertium Ænobarborum Lucios, rursus sequentes tres ex ordine Cnæos accepimus: reliquos nonnisi vicissim tum Lucios, tum Cnæos.* Ex hac gente Nero Claudius Imperator fuit, cuius pater Domitius inter amicorum gratulationes negauit, *Quidquam ex se & Agrippina nisi detestabile, & malo publico nasci potuisse.* De Famil. Rom. De Antiq. Nom. In Neron. cap. 1. Suet. in Neron. cap. 6.

THEOPILO] Cognomen hoc à Græcis mutuatum est, & significat Dei amantem vel amicum.

In hoc saxo non deprehenditur OLICRENI, vt in Grutero, sed OLCRENI; neque MARITALI, vt apud eundem, qui sequutus est Scardeonium, sed MARTIALI. Fol. 994. n. 4. Lib. 1. Class. fol. 75.

HATERIÆ Hateria gens plebeia, sed consularis, Consules habuit cognominatos Agrippam, & Antoninum. Hanc familiam Senatoriam Tacitus nominat, & de Q. Haterio hæc profert. *Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis, vitaque non degener. Et Q. Haterius familia Senatoria, eloquentia, quoad vixit, celebratæ.* Panuin. de Antiq. Nō. Annal. lib. 4

37. ARRIVS] Arriam gentem etsi Romæ plebeiam Panuinius faciat; Patauinam tamen, atque patriciam fuisse, mihi persuadet Arria illa Cæcinnæ Pæti Viri consularis vxor. Quæ cum miris laudibus extollatur à Plinio secundo, intermittere non possum, quin epistolam de ipsa ad Nepotem elegantissime perscriptam huc transferam. De Nom. Antiq. Lib. 3. Epist. 16.

C. PLINIVS NEPOTI
SVO S.

Adnotasse videor, factaque dictaque virorum fæminarumque illustrium, alia clariora esse, alia maiora: confirmata est opinio mea hesterno Fanniæ sermone. Neptis hæc Arria illius, quæ marito & solatium mortis, & exemplum fuit. Multa referebat auiæ suæ non minora hoc, sed obscuriora: quæ tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti

P dienti

dienti fuerunt. Ægrotabat Cæcinna Pætus maritus eius, ægrotabat & filius, vterque mortifere, vt videbatur: filius deceſsit, eximia pulchritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia carus, quam quod filius erat. Huic illa ita funus parauit, ita duxit exequias, vt ignoraret maritus. quinimmo quoties cubiculum eius intraret, viuere filium atque etiam commodiorem eſſe ſimulabat. Ac perſæpe interroganti quid ageret puer, reſpondebat, Bene quieuit, libenter cibum ſumpſit. *Deinde quum diu cohibitæ lacrymæ vincerent prorumperentque, egrediebatur. tunc ſe dolori dabat. ſatiata, ſiccis oculis, compoſito vultu redibat tanquam orbitatem foris reliquiſſet. Præclarum (quidem) illud eiuſdem, ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pene diuinam*, Pæte non dolet. *Sed tamen iſta facienti dicentique gloria, & æternitas ante oculos erant: quo maius eſt ſine præmio æternitatis, ſine præmio gloriæ abdere lacrymas, operire luctum, amiſſoque filio matrem adhuc agere. Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Pætus in partibus, & occiſo Scriboniano, Romam trahebatur. Erat aſcenſurus nauem, Arria milites orabat vt ſimul imponeretur.* Nempe enim (*inquit*) daturi eſtis conſulari viro ſeruulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, à quibus veſtiatur, à quibus calcietur: omnia vel ſola præſtabo. *Non impetrauit. conduxit piſcatoriam nauiculam, ingenſque nauigium minimo ſecuta eſt. Eadem apud Claudium vxori Scriboniani, quum illa profiteretur iudicium*, Ego (*inquit*) te audiam, cuius in gremio Scribonianus occiſus eſt, & viuis? *Ex quo manifeſtum eſt, ei conſilium pulcherrimæ mortis non ſubitum fuiſſe. Quinetiam quum* THRASEA *gener eius deprecaretur ne mori pergeret, interque alia dixiſſet*, Tu vis ergo filiam tuam, ſi mihi pereundum fuerit, mori mecum? *reſpondit*, Si tandiu tantaque concordia vixerit tecum quam ego cum Pæto, volo. *Auxerat hoc reſponſo curam ſuorum: attentius cuſtodiebatur: ſenſit; &*, Nihil agitis (*inquit*) poteſtis enim efficere vt male moriar: ne moriar, non poteſtis. *Dum hæc dicit, exiluit cathedram, aduerſoque parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata*, Dixeram (*inquit*) vobis, inuenturam me quamlibet duram ad mortem viam, ſi vos facilem negaſſetis. *Videnturne hæc tibi maiora illo*, Pæte non dolet, *ad quod per hæc peruentum eſt? quum interim illud quidem ingens fama, hæc, nulla circumfert. Vnde colligitur quod initio dixi, alia eſſe clariora, alia, maiora. Vale.*

Glorioſum quoque huius mulieris facinus, memorabilemque, quam emiſit vocem, tradendo extractum e vulnere pugionem marito, hiſce quatuor verſibus Martialis celebrauit.

Lib. 1. Epigram. 14.

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Quid amplius, quidque glorioſius de muliere Patauina? Amplius equi-

equidem, ac gloriosius est, quod non vnius tantum, sed omnium Patauinarum mulierum pudicitia tam præclaris effertur præconijs. Testis mihi sit iterum Plinius secundus, qui de earundem moribus alio in loco hæc profert, *Habet auiam maternam Serranam Proculam, e municipio Patauino. Nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque feueritatis exemplum est.* Martialis etiam cum à libro suo grauem ablegat lectorem, subnectit. 1. Epistol. 14.

Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli Lib. 11. Epigram. 17.
Vda puella leges, sis Patauina licet.

Sed coronidis loco ad confirmandam nostrarum mulierum continentiam libeat hic addere, quod de Aponitanis aquis Cassiodorus narrat. *Sed vt ipsum quoque lauacrum mundius redderetur, stupenda quadam continentiæ disciplina in vndam, qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur.* Quod forsan ei aperuerat Martialis in illo epigramate: Variar. lib. 2. n. 39. Lib. 6. Epigram. 42.

Nec fontes Aponi rudes puellis

ne forsitan continentiam suam, quæ Patauinis mulieribus in tanta laude erat, in istis aquis contaminarent, neue nomen illius seueritatis, quod vbique eas reddebat illustres, quoquomodo, nec vel minimi næui vmbra deturparent.

SEX VIR.] SEX VIRI quinam essent, vidimus ante, ostendimusque, eos vtplurimum Præfecturarum magistratus fuisse: quæ quo iure gauisæ sint, cùm Festo abunde declaratum est.

O PITERGI] Opitergium, quod à Strabone Epipergium, & à Ptolomæo Opipergium corrupte forsan nominatur, in decima regione Italiæ situm, nempe in Venetia, affirmat Plinius. *Venetorum autem Ateste, & oppida Acelum, Patauium, Opitergium* &c. Nunc in Marchia Taruisina describitur. Celebrati porro nominis fuisse oppidum, tum veteres memoriæ, tum vasta, quæ adhuc supersunt, vestigia abunde testantur. Fortitudinem autem Opiterginorum clare prodit id, quod Florus narrat. *Vna* (scilicet nauis) *quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille iuuenum manus, circumfusi vndique exercitus per totum diem tela sustinuit: & cum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus in se concurrit.* Quod insigne factum longa carminum serie celebrauit Lucanus, & egregio hoc epiphonemate finiuit. De situ Orb. lib. 5. Lib. 3. cap. 1. Hist. Nat. lib. 3. cap. 19 De Gest. Rō. lib. 4.

——— *nullam maiore locuta est* Pharsal. lib. 4.
Ore ratem discurrens fama per orbem.

Opitergij quoq; meminit Tacitus, dum ab Opiterginis Flauianos milites lætis animis exceptos fuisse scribit. Opitergium ego ex hoc marmore Præfecturam credidissem, cum L. Arrium T. F. Sexuirum Hist. lib. 3.

Opitergij legam, nisi Colonorum Opiterginorum meminisset Lucanus.

Pharsal. lib. 4. *Heic Opiterginis moles onerata Colonis Constitit.*

Sed fortassis Colonorum appellatione habitatores intellexit.

Stetit clarum hoc oppidum, donec Quadorum natio funestos Italiæ motus excitauit. Tunc enim *raptim obsessa ab ijsdem ac Marcomannis Aquileia diu, Opitergiumque excisum*, auctore Ammiano Marcellino, qui sub Valentiniano Imperatore id accidisse refert. Valentinianus vero ad Imperium euectus fuit anno Christi CCCLXVII. Instauratum tamen fuisse Opitergium colligitur ex altera eius subuersione, quæ teste Matthæo Palmerio Florentino incidit in annum Christi DCXXX. *Postquam Rothritius Langobardorum rex Opitergium vrbem diripuit: Magnus Opitergensis Episcopus vita, & sanctitate clarissimus, & Opitergini ad maritima sese transferentes Heracliam vrbem construxere: cuius Episcopus creatur.* Hoc autem sub Heraclij Imperio contigit, quod anno Christi DCXI. adijt: à quo & Heracliam Opiterginos suam ciuitatem dixisse putat Gaudentius Merula.

Hist. lib 19. *Hist. Tripart. lib. 7. cap. 7.* *Diu. Hieronym. Chronic. ad hunc annum.* *In Chronic.* *Antiq. Gall. Cisalp. lib. 12. cap. 11.*

38. SVRVS] *Surum dicebant, ex quo per diminutionem fit surculus*, vt ait Festus. Cum vero surculus sit germen illud, quod in plantis pullulat, quodque insitioni conducit, ideo surus illa plantæ pars est, quæ durior est robustiorque, quæ palus antique dicebatur. Inde fortassis M. Leponius, cuius hoc est monumentum, vel à duritie corporis, vel à robore ac fortitudine, quam palus indicat, Suri cognomen acquisiuit.

Lit. S.

39. LVCILI] Hanc gentem inter plebeias apud Panuinium relatam, nullisque dignitatibus claram obseruo.

De Antiq. Rom.

Monumentum hoc sepulchrale sepulturæ locum fortassis designabat, in quo cum tota sua familia ac posteris condi voluerat monumenti auctor. Familiareque hoc sepulchrum fuit, vt in hac eadem domo ad monumentum XVI. fuse obseruatum iam est.

QVOQVO VERS.] Quod indicat in monumentis non solum certum agri spatium relictum à fronte, & retrorsum, sed etiam à lateribus, siue circumquaque, vt sæpe in alijs inscriptionibus patet.

40. MANLIVS.] Manliam gentem & Patriciã, & Plebeiam tradit Vrsinus, qui ostendit ex Ciceronis auctoritate in Philippica prima, neminem Manlium patricium Marcum vocari, ob M. Manlij scelus, qui Regnum affectauerat, hancque ob causam de saxo Tarpeio deiectus fuerat. Gentis huius Consules, & Patricij & Plebeij numerantur. Patricij fuere diuersi ante M. Manlij tentatam proditionem cognominati Vulsi Capitolini; at post M. Manlij mortem, quod & ipse sic cognominatus fuisset, non amplius hoc cognomen, sed Torquati, Imperiosi,

De Famil. Rom.

periosi, Attici, Longi, Acidini, Fuluiani, Nobilioris adsciuerunt. P.*anin. in I. Fastor.* & *in com. eiusd.*

42. MERCVRIO AVGVSTO] Mercurius non vnus, sed diuersi fuerunt, vt Cicero obseruat: *Mercurius vnus Cælo patre, Die matre natus: cuius obscœnius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinæ commotus sit: alter Valentis, & Phoronidis filius, is qui sub terris habetur: idem Trophonius. Tertius Ioue tertio natus & Maia, ex quo & Penelopa Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem Ægyptij nefas habent nominare. Quintus quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Aegyptijs leges, & literas tradidisse. Hunc Aegyptij Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Quisquis ille fuerit, nomen hoc obtinuit, vt notat Festus, *à mercibus: hunc etenim negotiorum omnium existimabant esse Deum:* vel, vt ex Arnobio tradit Lilius Gyraldus, Medicurius fuit dictus, *quasi medius currens: quod sermo medius inter homines fit.* Sermonis enim Deus ab antiquis credebatur: de quo Mythologi plura. *De Natur. Deor. lib. 3.* *Lit. M.* *Histor. Deor. Syntag. 9.*

In hoc autem saxo Augustus nuncupatur, quod Dei in morem maiestatem præseferat maximam. Suetonius in Nerone: *L. Domitio rure quondam reuertenti iuuenes gemini augustiore forma & occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat.* Nec alia mente regiam Pici, seu Augusti domum in Palatio conditam Virgilius augustam appellat. *Cap. 1.* *Aeneid. lib. 7.*

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Vrbe fuit summa.

Forsan & Augustus dictus est ab eximia, qua colebatur, religione: cum & loca religiosa, *& in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur.* Vel à sanctitate: Cicero enim habet: *Omitto Eleusinam sanctam illam & augustam.* *Suet. in Augu. l. cap. 7.* *De Natur. Deor. lib. 1.*

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ

Et in Tusculanis Quæstionibus: *ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto, augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.* Nisi legendum sit AVGVSTI, vt fuerit Mercurio, genio siue tutelæ Augusti, vt in alijs inscriptionibus HERCVLI AVG. SILVANO AVG. hoc est Herculi Augusti, Siluano Augusti: quemadmodum eruditissime docuit Clarissimus Octauius Ferrarius de Re Vestiaria. *Lib. 5.*

LARTI] Hanc gentem patricijs minorum gentium annumeratam, & consularem fuisse, ex Consulibus Flacco, Rufo cognominatis obseruo. Eam à prænomine Lartis, quod à Laribus sumptum Sigonius ex Valerio ostendit, ac Tuscum ait creditum, descendisse Panuinius putat. *De Nom. Antiq.*

L. D. D. D.] LOCVS DATVS DECRETO DECVRIONVM. Quibus verbis publici sepulchri honos explicabatur. Nam loco pu-

blico ſepeliri omnibus non concedebatur, tum Romæ, tum forſan in *De Funer. Rom. lib. 2. cap. 25.* prouincijs, vt obſeruat diſertiſſimus Kirchmannus ad haſce literas. Præterea ſi Romæ de Republica præclare meritis. S. C. ſepulchri locus dabatur, idem in alijs etiam ciuitatibus Decurionum decreto fiebat.

43. VIVA. F. ET. S.] Hoc eſt VIVA FECIT SIBI ET SVIS.

CÆTRONIO] De hac gente quamuis nulla, quod ſciam, apud familiarum antiquarum ſcriptores reperiatur memoria, attamen antiquam nec vulgarem priſca ſaxa declarant: quale reperitur Arionæ *Grut. fol. 226. n. 8.* in Hiſpania, quæ olim Aurigia, in baſi.

IMP . CÆS . AVG . PONTIF.
MAX . TRIB . P . XXXIIII.
COS . XIII . P . P
VICTORIÆ . SACR
L . CÆTRONIVS . M . F . PACORVS
L . AIM . L . F . NIGELLVS
AED . II . VIRI
D . S . P . F.

Romæ quoque in hortis Cardinalis de Valle ad Aquam Virginem, & *Idem fol. 535. n. 2. & 3.* in eccleſia S. Crucis in monumentis legitur:

Q . CÆTRONIVS
Q . F . PVB
PASSER

CÆTRONIAI L. F. PRIMAI] Loco CAETRONIAE L. F. PRIMAE. Antiquus ſcribendi genitiui modus: de quo antea ſatis. *Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 79.* Non SETRONIO, & LANDERCVDO vt Scardeonius, ſed CAETRONIO, & LANDEROVDO, vt monumentum exhibet.

45. CIPIA] Idem ac Ciſpia. Hæc gens plebeia Vrſino videtur, quod monumentis comprobat, & Ciſpia pro Cipia aliquando lectum *Famil. Rom. in gent. Cip.* contendit: In hac M. Cipium Tribunum plebis nominat.

FIE-

FIEREI] Loco FIERI. Modus dicendi veterum frequentissimus, sed T.rentij Varronis præcipue: quem diutius durasse auctor est Quintilianus. *Instit. Orat. lib. 1. cap. 7.*

46. DEXTRO] Hic forsan dexter cognominatus, quia ipsi omnia felicia, ac propitia eueniebant. Nonius Marcellus: *Dextrum dicitur felix propitium*. Ad quem modum & apud Virgilium pro prosperis dextra sydera inuocata obseruo. *Aeneid. lib. 4.*

Adsis ò, placidusque iuues, & sydera Cælo
Dextra feras.

47. Inscriptio hæc refertur à Grutero sub titulo Artium, & Priuatorum: quasi illa nota TEX. quam peruertit Scardeonius, Aurelium istum, cuius est inscriptio, textorem fuisse indicet. Sed quisquis ad saxum accesserit, non TEX. sed T. EX. interpunctione distinctum repertiet, sine literis, quas ex Scardeonio lateri appositas Gruterus notat. Verum quid sibi velit illud T.EX. fateor mihi ignotum esse, cum decurtatum monumẽtum videatur, literarumq; consonantẽ T. præcedentiũ, oculosq; prorsus fallentiũ, vestigia appareãt. Hoc tamẽ obseruo, quod Character iste. 7. Centurionis est nota, vt tradit Scaliger in indicibus Gruterianis, & Manutius in notis explicatis: quia forsan illud signum forma fuit contortæ vitis, qua vtebantur Centuriones ad milites verberandos: vt in seditione militari, sub anno primo Tiberij orta, Tacitus prodit. *Et Centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum,* cedò alteram, *indiderant: quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.* Et Lucanus de Scæua Cæsaris centurione. *Fol. 651. n. 4* *Lib. 1. Class. 4. fol. 74.* *Cap. de Not. & Singul. Voc. abbreuiat. Post lit. X.* *Annal. lib. 1* *Pharsal. lib. 6.*

Scæua viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

Ita etiam Apuleius de illo insolenti milite, qui in asinũ conuersus hortulanum herum suum percusserat, inquit: *Nec miles ille familiarem cohibere quiuit insolentiam; sed indignatus silentio eius, vt conuicio, vite, quam tenebat, obtundens eum, dorso meo proturbat*. Vnde illud EX. 7. EX CENTVRIONE fortassis legendum, salua tamen melioris iudicij sententia. *Metamorph. lib. 9.*

Ceterum non ENDOTVS, vt Scardeonius & Gruterus citatis locis habent, sed ENODOTVS in saxo legitur.

48. III. VIR CAP.] Hoc est TRIVMVIR CAPITALIS. Eo anno, quo M. Curius Dentatus Consul Samnitibus cæsis, & Sabinis qui rebellauerant victis, bis in eodem magistratu triumphauit, Triumuiri capitales primum creati sunt; post Romam conditam CD LXVIIII, vt Panuinius notat. Isti carcerum custodiam habebant, deque criminibus cognoscebant, vt etiam Duumviri capitales, & in facinorosos, *Auct. Epit. in 11. Liuij. In 1. Fastor.* *Pomp. Let. De Magistr. Rom. cap. 24*

si quid

si quid scelere, & perfidia deliquissent, animaduertebant, vigilias disponebant per vrbem, atque ne cœtus nocturni fierent, neue nouitatis excitatores aliquid molirentur, obseruabant. Istis octo lictores dabantur ex Plauti testimonio. Sosia enim in Amphitruone timens, ne à Tribusvitis in carcerem compingeretur, atque sequenti die abstraheretur ad flagrum, conqueritur.

Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 16. *Act. 1. Scen. 1.*

Quid faciam nunc, si Tresuiri me in carcerem compegerint?
Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum?
Nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilij siet?
Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent? ita
Quasi incudem me miserum homines octo validi cædant?

Lit. G. GN.] GNAEVS, prænomen designat; de quo sic Festus. *Gnæus, & corporis insigne, & prænomen, à generando dicta esse, & ea ipsa ex Græco γίγνεσθαι apparet*. Et Sigonius Gnæos dictos vult, *ob insigne næui, qui in corporibus gignitur*. Scribitur hoc prænomen, & litera C. & G. sed addito N, semperque per G. pronuntiatur, etsi scribatur per C.

De Nom. Rom.

MARITALI CONCORDIA INCOMPARABILES] Si antiqui matrimonio placido & tranquillo fruiti essent, in monumētis significare solebāt. Ideo ad hoc indicandū hic legitur, MARITALI CONCORDIA INCOMPARABILES: vt in alijs monumentis SINE QVERELA, SINE CONTROVERSIA. Hoc & nostro æuo receptum esse, nostra monumenta satis manifestant.

S.V.P.HAC.F.] Quæ sic Scaliger in Gruterianis indicibus exponit: SPONSIONE VTRIVSQVE PARTIS HAC FACTA. Scilicet pacti erant coniuges, vt qui mortuo altero superesset, Kalendis Iunijs quotannis sepulchrum (hoc enim indicat S) rosis exornaret. Quæ sponsio tamen amice facta erat, nulla interposita pœna, si superstes prætermisisset. Adiectum est, vt ad idem sepulchrum cum omnibus eiusdem familiæ superstes epularetur: ita tamen vt idem moriens qui superesset, posteros ad tale officium damnaret, hoc est aliqua pœna cogeret.

ROSIS. S. IACENTIS EXORNET] Sepulchris flores aspergere, eaque redimire coronis mos erat apud antiquos. Ita Suetonius de sepulchro Neronis: *Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æstiuisque floribus tumulum eius ornarent*. Et Herodianus ex Angeli Politiani versione de Antonino Caracalla ad Achillis tumulum: *Ilium mox petijt, & cunctis vrbis reliquijs collustratis ad Achillis tumulum processit. Eoque coronis floribusq; magnifice exornato, rursus imitari Achillem cœpit*. Flores autem, quibus veteres exornabant sepulchra, varij fuerunt; nempe lilia, amaranthus, myrti rami, sed præcipue rosæ; quas inter ceteros sepulchrales flores primum habuisse locum testatur eruditissimus Kirchmannus.

Cap. 57. *Lib. 4. cap. 8.* *De funer. Rom. lib. 4. cap. 3.*

Atquid rosæ cum sepulchris? nam *si regem floribus constituere Iupiter voluisset, non alium certe, quam rosam eiusmodi honore dignatus esset. Hæc terræ ornamentum est, plantarum splendor, oculus florum, prati robur, flos omnium pulcherrimus. Hæc amorem spirat, Venerem conciliat, odoratis folijs luxuriat, tremulis frondibus, ac Zephyri afflatu ridentibus delectat.* Vnde merito Anacreon, ex Henrici Stephani versione cecinit. *Achill. Tat. de Leucip. & Clitoph. Amor. lib. 2*

Rosa honor decusque florum, *Oda de Rosa.*
Rosa cura amorque veris,
Rosa cælitum voluptas.

Quæ omnia quam sint à sepulchrali officio diuersa, satis superque constat; cum in sepulchro cuncta squaleant ac fœteant, circaque ipsum non nisi mœror, & luctus vigeat, nobisque non aliud præstet, nisi funestum nostro gelido cineri asylum.

Verum hoc mystice ac religiose factum ab antiquis credere fas est: vel quia, cum humana vita expansis quasi velis ærumnarum nauiget Oceanum, in quo tot fallaces Syrtes, tot immanes scopuli, tot voraces Scyllæ minantes excidium, iure merito, cum in beatitudinis portum appulit, ad ostendendam commutati seculi felicitatem, in quo continuo fruitur vere, rosis sepulchra conspergi veteres iubebant. Hinc recte Ausonius. *Epitaph. 36.*

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo,
Hospes: & adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illachrymabilis vrna,
Et commutaui secula, non obij.

Vel forsan vt reminiscerentur homines, mortalium vitam cito marcescere: quod etiam Ausonius de rosis in Edyllijs eleganter expressit.

Hæc modo quæ toto rutilauerat igne comarum, *Edyl. 14.*
Pallida collapsis deseritur folijs.
Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque nouatus,
Vna dies aperit: conficit vna dies.
Conquerimur, Natura, breuis quod gratia florum est?
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa vna dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

HICQ. CVM SVR. OMNIBVS] Quæ lego HICQVE CVM SVRIS OMNIBVS. Manlio iſti, de quo in lapide, Suri cognomen fuit. Vbi obſeruo, quod hoc cognomen ex eorum numero fuerit, quæ, vt docent Panuinius & Sigonius, ad poſteros quam longiſſime propagabantur. Cuius rei cauſa erat præſtans illius, qui primus id cognomen inuenerat, virtus ac gloria. Vnde non ipſi Manlio tantum cognomen Suri erat, ſed in familiam etiam propagatum fuit.

De Nom. Antiq. De Nom. Rom.

EPVLETVR.] Mortuorum cauſa vel publice, vel priuatim epulas antiqui præbebant: priuatim, quando aliquis aut in funere parentum, aut anniuerſario, vel legato die epulas exhibebat ferales: publice, quando celebrabantur Feralia. *Feralia* vero *ab infereis, & ferendo, quod ferunt tunc epulas ad ſepulchrum, quibus ius ibi parentare,* Varrone auctore dicebantur. Erantque Dijs Manibus Feralia dicata, quæ menſe Februario celebrantur. vnde in hoc menſe Ouidius.

De Ling. Lat. lib. 5. Feſt. Lit. F.

Faſtor. lib. 2.

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaque in exſtructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes. pietas pro diuite grata eſt
Munere. non auidos Styx habet ima Deos.

Ling. Lat. lib. 5.

Itaque ex Varronis ſententia *ab Dijs inferies Februarius appellatus, quod tum heis parentetur.* Auſonius

De Menſib. in Edyl.

Poſt ſuperum cultus, vicino Februa menſe
Dat Numa cognatis Manibus inferias.

Recte *Numa;* quia eum Feralium auctorem Romani voluerunt.

Hoc tempore nec ad Deorum ſuperorum aras accedere, nec nuptias celebrare fas erat. Ouidius

Faſt. lib. 2.

Conde tuas Hymenæe faces: & ab ignibus atris
Aufer: habent alias mœſta ſepulchra faces.
Di quoque templorum foribus celentur opertis:
Thure vacent aræ: ſtentque ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulchris
Errant: nunc poſito paſcitur vmbra cibo.

De cibo autem, qui Manibus exhibebatur, non licebat cuipiam guſtare; & ſi quis de illo furtim quidquam abſtuliſſet, certam ei perniciem ominabantur veteres. vnde alicui ſummam imprecaturi mendicitatem, feralem cœnam vorandam vouebant. Diram nempe habendi auiditatem, & extremam auaritiam alicui exprobrantes, illum ab epulis Dis Manibus ſacris abſtinere non poſſe dicebant.

Kirchman. De Funer. lib. 4. cap. 5.

Cibi vero, quibus in Deorum Manium ſacris, & feralibus cœnis vtebantur antiqui, erant, faba, apium, lentes, lactuca, offæ: & propterea *fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licebat, quod ea putaretur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus iaciebatur laruis,*

Alex. ab Alex. Gen. l. 3. cap. 13 & Lib. 5. c. 6

nis, *& parentalibus adhibebatur sacrificijs*, *& in flore eius luctus literæ apparere videbantur*: auctor est Festus. *Ob hæc etiam Pythagorica sententia damnata*: *vt alij tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causa parentando vtiqia§umitur*. ita Plinius. Hoc & nostras mulieres obseruare mihi perspectum est; cum die secunda Nouembris, qua defunctis parentatur, fabam non dare pauperibus à religione alienum credant. Lit. F. Hist. Natur. lib. 18. c. 12.

Apium quoque in feralibus cœnis locum habebat: ideo *ad cibos non admittendum, immo omnino nefas: nam id defunctorum epulis dicatum esse*, testatur Plinius. Quod forsan imitantur mulierculæ nostrę, cum in mortuorum inferijs fabam apio conspersam pauperibus distribuant. Lensquoq; inter ferales epulas erat: quia, vt notat Casaubonus in animaduersionibus ad Athenęum, *Tragica res est lenticula, ait Cynulcus: respiciens eo ni fallor, quod tragici quidem poetæ eius leguminis sæpiusculè, & frigidiusculè meminißent*. Lactuca pariter cibus erat mortuorum. Nam ad lactucam Adonidem ab Apro occisum, cum eo confugisset, obseruat ad Athenæum Casaubonus. [illegible] hac de causa feralis erat. Præter hæc obseruo panem, oua, salem, liba, carnes, pulriculam in feralibus cœnis interuenisse: de quibus Kirchmannus, solertissimus rituum funebrium indagator, consulatur. Hist. Natur. lib. 20. c. 11. Lib. 4. cap. 15. Lib. 2. cap. 27. Lib. 4. cap. 7

A publicis epulis feralibus priuatæ nihil erant diuersæ, sed duplicis ordinis. Nam aliæ dabantur, cum amici, & sanguine iuncti ad sepulchra parentum, vel propinquorum suorum conuenirent; aliæ vero, ex perpetuo alicuius legato, statuto quotannis die adimplendo. Huius autem ritus apud agricolas nostros adhuc perdurat memoria. Dum enim suos mortuos condunt, omnes affines, & necessarij adstant: peracto funere ad mortui domum regrediuntur; ibique lagana apio sparsa, & subcinericeam offam comedunt: qui sunt cibi forsan parum dissimiles pulticulæ, & offæ veterum. Quem morem Romani nostris maioribus non tradiderunt, sed Phryges reliquerunt posteris. Epulabantur enim Troiani, ex Homeri sententia post defunctorum sepulturam. Ita post tumulatum Hectorem. Iliad. lib. 24

Aggesto autem tumulo redierunt: deinde vero
Bene collecti epulati sunt valde splendidum conuiuium
Ædibus in Priami à Joue nutriti regis.
Sic illi curarunt funus Hectoris equum domitoris.

49. SALVIO] Saluia gens quamuis primo plebeia, vetus & honesta tamen. *Maiores Othonis orti sunt oppido Ferentino familia vetere, & honorata, atque ex principibus Etruriæ*, ita habet Suetonius. Qui pariter ostendit, hanc gentem ob L. Othonis, M. Saluij Othonis Imp. patris merita, à Claudio inter patricias adlectam fuisse. In Othon. cap. 1. Sueton. ibi.

NIGELLO] Cognomen hoc à colore depromptum est, cum

Nigellus idem sit ac parum niger. Diminutiua autem adhibentur blandiendi gratia, vt erga pueros solemus.

Lib. 1. Class. 4. fol. 71. In Scardeonio hâc inscriptionem geminatam reperio, quę tamen apud Bassanos vna tantum est. Sed fortasse eam geminat Scardeonius, quia in prima BRICENI pro BRICENIO legit, in secunda vero omnia sic inuertuntur. *Lib. 1. Class. 4. fol. 74.*

C . BRICENIO C . F.
CLEMENTIS ET
COELIAE VCHINI
VXORI
LOCVM DEDIT
L . SALVIONIO ELLO
ET
SVAVIA IVCVNDA

Fol. 764. n. 3 Gruterus vero sub titulo affectus coniugum, se hanc eandem è Scardeonio excerpsisse fatetur: illam tamen, non vt est apud Scardeonium, sed provt legitur in saxo, describit. Apud quem pariter obseruo, saxum hoc aliquando fuisse in mœnibus ad portam de Auantio (verum Scardeonij æuo apud Bassanos, vbi & nunc reperitur, extabat) Gruterum vero ipsum hoc habere ex Petri Appiani, & Bartholomęi Amantij collectione monumentorum Sacrosanctæ Vetustatis totius orbis, qui ante Scardeonium huic studio vacauerunt: apud quos scriptum video supra hanc inscriptionem *: Paduæ in muro Ciuitatis apud portam Sanctæ Mariæ de Auantio.* Sed apud istos vox CLEMENTIS mutetur, vt in lapide est, in CLEMENTI, addanturque. *Inscript. Ital. fol. 335*

SALVIO NIGELLO
ET
SALVIAE IVCVNDAE

quæ ibi deficiunt.

50. FLAVIVS] Gentem Flauiam plebeiam fuisse humilis fortunæ, testatur Liuius. *Eodem anno C. Flauius Cn. filius scriba, patre liberti-* *Hist. lib. 9.*

libertino humili fortuna ortus, ceterum callidus vir & facundus, ædilis curulis fuit. Attamen magnam habuit auctoritatem, vtpote qui *Ciuile ius repositum in penetralibus Pontificum euulgauit, fastosque circa forum in albo proposuit, vt quando lege agi posset sciretur*. Omnium tamen maximum est, quod cum prius nemo id tentasset, *ædem Concordiæ in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicauit, coactusque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba præire, cum more maiorum negaret, nisi Cos. aut Imperatorem posse templum dedicare*. In hac gente Consules nonnullos obseruo: ante Imperatores vnum cognominatum Fimbriam: sub Imperatoribus vero aliquot, Sabini, Apri, Tertulli, Clementis cognomine. Sed quod augustissimum, tribus quoque Imperatoribus emicuit *gens Flauia*: *obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus*: siquidem Vespasiani Imperatoris auus *Titus Flauius Petro municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarum partium centurio, incertum sponte an euocatus, profugit ex Pharsalica acie, domumque se contulit. vbi deinde venia & missione impetrata, coactiones argentarias factitauit*. *Liu. ibid.* *Idem ibid.* *Fastor. lib. 1.* *Fastor. lib. 2.* *Sueton in Flau. Vespas. cap. 1.* *Idem ibid.*

STABILIS] Hoc cognomen ex eorum est classe, quæ à virtutibus profecta sunt; cum stabilis hominem firmum & constantem indicet.

ADLECTVS DECVR.] Id est ADLECTVS DECVRIO. Adlecti erant illi, qui nec è Patrum, nec e Patrum conscriptorum erant ordine, sed ipsorum deficiente numero in Senatum cooptati, seu adsciti. Nam Festi auctoritate, *Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam, ex equestri ordine in senatorum sunt numerum adsumpti. Nam patres dicuntur qui sunt patricij generis: Conscripti qui in senatu sunt scriptis adnotati*. Vbi propter inopiam non intelligendum est de inopia ipsorum, qui adlegebantur, sed de inopia senatorij ordinis: quod sæpe factum esse ad hunc locum Antonius Augustinus notauit; ac monuit totum hunc locum Pauli fuisse, Festi, abbreuiatoris. *De Verb. Signif.*

DECVRIO] Decuriones non intelligo hic, de quibus Festus: *Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt*: sed coloniarum, de quibus Suetonius in Augusto. *Excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus vrbicis Decuriones colonici, in sua quisque colonia ferrent*. Hi sua in vrbe eandem, quam Senatores Romæ, obtinebant auctoritatem. Nam qui in Consilijs Reipub. municipalis esse poterant, Decuriones dicebantur; sic vocati, vt notat ex Pomponio Sigonius, *quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit*. Id si verum, pace eruditissimi Panuinij, in omni colonia, vt ipse in Antiquitatibus Veronensibus tradit, centum Decuriones non erant; sed modo plures, modo pauciores pro magnitudine coloniæ; siue vt melius dicam, pro numero *Idem ibid.* *Cap. 46.* *De Antiq. Iur. Ital. lib. 2. cap. 4.* *Lib. 2. cap. 4.*

Pannin. Antiq. Veron. lib. 2. cap. 31 gentis in colonia deductæ. Decurionum consilio, & auctoritate reliquus coloniæ populus regebatur, nec Duumviri aut Quatuorviri, qui Consulum locum obtinebant, nisi ex Decurionibus eligebantur. Decurionum autem, vt & Senatorum Romanorum, census obseruabatur. Propterea nemo in Decurionum numerum erat adscriptus, qui, vt ex Plinij secundi epistolis tradit Sigonius, centum millium non fuisset. (De Antiq. Iur. Ital. lib. 2. cap. 4.)

Lib. 1. Class. 4 fol. 70. In hoc monumento, vbi Scardeonius habet DILECTO, reponas ADLECTO, vt in lapide.

52. CÆSIDI] Hanc gentem inter plebeias Romanas Panuinius recenset.

HERMEROTIS] Mercurij & Amoris asseclas puto Hermerotes dictos. Herma enim Mercurius à Græcis vocatur; Eros Amor est.

CÆSIDIÆ LIBERTÆ, ET CONIVGI] Libertati restituta hæc mulier, gentilicium Patroni nomen sortita est; vt ferme omnes quæ manumittebantur: quæ & in maritalem subinde thalamum recipiebantur.

53. IIIIII. VIR. AVG.] Videlicet SEVIR AVGVSTALIS. Antiq. Veron. lib. 2. c. 32. Seuiros, vel Sexuiros, aut Sextumuiros Augustales declarat Panuinius. *Post Augusti mortem atque consecrationem, in omnibus orbis Romani Colonijs & Municipijs, quemadmodum Romæ, nouum in Augusti honorem Sacerdotium institutum est. Nempe Flamen vnus & VI viri Augustales, ob id vocati, quod sacra Augusto facerent in ea colonia.* Vnde Casaubonus ad cap. 18. Tranquilli in Augusto obseruat, quod Nicopoli *erat apex honorum omnium, Augusti Sacerdotium. Quare etiam anno nomen dabat Sacerdos Augustalis, & in scribendis publicis, aut priuatorum contractuum instrumentis, ad tempus notandum, nomen eius ascribebant.* Sed non tantum Nicopoli, verum etiam Romæ Augustale sacerdotium in summa veneratione erat; cum & Tib. Claudius, & Ser. Galba in album Suetonio teste adscripti fuerint. De Claudio hæc profert. (Cap. 6. in Claud.) *Senatus quoque, vt ad numerum Sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adijceretur, censuit.* De Galba vero: (In Galb. c. 8.) *Ob res, & nunc in Africa, & olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, & Sacerdotium triplex, inter XV viros, sodalesque Titios, item Augustales cooptatus.*

54. VOLVMNII] De hac gente nihil apud Vrsinum: Panuinius tamen eam & patriciam, & plebeiam facit. In patricia minorum gentium enumerat consules Amintium & Gallum, in plebeia consules, Flammam, Violentem, Eutrapelum, cognominatos.

56. M. AGRIPPA] De hoc monumento nihil restat, nisi hoc nomen in candidissimo marmore literis cubitalibus incisum. Fragmentum forsan fuit alicuius monumenti, in publico loco erecti, clarissimo

rissimo illi M Vipsanio Agrippæ, ab auo Augusto adoptato, coronaq; rostrata, & quidem aurea, ob deuictum Sextum Pompeium donato. *Vel. Pater. Hist. Rom. lib. 2.*

Ceterùm *in pedes procedere nascentem, contra naturam est, quo argumento eos appellauere Agrippas, vt ægre partos*: ita Plinius. Ideoque cognomen Agrippæ ob ortum impositum erat, quod ominosum Plinius loco citato esse voluit: quoniam *ritu naturæ capite hominem gignimos est, pedibus efferri.* *Dio. lib. 4. Hist. Nat. lib. 7. cap. 8.*

60. CVRATORIS ILLYRICI] Hoc fragmentum magni cuiusdam monumenti fuisse, indicio sunt vnciales literæ, nitidumq; marmor ex omni parte fractum. Sed quid sibi voluerit, minime apparet, cum tantum remaneant hæc vocabula VRATORIS ILLYRICI. quibus à me substitutum fuit C. vt legeretur CVRATORIS ILLYRICI. Curatores operum publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidundi, vidimus iam cum Suetonio, dum de curatoribus ab Augusto institutis egimus. Alexander autem Seuerus *fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim, sed ex consularibus viris, quos audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iussit, ita vt omnes aut magna pars, adessent quum acta fierent.* Hæc Lampridius. Ex horum numero Curatores Prouinciarum petitos credo, cum aliam ipsorum originem non reperiam. Nam vt Proconsules in aliquas Prouincias ab Imperatoribus ablegabantur, sic Curatores in alias, ac præcipue in Illyricum, forsan simili auctoritate mittebantur. Ita suadet Epistola Valeriani, ad Ablauium Muræriam P.P. data, in qua de Curatore Illyrici, vna cum Proconsule Africano ac Præfecto Ægypti loquitur: quam in Claudio Trebellius Pollio recenset; vbi de ipso Claudio inter cetera hæc Valerianus protulit. *Sane sciat tantum ei à nobis decretum salarij, quantùm habet Ægypti præfectura; tantum vestium, quantum proconsulatui Africano detulimus; tantum argenti, quantum accipit Curator Illyrici Metatius.* Quod autem Curatoris dignitas summa fuerit in prouincia vel ciuitate eius curæ demandata, ex Cassiodoro colligo: cuius hæc sunt verba: *Et ideo ab indictione illa illius ciuitatis curam ad te volumus pertinere. Vt laudabiles ordines curiæ sapienter gubernes: moderata pretia ab ipsis, quorum interest facias custodiri. Non sit merces in potestate sola vendentium, æquabilitas grata custodiatur in omnibus. Opulentissima siquidem & hinc gratia ciuium colligitur, si pretia sub moderatione seruentur. Vt vere curatoris impleat officium, cum tibi solicitudo fuerit de vtilitate cunctorum.* *In Aug. cap. 37.* *In Alex. Seuer.* *In D. Claud.* *Variar. lib. 7. n. 12.*

61. Epitaphium tandem in hisce ædibus, quod quatuor Græcis versibus expressum, paucis additis in latino hexastico, apud Ausonium in epitaphijs Heroum, eodem ferme sensu legitur, ex Græco monumento mutuatum suspicor; cum monitu clarissimorum virorum Octauij Ferrarij, & Ioannis Cotunij Equitis hoc idem habeatur Anthologiæ

Græ-

Græcæ lib. 3. cap. vltimo, in philoſophos. Auſonij Epitaphium hoc eſt.

Diogeni Cynico, in cuius ſepulchro pro titulo canis ſignum eſt.
XXXI.

Dic canis: hic cuius tumulus? Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obijt? Non obijt, ſed abit.
Diogenes cui pera penus; cui dolia ſedes,
Ad manes abijt? Cerberus ire vetat.
Quonam' igitur? Clari flagrat qua Stella Leonis.
Additus eſt iuſtæ nunc canis Erigonæ.

Græcum in Anthologia hoc extat.

Εἰπὲ κύων, τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις;
Τοῦ κυνός. ἀλλὰ τίς ἦν οὗτος ἀνὴρ ὁ κύων;
Διογένης. γένος εἰπέ. σινωπεύς. ὃς πίθον ᾤκει,
Καὶ μάλα. νῦν δὲ θανὼν ἀστέρας οἶκον ἔχει.

Quod ſic elegantiſſimus Cottunius Latine vertit.

Dic canis, cuius viri ſuperſtans tumulum cuſtodis?
Ipſius canis. At quis erat hic vir canis?
Diogenes. genus narra. Sinopenſis. ille qui dolium habitabat?
Certe. nunc autem vita functus aſtra domum habet.

Græcum vero epitaphium Anthologiæ, cum ab hoc, quod in antiquiſſimo iſto lapide exſculptum eſt, prorſus nihil diſcrepet, hinc in Anthologiam traductum opinor.

Iam vero in fine, priuſquam huic domui valedicamus, operæ pretium factum me duxi, ſi afferrem obſeruationem conſideratione digniſſimam, circa monumentum vigeſimo ſeptimo loco à nobis propoſitum: baſin nimirum illam marmoream, inſculptis ex omnibus quatuor lateribus literis Græcis inſignem; quamque ſtudio Benedicti Siluatici, ad Ampliſſimum Virum Ioannem Piſaurum aſportatam, fol. 99. indicauimus. Arbitratur enim Andreas Muretus, arctiſſima mihi neceſſitate coniunctus, vir morum candore, tum mathematices & cultiorum literarum peritia ſingularis, Sereniſſimæ Reipubl. Venetæ *Littoralium munitionum* (vt vocant) *Superintendens*, iſtud monumentum Patauinum non eſſe, ſed Alexandri Baſſani ſolertia, ex aliquo eorum locorum, quæ peragrauit Æneas, huc fuiſſe aduectum. Cui opinioni & ego libenter ſuffragor; cum ſatis conſtet, Æneam,

ante-

antequam sedem in Italia fixerit, compluribus annis errasse, aduersaque iactatum nauigatione, & ad diuersa littora delatum, quibusbusdam in locis aliquamdiu moratum fuisse.

Primum enim ad peninsulam Pallenen appulit; conditoq, Veneri templo, & oppido, quod à suo nomine Æneam appellauit, in insulam Delum,& inde in Cytheram deuenit: vbi pariter Veneri templum erexit. Postea cum non longe à Peloponneso in Chinætio promontorio erroris sui socium sepeliri curasset, Zacynthum delatus, aliud Veneri templum excitauit. Inde Leucadem petijt, ædificatoque & ibi Veneri fano, Actum promontorium attigit: vbi Veneris Aeneadis templum construxit. Ambraciam etiam & Buthrotum vrbes adijt, Epiri item & Anchisæ portum, vbi nouum Veneri templum dicauit. Tandem traiecto Ionio mari *non vno loco exscensum e nauibus in Italiam fecit*; vt ait Dionysius, qui amplissime Aeneæ nauigationes & errores conscripsit. Vnde verosimile Mureto videtur, in aliquibus dictorum locorum, inferioribus seculis Aeneæ, in transitus memoriam, tale monumentum erectum fuisse. *Antiq.Rō. lib.1.*

1	2	3	4
SIGNVM	TRANSEVNTIS	ÆNEÆ	TROIA INCENSA

Hæc autem in gratiam singularis amici dicta sint, meliori aliorum iudicio ponderanda.

IN ÆDIBVS GVIDONVM.

PRope Baſſanos S. Ioannem verſus, honeſti hi ciues Patauini elegantes ſatis ædes poſſident, in quibus ſtudio Vinciguerræ Campiſampetri, viri modeſtia ac eruditione præſtantis, amicique mei ſingularis, duo hæc fragmenta luſtrare licet. Primum in fruſto prægrangrandi omnino fracto marmoreæ aræ; alterum in decurtato lapide. Hoc etiam loco inſpicitur ſepulchrale monumentum, cum viri ac mulieris figuris, in quo penitus literæ periere: id ſuo loco curabimus delineari.


1	2
In Horto	*In Area*
SEX . PETRONIVS	. . . .
. . . .	. . . .
. . . .	. . . .
. . . .	IN . F . P. X. RETR .P.XXIII.
. . . .	H . M . H . N . S .

IN ÆDIBVS FAMILIÆ FRIGIMELICÆ.

INter insignes ædes, quæ sunt in vico post ædem cathedralem, haud procul à Tadorum ponte, illæ Prænobilium ciuium Patauinorum de FRIGIMELICA obseruantur. Hę antiquitus Genuariorum fuerunt, quorum gens olim Patauij claruit, nunc vero extincta est. Ad Frigimelicas transierunt cum Sophia, Thomæ Genuarij celeberrimi Iurisconsulti, publicique in patrio gymnasio legum interpretis filia, Iacobo Frigimelicæ desponsata. Eas autem Franciscus Frigimelica inter suæ ætatis medicos illustrissimus ad posterorum commodum in præsentem formam redegit. Illustribus omni æuo gens Frigimelica claruit viris maximeque Francisco, qui ob doctrinæ famam à Iulio III. Pontifice magnis pollicitis Romam accitus, intra paucos menses, in Conclaui Marcelli II. & Pauli IV. vna cum Ioanne Maria fratre commoratus, postmodum ab ipso Paulo IV. magnis donatus muneribus in patriam reuersus est. Viuunt hodie Antonij singularis viri filij, Iacobus Diui Stephani Eques, Octauius Iurisconsultus, & Hieronymus medicinæ doctor, qui vestigijs Francisci inhærens ætate florenti eo progressus est, vt non inferiorem nominis celebritatem sibi comparauerit. Nam & primam medicinæ practicæ extraordinariæ cathedram summa cum dignitate sustinet, & pulsuum, & vrinarum theoricam, & practicam doctrinam, in D. Francisci Nosodochio omnium cum applausu tradit. In harum itaque ædium vestibulo rude saxum est, domus in ruderibus vt creditur repertum, hisce insignitum characteribus.

Scard. lib. 2. Class. 8.

Idem lib. 2. Class. 9.



APVD RIDIOS.

AEdibus illorum de Frigimelica Cathedralem verſus baſilicam proxime adhæret domus familiæ Ridiæ, quæ priſtinam etiamnum Patauij amplitudinem retinet. Celebrem eam reddiderunt omni æuo viri literarum & armorum gloria illuſtres: præcipue vero anno ſupra milleſimum quadringenteſimo, Daniel iuris ciuilis in patrio Gymnaſio accuratiſſimus interpres. Ab hac ipſa ſtirpe deſcendit Nicolaus, medicus magni nominis, nec inferioris poeta; vt qui prognoſtica medica ægrotorum, metricis numeris adſtricta, poſteritati tradidit. Innotuit præterea Matthæus Ridius Hetruſci ſermonis elegantiæ illius maxime, quo ruſtici noſtri vtuntur: quemadmodum eius opera, ſumma Venere aſperſa, & referta feſtiuis leporibus, ſatis declarant. Ceterum nemo ferme omnium magnitudine nominis æquat Antonium Ridium, non ſolum inter familiæ ſuæ, ſed & patriæ noſtræ ſuprema decora merito annumerandum. Romam enim profectus, tantam in bellicis expeditionibus famam ſibi comparauit, vt ſub Martino V. & Eugenio IV. Summis Pontificibus Caſtello Sancti Angeli præfici meruerit. Quam prouinciam ea dignitate ſuſtinuit, vt Eugenius IV. in raræ virtutis ac fidei erga Romanam Rempub. teſtimonium, ipſi ſtatuam equeſtrem ex ære in valuis æneis D. Petri in Vaticano, aliam è marmore in veſtibulo Templi S. Mariæ Nouæ, quæ etiamnum conſpicitur, poni curauerit. Hoc vero ſeculo ad maiorum ſuorum gloriam æquo paſſu contendunt, Nicolaus & Marcus iuriſconſulti & aſſeſſores grauiſſimi: imo Nicolai in iuuenili ætate virtus tanti æſtimata fuit, vt per omnes terreſtres Reipublicæ Venetæ ciuitates aſſeſſoris munere decoratus ſit; vixque ſeſqui menſis interceſſerit, ex quo patriç redditus modica quiete frui poteſt. In horum itaque ædibus tale monumenti fragmentum reperitur.

Scard. Lib. 2. Claſſ. 8.

Idem Lib. 2. Claſſ. 9.

Idem Lib. 2. Claſſ. 11.

Idem Lib. 3. Claſſ. 13.

G E-

GENIO . DOMNOR . CERERI
T . POBLICIVS . CRESCENS . LARIBVS
PVBLICIS . DEDIT . IMAGINES . ARGENT . DVAS
. . . .

GENIO] De genio multa Censorinus de Die Natali, Iamblichus De Mysterijs, Apuleius de Deo Socratis, & Arnobius Aduersus Gentes. Vnde nihil post tantos viros mihi suppetit, nisi vt obseruem, Genios fuisse varios apud Ethnicos, diuersaq; pro ipsorum arbitrio superstitione cultos. Vnde Ciuitatum Genij deprehenduntur apud Arnobium; & passim videmus, Genio Augusti, Genio Populi Romani, Genio Loci, Genio Lauacrorum, Genio Theatri, Genio Cęsarum, Genio Conseruatori Horreorum, Genio Exercitus; ne pene infinita hic referam epitheta, quæ Genio data in monumentis, & numismatibus videre licet. *Cap. 5.* *Aduers. Gent. Lib. 5.*

DOMNOR.] Loco DOMINORVM apud antiquos, vt satis liquet ex numismatis Iuliæ Piæ Augustæ, Septimij Seueri vxoris, quæ nuncupatur IVLIA DOMNA; & ex iurisconsultorum libris, qui aliquando Domna pro Domina habent. Verum vox ista Dominus diuersimode ab antiquis vsurpata fuit: Deos enim Dominos dictos fuisse Lucretius Carus demonstrat. *L. 38. §. Lucius de Legat. 2.* *De Rer. Nat. lib. 2.*

Quæ bene cognita si teneas, natura videtur
Libera continuo dominis priuata superbis.

Et cum eo Virgilius de Cybele.

Et iuncti currum dominæ subiere Leones. *Aeneid. lib. 3.*

Reges quoque, & Imperatores Dominos nuncupatos fuisse passim cognoscitur; nam de moriente Camilla Virgilius.

Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. *Lib. 11.*

Claudius quoq; apud Suetonium post Messalinam occisam, *paulo post quã* ' Suet. in Aug. c. 53. *in triclinio decubuit,* cur domina non veniret *requisiuit*. Sed Augustus *Domini appellationem, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Cum spectante eo ludos pronuntiatum esset in mimo,* O dominum æquum & bonum! *& vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent: & statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco, passus est.* Serui itidem heros suos Lib. 1. Epig. 82. Dominos appellabant: vnde Martialis in Sosibianum sic iocatur.

E serua scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Præterea viros ignotos & fortuito obuios antiqui Dominorum no- Lib. 1. Epig. 113. mine salutabant: vnde idem Martialis ad Priscum.

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam,
Cum bene te noui, iam mihi Priscus eris.

Maritos quoque Dominorum titulo honoratos, notat inter cetera Nonius Marcellus ad illud Virgilij:

Aeneid. lib. 4. *———— connubia nostra*
Reppulit, ac dominum Aeneam in regna recepit.

Cui ad hunc locum Seruius subscribit.

De Die Nat. cap. 3. LARIBVS PVBLICIS] *Eundem esse Genium, & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt,* vt ait Censorinus: de quibus fuse apud auctores prædictos, qui de Genio scribunt. Lares alij erant publici, alij priuati, qui & familiares dicebantur. Publicis Romæ Templum & Lucus fuerat consecratus: Priuati diuersi pro varietate voluntatum fuere. Lares alij Vrbani, de quibus Martialis:

Lib. 3. Epig. 31. *Vrbanique tenent prædia multa Lares:*

alij Permarini, quorum meminit Liuius. Siquidem M. Æmilius Lepi- Hist. lib. 40. dus *dedicauit ædem Larium permarinorum in campo. Vouerat eam annis quadraginta ante L. Aemilius Regillus.* Hostilios Lares Festus descri- Lit. H. bit, dicitque, quod veteres *Hostilijs Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.* Grundulium Larium, & Latium vicorum & itinerum Aduers. Gent. lib. 1. & 5. meminit Arnobius, qui non minus fuse quam erudite in Lares ludit. Quetquetulanos Lares, & Rurales obseruare quisque potest apud Religiosissimum Episcopum Tomasinum in suo *De Donarijs* vbi fuse *Vo-* Cap. 8. *ta Genio & Laribus dicata* perpendit.

IMAGINES ARGENT. DVAS] Si mutilum, & ferme exesum non esset monumentum, Donarium istud argenteum, Genio Dominorum, & Laribus Publicis consecratum, cuius generis esset, atque in quem finem dicatum, appareret: verum temporis sæuitia hoc nobis denegauit, nec aliud cognoscendum reliquit, nisi quod cum lapide ipso deuouerat IMAGINES ARGENTEAS DVAS T. PVBLICIVS CRESCENS.

IN AEDIBVS SANDELLIORVM.

A Cathedralis Templi vico recta versus forum vinarium pergenti, haud procul à Monte Pietatis, ædes occurrunt, quondam Sandelliorum, honestæ Patauij familiæ: quam nostra ætate illustrauit Martinus, Presbyter ac iuris vtriusque Doctor, vir sane doctus, politiorumque literarum notitia clarus. Hic cum Ecclesiæ parochiali Sancti Martini præesset, anno sexcentesimo vigesimo septimo supra millesimum eius restaurationi intentus, hoc inuenit fragmentum: quod cum ipsa domo nunc in cuiusdam causidici potestatem venit. Circa id vix aliud addere licet, quam quod subtilissimus Pignorius in epistola ad Martinum Sandellium, fuse, accurate, ac erudite obseruauit. Eam hic subnectere, apprime necessarium iudicaui.

L. P. MARTINO SANDELLIO *Epist. Symbol. epist. 40.*

I. C. VIRO REVERENDO

Frustum veteris inscriptionis e marmore Pario, notatum elegantissimis characteribus, à seculo vt videtur Augusteo, in Templo D. Martini nuper effossum, cui tu merito praes, postulas tibi explicari; notis videlicet implicitum, & à corpore suo auulsum. Num ego tibi, Amice, gentem Asclepiadarum videor attingere cognatione? An vero profiteri me censes disciplinam Cornelij nostratis? Verum age experiamur. Frustum eiusmodi.



Continet autem, quantum ego coniicio, summam pecuniæ legatæ in tuitionem monumenti alicuius. Hæc enim erat solemnis formula legandi: cuius vestigium extare in vetere Gallica inscriptione apud Gruterum. CLI. *6. sunt qui credunt. ego non item.*

QVOD.

QVOD . IN . AGRO
PROPRIO . CONSTITVTVM . TVEN
TIONI . OMNIVM . VOLVERVNT
ESSE COMMVNE . &c.

Ibi enim Tuentio eſt inſpectio, non tutela Monumenti, cuius penes accuratiſsimum Briſſonium lib. VII. *Formularum extat mentio accurata, quam confirmant veteres Inſcriptiones apud Gruterum* CCCXCIX. I. DCXI. II. *At ſumma pecuniæ valde ingens. fateor, & ſcio Ariſtotelem Lib.* IV. *Ethic. Cap.* II. *monere, non eodem ſumptu Fanum, & ſepulchrum ædificandum eſſe. Verum noſtri maiores inſanierunt circa hæc annorum ludibria; tanquam ſepulchra eorum eſſent, vt inquit Regius Pſaltes Pſal.* XLIIX. Domus illorum in æternum . *Et hiſce delirijs compeſcendis inſudarunt quandoque præceptis & monitis Leges & Legum Conſulti. at præualuiſſe hic etiam præpoſterum luxum, teſtes ſunt inſanæ ſubſtructiones aliquot, quas temporis edacitas minimum attigit, vt in Munatij Planci Oratoris, & Metellæ Q. Cretici filiæ Mauſolæis videre eſt. Hæc erit Hiſtoria, ſeu verius fabella Deiphobi tui vir amice. an vero ille, vt alter Priamides olim Æneam, me ſit compellaturus,*

——— nihil o tibi amice relictum eſt
Omnia Deiphobo ſolviſti, & funeris umbris

ego quidem neſcio: tu ſcies, qui illum habes contubernalem, & cum illo vna omnis Antiquitatis penitiſsimæ notitiam. Vale.

De Ling. Lat. lib. 5. H–S] Quæ SESTERTII eſt nota. Quid autē eſſet Seſtertius nobis ſcriptum reliquit Varro. *Seſtertius, quod ſemiſtertius. Dupondius enim, & ſemis antiquus Seſtertius eſt: & veteris conſuetudinis, vt retro æra dicerentur, ita vt ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus.* Quantum autem valuerit Seſtertius, ex Feſto habetur. *Lit. S.* *Seſtertius dicitur quarta pars denarij, quo tempore is decuſsis valebat, id eſt dupondius & ſemis.* At Seſtertij auctum fuiſſe *Hiſt. Nat. lib. 33. c. 3.* pretium demoſtrat Plinius. *Poſtea Annibale vrgente, Q. Fabio Maximo dictatore aſſes vnciales facti; placuitque denarium* XVI *aſsibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis.* Sed hoc extra militaria ſtipendia, nam ſtatim ſubdit: *In militari ſtipendio ſemper denarius pro decem aſsibus datus.* quod forſan & de Seſtertij pretio accipiendum eſt.

Verum Seſtertius maſculini generis erat quarta pars denarij, Budęi au- *Breuiar. de Aſſe.* ctoritate, valebatq., vt ait ipſe, *decem Turonicis denariolis, & ſemiſſe:* vel vt infra

infra ostendam, tribus solidis cum semisse Serenissimæ Reipub. Venetæ. Sestertium autem generis neutrius mille sestertios masculini generis, paruos dictos, valebat. Ideo mille Sestertij vnum Sestertium erant: Sestertium vero viginti quinque coronatos, seu Philippicos recipit; vt obseruare licet ex computationibus Budæi, Iusti Lipsij de Re Nummaria, cuius posthumum opus habemus beneficio eruditissimi, ac suauissimi Ioannis Rhodij amici nostri, quem meæ, si qua est virtutis stimulatorem, & cultorem reciproco amore & veneratione prosequor. Cum itaque coronati Budæi, & Philippici Lipsij conueniant cum Scutis Venetis, quæ septem librarum pretio, nempe solidis CXL. Serenissimus Princeps expendit, viginti quinq; scuta Veneta pariter Sestertium conficient. Et cum ista XXV. scuta ex libris septem constantia faciant CLXXV. libras, quarum quælibet XX. solidorum est, solidi ter mille & quingenti sestertium magnum constituent: qui si deducantur in mille sestertios paruos, paruo sestertio tres solidi cum semisse æquantur. Quisquis itaque sit, qui ad huius monumenti tuitionem ter mille & centum H-S legauit, vt inscriptio refert; si paruos intellexit, libras centum sexaginta septem Venetas legauit cum dimidia; si sestertia, Scuta Veneta 77500, quæ certa summa est mirabilis. Loco Cit. Cap 4.

CCCIƆƆƆ] Hæc numeri nota est, pro tribus millibus in monumentis accepta; vt ex Pierij Hieroglyphicis colligo. *Manifestum est millenarij numeri notam, quæ tam antiquis in marmoribus inspicitur, hac fuisse figura,* ↀ *: duo millia vero sicilicis ad rectam lineolam duplicatis, CCIƆƆ: tria millia triplicatis, CCCIƆƆƆ.* Hanc vero explanationem se fatetur Pierius accepisse ex antiquissimo codice Bibliothecæ Florentinæ, in epistola data ad Caninium Sallustium lib. II. cuius hæc promit verba: *Quod scribis ad me de drachmis* CCCLIII *notatum est de drachmis* CCCIƆƆƆ, *quod computat tribus millibus. Ac ne in quatuor millibus similiter signandis immorer, scilicet* CCCCIƆƆƆƆ *hæc vt semel dicam demum erit regula, &c.* Lib. 37. cap. 42.

Igitur in tuitionem monumenti, cuiuscunque fuerint generis H-S 3100 legati sunt.

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIB. I. SECT. III.

REGIO SECVNDA PONTIS MOLETRINARVM.

IN ea Medoaci parte, quæ ſeptentrionalem ciuitatis plagam ſecat, triginta moletrinarum rotæ conſpiciuntur, eo ordine diſpoſitæ, vt nulla ſit impedimento alteri, ſed commodus omnium vſus. Flumini ita ſunt inſertæ, vt hinc à lembis moletrinarijs, inde à ligneis caſis, vbi molæ verſantur, ſuffultæ, à quauis ingenti alluuione nihil patiantur, ſed apte pinſendo tritico voluantur. Spectatoribus inter noſtri æui miracula iure merito habentur. Quam autem hęc hydromylarum congeries ſit vetuſta, etſi de eius origine nulla extet apud ſcriptores noſtros memoria, hoc tamen amplum eſt teſtimonium, quod ab ea, nec aliunde, ſecunda ciuitatis regio appellationem traxerit.

SECVNDA REGIO

IN MVSÆO FRANCISCI VRSATI.

PRope plateam Sforzateorum commodæ satis prospiciuntur ędes, nostrorum maiorum de Vrsatis, antiquæ, sed aptæ structuræ. Eas nunc incolit Franciscus Vrsatus consanguineus noster, eximij vir ingenij, historiarum, matheseos, antiquitatum cognitione non leuiter tinctus: qui singulari studio hæc duo politissima, candidissimaq; marmorea monumenta inter sua cimelia conseruat.

I 2



Io. Georg. sculps.

2. Horum alterum corrupti seculi puto, cum & literæ male sculptæ habeantur, & characteres illi à Romana puritate declinent: præterea CONVI pro CONIVGI sit sculptum.

IN AEDIBVS, OLIM SCARDEONIORVM, NVNC GASPARIS CAMPOSAMPERII I.C. ET ASSESSORIS CELEBERRIMI.

Poſt eccleſiam S. Leonardi illico domus Scardeoniorum ciuium Patauinorum ſpectatur. In hac familia clarus fuit Bernardinus Scardeonius Canonicus Patauinus, antiquitatum patriæ diligentiſſimus conſeruator. Et certe quantum conditori Antenori Patauium debet, tantum Scardeonio tenetur, qui ad ſua vſque tempora laborioſiſſimum opus deduxit; quum nullus antea niſi ſparſe & confuſe de patria noſtra ſcripſerit. Ideoque vir iſte moribus, virtute, eruditione inſignis, ſummo labore, ſtudio, ac diligentia *De Antiquitate vrbis Paduæ, deque claris eiuſdem ciuibus* opus bona fide concinnauit, ac perfecit, tam patriæ carum, adeoque ab omnibus expetitum, vt difficilis nunc eius ſit copia. Porro aſſiduus hic antiquitatum venerator multa monumenta in ſuis ædibus collegit, careque cuſtodiuit: quæ partim hodie ſalua ſunt, partim heredum incuria perierunt. Hac gente Scardeoniorum mea ætate extincta, domus iſta hereditario iure in Gaſparis Campoſamperij Iuriſconſulti, aſſeſſoriſque celebris poſſeſſionem venit; in eaque hæc monumenta viſuntur.

Humi

1



2

Humi ad fenestram, quæ flumen spectat.

TI ⁚ CARTORIO
TI . . LAM . . EROTI
CARTORIAE APTAE
CARTORIVS SIBI ET
SVIS

3

Ante gradum vicini horti.

C . POMPEIVS . C . L.
LEPIDVS SIBI ET
POMPEIAE C . L.
PRIMAE
TESTAMENTO
FIERI IVSSIT.

4

In parietibus areæ.

C . SEXTIO QVOD . C . BELLO CONF . RELIQVI AS NON DESERVERIT POMPEIANORVM VICTORIS IVSSVM K . D . MVLTATO ET IN EXIL . ACTO . C . SEXTIA VXOR PARVVLIS CVM LIBERIS OBSERVARI IVSSA SEQ. . IPSOSQ. . REPENTI PRÆCIPITIO VINDICAVIT IN LIBERTATEM . VIXIT LIBERA ANN . XLVI . SERVA NEC DIEM.

Lib. 1. Claſſ. 4 fol. 86. 1. Lapis iſte penes Ioannem Baptiſtam Rotam erat Scardeonio au-ctore, quem forſan paulo poſt ab eo accepit.

Effigies quę velata ſacerdotali ritu in hoc monumento obſeruatur, vel ſacerdotis ſacrificantis eſſe potuit (ſolebat enim reijci *pars togæ ſuperior ad ceruicem, quæ nempe ſiniſtro humero inſidebat, & dextro deijciebatur: ea attrahebatur in caput cum ſacra fierent*: vt oſtendit de Re veſtiaria in- *Lib. 1. cap. 10.* gens Lycei noſtri gloria Octauius Ferrarius) vel Auguris, qui & ipſe ſacerdotibus accenſebatur. Siquidem Accij Nauij Auguris ſtatua exta-bat *ante curiam poſita, prope ſacram ficum, minor hominis mediocris ſta-tura, & capite velato*, teſte Dionyſio. *Antiq. Rom. lib. 3.*

MOENIO] Mœniam gentem plebeiam Panuinius conſularem oſtendit; quam eandem puto cum Mainia: I enim loco E antiquos vſos, non eſt qui ignoret. Propterea in hac gente claruit M. Mainius P. F. P. N. qui Conſul, inde Dictator, poſtea Cenſor, ac tandem ite-rum Dictator extitit.

2. Hoc ſecundum monumentum ſuperſtes habemus ab antiquiſ-ſima Cartoria familia, quæ vſque ad tyrannidem Eccelini floruit Pa-tauij.

De Famil. Rom. De Antiq. Nom. 3. POMPEIVS] Pompeiam gentem quamuis plebiam demon-ſtrent Vrſinus & Panuinius, claram tamen fecerunt conſules co-gnominati, Rufus, Bythynicus; clariſſimam vero Strabo, & Magnus pater & filius conſules, ijs cognominibus inſigniti.

LE-

LEPIDVS] Cognominis huius origo à lepiditate sermonis haud dubie dimanat; ergo in numero eorum est, quæ ab oratione & venustate in loquendo petita fuerunt Lepidus enim à lepore desumptum videtur Agrœtij veteris grammatici sententia. *Lepus est animal. Lepor iucunditas voluptatis, vnde gratum aliquid lepidum dicimus. Lepos eloquij.* At cum Seruio lepidum à faceto distinguo: nam eius testimonio *facetus est qui facit verbis quod vult, lepidus qui politus est*. Ideo Sigonius ex Plutarcho in Paulo colligit, quod *Lepidi Æmilij dicti sunt à Lepore orationis, quia Mamercus Numæ. F. Princeps eius gentis summo lepore præditus fuit, quem Græci αἱμυλίαν dicunt.* *De Nom. Rom.*

4. SEXTIO] Sestia, & Sextia gens Romæ fuit; sed illa patricia, in qua Consul cognomine Capitolinus; ista plebeia, in qua Consules cognominati Sextinus, Lateranus, & Sabinus. Imo L. Sextius Sex. F. N. N. Sextinus Lateranus primus fuit e plebe consul. Hoc loco obseruandum, in omnibus fere Liuij codicibus, vbi de P. Sestio Capitolino mentio est, loco Sestius Sextius impressum esse, quod gentem patriciam cum plebeia confundit. Ideoque *P. Sestius* non *Sextius* legendum est. Nam *P. Sestium patriciæ gentis virum fuisse* Liuius habet. *Panuin. de Antiq. Vrsin. De Fam. l. Rom. Liu. Hist. lib. 8. Fastor. lib. 1. Hist. lib. 5.*

QVOD. C. BELLO CONF.] Quæ accipio QVOD CIVILI BELLO CONFECTO: nam Sextium istum Pompeianæ fuisse factionis, quæ sequuntur monumenti verba testantur. Pompeium vero contra Cæsarem ciuili bello dimicasse quis ignorat?

RELIQVIAS NON DESERVERIT POMPEIANORVM] Verum sinceræ affectionis testimonium: nam & in aduersa fortuna non deserere ducem & amicos, sine fuco Patauinæ semper fuit virtutis. At quanta fide ac patientia Pompeiani milites eminuerint etiam summis in angustijs, ipse Cæsar testatur. *Atque vno tempore accidit, vt difficilioribus vsi tempestatibus, ex pellibus quibus erant tectæ naues, nocturnum excipere rorem cogerentur: quas tamen difficultates patienter, & æquo animo ferebant.* Patauinos autem Pompeio addictos fuisse, nonnulli autumant ex illis verbis, quæ de T. Liuio apud Tacitum protulit Cremutius Cordus. *Titus Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Augustus appellaret. neque id amicitiæ eorum offecit.* Quod an sit verum, nemo facile affirmabit; præcipue cum multi sint ex nostris, qui negent Patauium intra numerum fuisse Coloniarum Transpadanarum, quas Gn. Pompeius Strabo Magni pater deduxerat. *De Bello Ciuil. lib. 3. Annal. lib. 4*

K. D.] Quid duæ literæ sibi velint ignoro: nam quod aliqui calumniam interpretantur, quisnam hic locus calumniæ? quod autem addunt. D. significare damno mulctato, neq; hoc satis Latinum est. Crediderim tamen, quoniam illæ duæ literæ K. D. ab omnibus nota-

rum

rum abbreuiatarum interpretibus pro KAPITE DIMINVTO acci piuntur, VICTORIS IVSSVM KAPITE DIMINVTIONIS MVLTATO legendum, errorem autem in vocabulo IVSSVM pro IVSSV ſtatuarij imperitiæ adſcribendum eſſe. Cumque in inſtitutionum libris triplex capitis diminutio reperiatur: *Maxima per quam, & Ciuitas, & libertas amittitur: Media per quam ſola ciuitate amiſſa libertas retinetur, quod fit in eo cui aqua & ignis interdicitur: Minima, per quam & ciuitate, & libertate ſalua, ſtatus duntaxat hominis mutatur:* media capitis diminutione SEXTIVM multatum opinor, quia in exilium eiectus ciuitatem amiſit.

Lib. 1. De Cap. Diminit. & tit. eodem.

C. SEXTIA] Quod eſt CAIA SEXTIA. Mulieribus namq; nubentibus antiquitus Gaiæ prænomen erat Feſti monitu, *Gaia Cæcilia appellata eſt vt Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat, vxor Tarquinij Priſci Regis Romanorum. Quæ tantæ probitatis fuit, vt id nomen ominis boni cauſa frequentem nubentes, quam ſummam aſſeuerant lanificam fuiſſe.* Ideo ſponſam introducentes iubebant ſponſo dicere: *Vbi tu Caius, ego Caia.* Quæ verba eo ſpectare volebant: vbi tu Dominus & Paterfamilias, ego Domina, & Materfamilias. Ad hoc prænomen notat Quintilianus, quod *Gaius C. litera notatur, quæ inuerſa mulierem declarat: quia tam Caias eſſe vocatas, quam Caios etiam ex nuptialibus ſacris apparet.* Hoc tamen non ſemper in lapidibus obſeruatum video: nam hæc mulier recto C. inſcribitur GAIA SEXTIA.

Lit. G.

Plutar. in Quæſt. Rom. n. 30.

Inſt. Orat. lib. 1. cap. 7.

Tandem cum hanc inſcriptionem à lapide diuerſam exhibeat Scardeonius, formam, quæ ab ipſo deſcripta eſt, hic neceſſario ſubnectendam cogitaui.

C . SEXTIO . QVOD . C . BELLO CONF . RELIQVIAS
NON DESTITVERIT POMPEIANORVM
VICTORIS IVSSV K . D . MVCTATO ET IN EXI
LIVM ACTO C . SEXTIA VXOR PARVVLEIS
CVM LIBEREIS OBSERVARI IVSSA SEQ. IPSOSQ.
REPENTI PRÆCIPITIO VINDICAVIT IN LIBERTA
TEM VIXIT LIBERA ANN . XLVI . SERVA
NEC DIEM.

Diſſimulare tamen non poſſum, mihi totam hanc inſcriptionem nouitatis ſuſpectam eſſe, quod etiam viris doctis placere video.

IN

IN ÆDIBVS MVSSATORVM.

IN vico S. Iacobi, e regione Xenodochij, Mussatæ gentis, olim Vicentiæ, & nunc Patauij nobilis, vastæ exurgunt ædes. Familia ista multis illustribus viris emicuit, sed præcipue eam claram reddidit Albertinus Mussatus, ante trecentos annos Historicus ac Poeta illius ærumnosi æui elegans ac insignis. Cuius historiam de gestis Henrici VII. Cæsaris, necnon Tragœdias, epistolas, atque eclogas Latino carmine, eximij Senatoris Veneti Dominici Molini litteratorum Mecœnatis beneficio typis commissas legimus. Albertinus de patria optime fuit meritus, multaque pro ea passus est, etiamsi varias ad Principes illius seculi in Patriæ beneficium legationes obiuisset, inter quas insignis maxime fuit illa, qua cũ alijs ciuibus Patauinis ad coronationẽ Henrici septimi Cæsaris Mediolani functus est. Publice Patauij ob eximiam doctrinam, in totius Academiæ Iurisconsultorum & Artium, ac vniuersæ ciuitatis conspectu, à Pagano à Turre Episcopo Patauino, & Alberto Saxoniæ Duce tunc Gymnasij Rectore, imposita ex lauro corona, Poetæ nomine insignitus fuit: eique is honor postea habitus, vt decreto vtriusq; Academiæ singulis annis diebus festis Natalitijs Domini vtriusq; collegij doctores atq; studiosi solemni pompa, præcinentibus tubis, ad ipsius ædes eum honoris causa cereis muneribus poetam salutarent. Nec ipsi tantum Poetæ nomen, veluti apud veteres cognomen, sed posteris etiam diu remansit, qui dicti fuerunt de Mussatis siue de Poetis. Huius viri frater Gualpertinus, Albertini tunc pro Repub. Romæ oratoris precibus, à Bonifacio VIII. Pont. Max. cui pergratus erat, facile Sanctæ Iustinæ Abbas renunciatus fuit, quamuis Cisterciensis esset. Ceterum feruidi atque acris ingenij vir, potiusque ad militiam quam religiosam vitam natus, sæuissimis illis temporibus, veluti ciuis priuatus in arduis Ciuitatis negotijs se gessit, tandemq; cum Marsilium Carrariensem infestum sibi haberet, ex vrbe clam aufugit; neque vlli hactenus compertum fuit, vbi vitam clauserit. In hac eadem familia duo claruerunt Ioannis & Francisci nomine, Iurisconsultus alter, & in patrio Gymnasio Pontificij Iuris doctissimus interpres, qui ædes hasce suas magnificas extruxit, ac viridarium amœnissimum adiunxit: alter qui linguarum, Græcæ, Latinæ aliarumque literarum notitia omnes sua ætate antecelluit, atque studio Rhetoricæ, Poeticæ, Philosophiæ, veterumque poetarum imitatione tantum valuit, vt *Recoueratorum*, & *Deliorum* Academiæ Patauij literis armisque dicatæ communem patrem dixerint. Supersunt hodie Comes Ludouicus Medicus, & Iulius Philosophus iuuenis adhuc florens, magnæque expectationis. Sed præcipue suam illustrat familiam Galeacius I. C. Iulij frater,

Paliarin. & Merzar. in Histor. Vicent.

In Suis Oper. lib. 2. & passim.

Histor. Corrusior. De Nouit. Pad. & Lõbard. lib. 1. cap. 12

Ioan. De Nono de Famil. Patau. M.S.

Scard. lib. 2. Class. 10.

Canac. Hist. Cœnob. D. Iust. lib. 3.

Scard. lib. 2. Class. 6.

Canac. & Scard. loco cit.


Canac. lib. 4.

Scard. lib. 2. Class. 8.

T qui

qui florida adhuc ætate Archipresbyteri dignitate Patauij inſignitus, ſummam hanc prouinciam non incongruam ſuæ virtuti eſſe, abunde demonſtrat, omnibus æque pergratus. Sed vt ad Ioannem Franciſcum ſecundum reuertar, is omnium antiquitatum notitia clarus, hæc quæ ſequuntur monumenta, ædium veſtibulo inſeruiſſe traditur.

I



II



III



IV



PON:

PONTICI] Cognomen si non à Ponto Prouincia, saltem à gemma, Pontica dicta, deductum suspicor: de qua Plinius. *Ponticarum plura sunt genera. est stellata, nunc sanguineis nunc atris guttis, quæ inter sacras habetur. Alia pro stellis eiusdem coloris lineas habet.* Vnde Ponticus ab habitu corporis forsan dictus, quod faciem sanguineis vel atris guttis aut lineis distinctam haberet. *Hist. Nat. lib. 37. cap. 10.*

MIL. COHORT. V. PR.] Id est MILITIS COHORTIS QVINTAE PRAETORIAE. Cohors ista in Legione fortibus constabat viris Vegetij monitu. *Quinta cohors in legione strenuos desiderat milites, quia sicuti prima in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu.* *De Re Milit. lib. 2. cap. 6.*

Apud Scardeonium & Gruterum supra hoc monumentum D.M. reponendum est: nec cum Scardeonio legendum P. R. interpunctione distinctum, sed PR. literis coniunctis. *Lib. 1. Class. 4. fol. 76. Fol. 517. n. 10.*

3. GAVIO] GAVIA gens Panuinij obseruatione Veronæ & vetustissima & nobilissima fuit, vt plurima quæ ibidem reperiuntur, monumenta fidem faciunt; sed præcipue geminus arcus prope castrum vetus; de quo Panuinius loco citato. *Antiq. Veron. lib. 3. cap. 4.*

IVCVNDO] Cognomen viro huic ab animo ad hilaritatem ac lætitiam propenso forsan impositum.

CONTVBERNALI] Festi sententia *Contubernales dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis. Vnde & tabernacula dicta sunt, licet ex tentorijs, & ex pellibus fiant.* Hoc tamen loco Festus fortasse milites solum respexit, quod minime huc quadrat. Vnde contubernalem hic vel accipio cum Cicerone pro domestico, & familiari: *Illud doleo in ista loca venire me vt constitueram non potuiße. habuißes me non hospitem sed contubernalem:* et in oratione pro Gn. Plancio: *Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini propinqui sui*: vel contubernalem sumptum credo pro conliberto, qui eodem contubernio vteretur. *Lit. C.* *Epist. Famil. lib. 9. ep. 20.*

4. Ceterum vbi GVAVIO Scardeonius habet, in saxo GAVIO videtur; ac quod apud ipsum & Gruterum est SIBI, in monumento SIBE legitur, tandemque ambobus addendum, *Lib. 1. Class. 4. fol. 76. Fol. 977. n. 4*

IN : AGR . P . XII.

quod apud eos deficit.

APVD COMITEM IACOBVM ZABARELLAM.

IN vico caudæ longæ ad portam vrbis ingenioſiſſimus Comes Iacobus Zabarella domum poſſidet. Huius nobiliſſimam ſtirpem ſic illuſtrat Franciſcus Zabarella Cardinalis, Archiepiſcopus Florentinus Conſtantienſisque Concilij Legatus, poſt obitum ab omnibus in Pontificem Maximum deſideratus, Sigiſmundoque Imperatori ita carus, vt publice eum defleuerit, & corpus ad tumulum comitatus ſit: Bartholomæus Cardinalis nepos, itidem Archiepiſcopus Florentinus; de quo ſit dixiſſe ſatis, nullum repertum poſt ipſum Eccleſia Florentina dignum, præter Antoninum, religioſiſſima vita mirandiſque operibus ſanctitatis elogium promeritum: Paulus Argolicenſis Epiſcopus, Theologus, & Eccleſiaſtes inſignis: quamplurimi Iuriſconſulti profundiſſimæ eruditionis: ſed præcipue C. Iacobus noſtri comitis auus, Philoſophus inclytus, quique in Patrio Gymnaſio, e ſublimi ſuggeſtu Philoſophiam maxima doctrinæ fama tradidit, vt eorum omnium nomina

Scard. lib. 2. Claſſ. 5.

Idem ibid.

Idem ibid.

— Circum late volitans iam fama per per vrbes

glorioſe in totum orbem detulerit, ac in ſinu æternitatis locarit. Iacobus vero ipſe, vt dignum celeberrimæ familiæ, quæ tantis ſyderibus emicat, ſe probet germen, maiorum ſuorum veſtigia premens ad gloriam felici properat pede. Antiquitatum enim peritiſſimus gentilicia ſtemmata, Regum, Principum, Venetæque Reipublicæ Heroum, quos omnes ad ſublimia extollit, laborioſe contexuit, iamque duo huius generis opera vulgauit in lucem: Hetruſcum vnum Thraſeæ Pæti vitam, ac Zenorum familiæ Venetæ ampliſſimæ propaginem continens: Latinum alterum, quo Auraicorum Principum originem, progeniem ac ſtemmata exponit: multa vero alia typis itidem deſtinata domi aſſeruat. Valet etiam accuratiſſimus iſte vir numiſmatum, & monumentorum cognitione; cuius generis apud ipſum complura reperiuntur.



1. Hoc monumentum quatuor abhinc annis, dum terra ſulco verteretur, Atheſte repertum fuit in Achate gemma ſculptum: in quo duas dexteras iunctas, quæ ſub inſcriptione obſeruantur, fidei ſymbolum eſſe, præter monumenti verba, teſtantur numiſmata pene infinita, in quibus circum implicatas ſibi dextras legitur FIDES MILITVM, FIDES EXERCITVVM.

Q. C. L.] Si nomina, & cognomina inſtar prænominum antiqui vna tantum litera deſignaſſent, diceremus prænomen, nomen, ac cognomen mariti huius Septimiæ, de qua in gemma, tribus illis literis ſignificari; puta QVINTI. CAECILI. LEPIDI, vel ſimilia huius generis. Sed cum exempla ſuppetant nulla, Alexandro cuipiam Gordianum hunc nodum remitto ſoluendum.

SEPTVMIÆ] Loco SEPTIMIAE ſcripſerunt antiqui: ſic Lucretius, De Rer. Natur. lib. 6.

Principio mare mirantur non reddere maius
Naturam, quo tantu' fuat decurſus aquarum

Nempe *fuat* pro *fiat*. Cur autem V. pro I. vſurpatum fuerit, hanc ratio-

Inſtit. Orat. lib. 1. cap. 4. tionem reddit Fabius. *Et medius eſt quidam V et I literæ ſonus, non enim ſic optumum dicimus vt optimum?* Gnæus tamen Cornutus ex Caſſiodori collectione hunc vſum improbat, dicitque: *Melius tamen eſt ad enunciandum, & adſcribendum I. literam pro V. ponere, in quod iam conſuetudine inclinauit.*

De Ortograph. Gn. Cornut. cap. 1.

2. Alterum monumentum operculum marmoreum eſt vrnæ. Cineraria enim locula alia aurea, vt illud Seueri; alia argentea, vt illud Papiniani I. C.; alia ænea, vt illud, de quo Virgilius:

Aeneid. 6.

Oſſaque lecta cado texit Corinæus aheno.

alia marmorea, alia fictilia fuiſſe, omnibus compertum eſt: idque apertiſſime demoſtrant Kirchmannus de funeribus Romanorum & Iacobus Guterus de iure Manium; ſed marmorea locula ditiorum fuiſſe ibidem Kirchmannus notat ad illud Tibulli:

Lib. 3. cap. 8.

Lib. 3. Elg. 2

Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Ad quod forſan reſpexerat & Propertius, cum cecinerat.

Lib. 2. eleg. 1

Et breue in exiguo marmore nomen ero.

3. Vrna fictilis ad vſum cinerum mortualium. Nomen in labro exaratum figuli eſſe credo, Gulielmum Philandrum ſecutus, qui in commento in ſecundum Vitruuij hoc idem confirmat; vt videbimus, cum Tegulas expendemus.

Cap. 4.

Ceterum monumenta in domo iſta à nobis huc vſque dilucidata, Iacobus Comes Zabarella cum alijs antiquitatum reliquijs, totaq; ſua libraria ſupellectile, D. Antonij, in ſingularis cultus argumentum, bibliothecæ donauit.

SER-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIB. I. SECT. IV.

REGIO TERTIA PONTIS ALTINATIS.

Foro, quod paleę vendendæ dicatum paleare nuncupatur, orientem versus ad antiqua Vrbis mœnia, porta & pons est vicinus, qui pons Altinas dicitur, tertiæque nostræ ciuitatis regioni nomen indidit. Hunc duplici de causa apud Patauinos historicos ita nuncupatum obseruo. Nimirum quia inde Altinum versus antiquissimum Venetiarum oppidum olim pateret egressus: vel quia Altinates, quum Attilę metu Pataium se recepissent, ea in regione ædes sibi erexerint. Quod Bernardus Georgius Patricius Venetus anno post Christum natum MDLVII. Patauij Prætor insignis, regimini Musas feliciter coniungens, hexastico Pontis Altinatis portæ imposito, quod hodieque conspicitur, eleganter significauit. *Pignor. in Adnot. ad Origin. Patau. fol. 168.*

HIC ALTINATES LARIBVS PATRIAQVE RELICTIS
DVM METVVNT PRAEDAS, DVM METVVNTQVE NECEM,
ATTILA NAMQVE IGNI VASTABAT, ET OMNIA FERRO,
EXTRVXERE SIBI, PIGNORIBVSQVE DOMOS.
INDITA SVNT EX HOC IGITVR SVA NOMINA PONTI
ALTINAS RIPAM HANC INCOLA QVOD COLERET.

Quicquid sit de origine nominis, hoc certe statuendum est, nullo alio insignitam fuisse hanc tertiam Patauinæ vrbis regionem.

PRI-

TERTIA REGIO

IN ÆDIBVS FRANCISCI BATTARII.

PRope Sancti Thomæ eccleſiam ædes, quæ Scardeonij ætate Cartulariorum non vltimo inter Patauinos ciues loco erant, nunc honeſto viro mercatori lanario Franciſco Battario modeſtia, & probitate conſpicuo ceſſere: vbi in parietibus ad ſcalas rude marmor hoc monumentum exhibet.

MER . S.
D . POPILIVS . PAETVS . GN . LABE.
PAETO . COS . DESIG . FRATRI
SVO . B . M . F.
HVNC . SOMNO . AETERNALI
PATRIA . RETINET.

MER. S.] Scilicet MERCVRIO SACRVM. Sepulcra etiam ac monumenta, vt inuiolata durarent, ſuis Dijs conſectare ſolebant: quod hic etiam indicat titulus. Quem morem ſecuti ſunt Chriſtiani, vt paſſim videre eſt.

Panu. de Nom. Antiq. D.] Decimi prænomen notat. Decimus ille fuit olim dictus, qui decimus ordine natus eſt.

Hiſt. Natur. lib. 11. cap. 37. PAETVS] Pæti ſunt, qui deprauatos habent oculos Plinij fide: *Vni animalium homini deprauantur, vnde cognomina Strabonum, & Pætorum*. Qualis vero in Pætis deprauatio oculorum eſſet, Sigonius *De Nom. Rom.* declarat. *Pætus auctore Porphyrione eſt, qui oculis eſt leuiter declinatis, vel cuius oculi huc, & illuc celeriter mouentur, vt ait Acro Horatius ſatyra tertia: Strabonem appellat Pætum pater.* Verum non vitium, ſeu deprauationem oculos pætos ſemper indicaſſe, ſed etiam quandam hilaritatem animi, & pulcrhitudinem apud Varronem animaduerto. *Satyr. fragm.*

Ante aures modo ex ſubolibus, paruoli
Intorti demittuntur ſex cincinnoli:
Oculi ſubpætuli, nigellis pupulis,
Quandam hilaritatem ſignificantes animi,

Quos

Quos callibleptaro naturali palpebra
Tincta, vallatos mobili septo

GN. LABE. PAETO] Id est, GNAEO LABEONI PAETO. Gnæi prænomine corporis insigne denotari, Festi testimonio cognoscere licet. *Gnaus, & corporis insigne, & pranomen à generando dicta esse, & ea ipsa ex Graco γίγνεσθαι apparet.* Lit. G.

Vlterius duo cognomina huic viro data obserue, & vtrumque ex corpore petitum; vnum Pæti, vt iam visum ab oculis; alterum Labeonis, à labijs: siquidem Labeones dicebantur antiquis quasi labiones, id est quibus magna erant labia. Legitur enim apud Sosipatrum antiquum gramaticum: *Labra modica: labia immodica, & inde Labiones.* Obseruat tamen Aelius Donatus grammaticus, quod *Labra sunt superiora, Labia inferiora:* vnde Labeones illi, qui inferius labrum immodicum habent. Gnæum vero Labeonem Pætum ex gente Popilia fuisse, liquido indicat, quod sequitur, FRATRI SVO. Si enim Decimus Popilius Pætus Gnæo Labeoni Pæto fratri suo monumentum erexit, quis dubitat hunc etiam ex gente Popilia prognatum.

COS. DESIG.] Nempe CONSVLI DESIGNATO. Designati vero Consules dicebantur, qui iam electi, nondum magistratum inierant. Designabanturque, vt ex varijs Ciceronis locis obseruat Rosinus, ad finem mensis Iulij & initium Augusti, sed magistratum non sumebant ante Kalendas Ianuarias: vnde Ouidius de primo Ianuarij die. Antiq. Rom. lib. 6. cap. 12. Fastor lib. 1.

Iamque noui praeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

HVNC SOMNO ÆTERNALI PATRIA RETINET.] Ex ista appendice duos hosce viros in monumento descriptos Patauinos fuisse, colligere audeo. Nam & lapis ipse mole magnus, nempe tres pedes longus, duos latus, non ita facile aliunde ad nos fuit deportatus: præterea ante nonagesimum annum, quo tempore Scardeonius suum condidit opus, eo loco, vbi adhuc videtur, parieti insertus fuit, apud gentem forsan non ita antiquitatibus amicam; vt situs monumenti commonstrat.

Nec vero in lapide P. POPILIVS, vt ex Manutio Gruterus scripsit, sed D. POPILIVS, vt ex saxo Scardeonius legit, cernitur. De ortograph. rat. Fol. 417. n. 10.

Sed enim Pæti cognomen, quod fuit Thraseæ, qui patriæ nostræ gloria suprema merito censetur, hic mihi locum præbet in transitu perquirendi, ex quanam gente ipse progenitus fuerit, cum Patauini auctores inter se discrepent. Eruditissimus, nec satis vnquam celebratæ memoriæ Pignorius noster in suis Originibus Patauinis de Thrasea Pæto hæc protulit. *La famiglia di Trasea Peto cioè il nome gentilicio (poiche il Lipsio ne dubita) io direi che fosse Thrasea, come appresso li Romani Cecina, & Perperna.* Sed parcant mihi tanti viri optimi manes, cum diligen- Lib. 1. Class. 4. fol. 78. Cap. 16.

Thraſea Pati Vita Lib. 2. Ital. ſcript. Fol. 355. n.1. tiſſimo Comite Iacobo Zabarella Thraſeas, vt cognomen obſeruo apud Gruterum duobus in lapidibus Neapolitanis. Vnus extat in ædibus Iouiani Pontani,

L. ANNIO . L . F. COL
MODESTO
HON . EQVO . PVBL.

K. IVN. IN. CVRIA. AVGVST. ANNIAN. SCRIB VND. ADFVER.
T. OPPIVS. SEVERVS. VIGNETIVS. LIBERALIS
IVLIVS. CALPETANVS. GRANIVS. LONGINVS

QVOD. C. AVIDIVS. THRASEA. D. CLAVDIVS. QVARTINVS. II. VIRI. V. F

& quæ ſequuntur: alter in ædibus Hadriani Gulielmi.

C. DOMITIO DEXTRO II L. VALERIO
MESSALA THRASIA PRISCO. COS.
VI IDVS IANVAR. &c.

Panuin. Comment. in 2. Faſtor. Qui conſulatum tenuerunt L. Septimij Seueri Imperatoris TR. P. IV. anno ab V. C. DCCCCXLVIII. Si itaque Thraſeas cognomen eſt, forſan à Græco Θρασὺς deriuari poterit, quod eſt audax, ſecurus, ardens, qualemque animo, & factis ſe præbuerit Thraſeas noſter, denotabit.

Vita Thraſ. Pat. lib. 2. Perquirit aſſidue ſubtiliſſimus Zabarella, cuius gentis Thraſeas fuerit; eumque ex Valeria gente ortum putat, quod ex eadem fuerit Conſul L. Valerius Meſſala Thraſias Priſcus. Suæ vero coniecturę fundamentum depromit ex Lipſio, qui ſic habet de Thraſea Pæto: *cuius gentile nomen adhuc quæro. Nam Dio P. Thraſeam Pætum ſaltem appellat. Marmor vetus ſuadet Valerium fuiſſe*: C. DOMITIO DEXTRO. II. L. VALERIO MESSALA THRASIA PRISCO COS. *Quod etſi de alio: ex cognomine tamen ſuſpicemur de gente.* *Ad 16. Annal. Cornel. Tacit.* Nam & Valeria gens Patauij floruit, vt de Valerio Flacco monuimus. Vnde ipſe Zabarella in *Lib. 2. fol. 42. & 43.* præallegata Thraſeæ Pæti vita concludit. *Si che eſſendo ſtato Thraſea Peto Cittadino Padouano, & li Valerij ancora loro Padouani, & hauendo veduto, che Thraſea era cognome proprio anco delli Valerij, ſi potrà concludere, che il noſtro Thraſea Peto foſſe della gente Valeria, della famiglia delli Meſſala, & del Colonello delli Thraſea. & che detto foſſe per ſopranome Peto, ſi che ſi doueua chiamarſi Pub. Valerio Meſſala Thraſea Peto.* Ab hac tamen opinione paulo poſt diſcedit: eo quia obſeruauit fortaſſe cum Panuinio, cognomina maiorum in familia retineri, *De Antiq. Nom.* ob præſtantem virturem, ac gloriam illius, qui primus cognomen inuenit;

uenit; nec in gente Valeria vllum fuisse, cui cognomen hoc esset, Consule, quem diximus, excepto. Suspicatus fortasse mecum est, ex Valeria gente Thraseam non fuisse, quum alioquin iure merito ingrata gens illa, atq; immemor dicenda fuisset, si tanti viri cognomen primum post centum, & quinquaginta ferme annos denuo assumpsisset.

Nec vero putandum, hoc factum ad euitandam Imperatorum iram: hæc enim cum Domitiano desæuijt: imo sub Traiano magni istius viri nomen & memoria eminuit, & vxor filiaq; eius ope Plinij in patriam à longo exilio restitutæ sunt. In quo negotio magnum gloriosumque se facinus perpetrasse iure ipse sic gloriatur. *Occiso Domitiano statui mecum ac deliberaui esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. Porro inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quam quod in Senatu Senator Senatori, prætorius consulari, reo iudex manus intulisset. Fuerat alioqui mihi cum Heluidio amicitia, quanta potuerat esse cum eo, qui metu temporum nomen ingens paresque virtutes secessu tegebat. Fuerat cum Arria, & Fannia: quarum altera Heluidij nouerca, altera mater nouercæ.* Vbi, etsi extra locum, non tamen ab re obseruo, quod Arria ista magnæ Arriæ Cæcinnæ Pæti vxoris filia fuit, ac Thraseæ nostri coniux: Fannia vero filia. Heluidius autem de quo Plinius, non est Thraseæ gener ac Fanniæ maritus, sed filius, de quo in Domitiano Suetonius. *Occidit & Heluidium filium, quod quasi scenico exodio sub persona Paridis, & Oenones diuortium suum cum vxore taxasset.* Isti enim Anteia coniux erat, de qua loco prædicto Plinius: Heluidium vero patrem Vespasianus occidi iusserat.

Epist. lib. 9. epist 33.

Cap. 10.

Si itaque sæuitia in innocentes, in pios, in optimos viros deferbuerat; si vxor, ac filia Thraseæ ab exilio redierant, cur non etiam Valerij, si in hac gente Thrasea vixit, tanti viri cognomen rursus assumpserunt, ac longa serie gesserunt, vt eius exemplo excitati virtutis amore, ac gloria posteri exardescerent?

Suet. in Vesp. Cap. 15.

Quamobrem hac difficultate motus ingeniosissimus Zabarella Thraseam nostrum ex Fannia gente natum credidit, quod antiqui filias suas familiæ nomine honestarent, vt ex monumentis liquido constat. Huic sane opinioni subscriberem, nisi Panuinius monuisset, vsum nominum seruatum *ante Reipub. casum. Nam post, sub Imperatoribus, nulla certa regula tradi potest, quam inepte, & pro arbitrio nomina sumere consueuerint.* Quid igitur hic affirmandum, cum Thraseas Pætus sub Imperatoribus vixerit, ac sub Nerone sanguinem IOVI LIBERATORI libarit?

Vita Thras. Pæt. lib. 2.

De Antiq. Nom.

Nolim equidem tanto viro obniti: si quid tamen in hac antiquitatum caligine diuinare licet, putauerim Thraseam nostrum non ex Valeria, nec ex Fannia, sed ex Popilia gente prodijs-

ſe, hac opinione adductus, quod ex hac gente alium Conſulem deſignatum habemus, quum conſularis fuerit: vnde ſine magno negotio plures habuiſſe Conſules, atque ob alium conſulem deſignatum Romam Patauio tranſmigraſſe, ibique vixiſſe, credere fas eſt. Conſulem quippe deſignatum, de quo in monumento, Thraſea priorem iudico: quandoquidem Conſulum deſignatio, quæ ante magiſtratus dignitatem Reipub. tempore in conſularibus comitijs habebatur, vt iam notaui, ſub Imperatoribus, omnia ſuo arbitrio ſtatuentibus, fuerat ſublata. Sed hæc antiquitatum peritiores expendant; qui de Thraſeæ gente ſi quid certius protulerint, me non minus quam patriam ſibi deuincient: mihi enim ſatis erit, quæ habet Lipſius ex Plutarcho, de huius viri motibus recenſuiſſe. *Salue ò ſalue vir magne, & inter Romanos ſapientes ſanctum mihi nomen. Tu magnum decus Gallicæ gentis tu ornamentum Romanæ curiæ: tu aureum ſydus tenebroſi illius æui. Tua inter homines non hominis vita: noua probitas, conſtantia, grauitas, & vitæ mortiſque æquabilis tenor.*

Ad Annal. 16.

Thraſeæ, Patauinum fuiſſe, patrio more nocuit. Nam, *quia idem Thraſea Patauij, vnde ortus erat, ludis Cæſticis à Troiano Antenore inſtitutis, habitu tragico cecinerat*, morti adiudicatus eſt, arbitrio ob inſignem gratiam conceſſo. Eam quam forti lætoque animo adierit, teſtatur idem Tacitus. *Accepto de hinc Senatusconſulto, Heluidium, & Demetrium in cubiculum inducit: porrectis vtriuſque brachij venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuperſpargens, propius vocato Quæſtore,* Libemus *inquit* Ioui liberatori. Specta iuuenis, & omen quidem dij prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis.

Tacit. Annal. 16.

Ibidem.

Libeat mihi tandem extra ſemitam deflectere, & de *Cæſticis* amici eruditi opinionem afferre: non vt alias euerram, ſed potius doctorum hominum animos excitem: ſiquidem elegantiſſimus quoque Lipſius dubitauit, vbi ait: *Quid cæſtibus cum cantu? cecinisse enim hic dicitur Thraſeas, non pugnaſſe.* Huius igitur rationem expendens mihi ſummo amore ac beneuolentia iunctus eruditiſſimus Alexander Eſtius, ciuis Patauinus, non minus de patria quam de bonis literis ſumme meritus, qui non ita pridem heu nimis acerba morte ſublatus, relicto amicis triſti deſiderio, pro Cæſticis putabat Scenicis ſcripſiſſe Tacitum, & librariorum imperitia, temporumque iniuria permutatis literis, hanc vocem fuiſſe immutatam. Quæ ſane coniectura non videtur nulla: quandoquidem in ſcenis antiqui canebant, ea inducta veſte, quam ſcenæ diuerſitas poſtulauerat. Thraſea vero noſter habitu tragico cecinit; quod à ludis ſcenicis minime alienum fuit. Hæc autem inter antiquitatis latebras cum deliteſcant, qui ingenio pollent, vlterius cogitent, eaque expendant, imo corrigant, ac firmiora in medium adducant, quibus hilari animo lubens acquieſcam.

Ad Annal. 16.

I N

IN ÆDIBVS DE BENAVIDIIS A MANTVA.

AD templum Eremitarum Sancti Augustini, qua orientem spectat, in vico communiter *Porcilia* dictd exurgit elegans vastaque domus clarorum ciuium Patauinorum familiæ Benauidiæ de Mantua. Gens ea omni æuo conspicua Mantua Pataiuum accessit, vnde & Mantuæ sortita cognomen, cum Benauidia ex Hispania oriunda, vbi & nunc floret, Mantuam primum se contulisset. Floruerunt in hac familia plures doctissimi viri; nimirum Ioannes Petrus Benauidius cognomento Mantua, qui artis medendi ea præcelluit peritia, vt nemini cederet, vnde summa artis medicæ gloria multas sibi diuitias comparauit. Verum clariorem hunc existimo virum ob insignes filios, Ioannem Andream doctrinæ paternæ, vt & gloriæ imitatorem eximium, & Marcum Mantuam disertissimum Iurisconsultum, qui talis ac tantus extitit in docendo, interpretando, & consulendo, vt omnibus Europæ Gymnasijs exoptatus à cunctis principibus inter sanctiora suarum aularum penetralia desideraretur. Nemo quippe illo æuo leges enucleauit elegantius, nemo promptius de ijs disceptauit, nemo difficultates enodauit efficacius, adeo vt à remotioribus orbis regionibus ad Marcum Mantuam audiendum traherentur mortales. Hunc Carolus V. Imperator ob præclaram virtutem, & famam tantis honoribus decorauit, quantis à Carolo IV. Bartolus Saxoferratensis ornatus fuerat. Serenissima quoque Respub. Veneta tanti viri gloriam suspiciens, eum supraordinarij titulo in Gymnasio Patauino ampliauit. Plurima inclytus iste vir vtilissima, ac eruditissima edidit ingenij monumenta, sed & quamplurima alia, in speciosissimo museo ab ipso maximo impendio extructo recondita, magna cum veneratione seruantur. Ingentibus impensis, & vix credendis supra priuatam fortunam ædem suam redegit in formam augustam, qua hodie spectatur. Occurrit in area miræ altitudinis colossus Herculeus, Bartholomęi Amanati Florentini sculptoris celeberrimi opus; spectaturque domus Dominici Campagnolæ elegantissimi pictoris manu, vndique picturis referta. Viridarium adiacet, primum Andreæ Mantuæ, deinde Gasparis Philosophiæ doctoris soceri mei studio & cura tam amplum, atque deliciosum, vt Pataiuij par ei nullum. Sed præcipue museum tot veterum imaginibus, signis, tabulis, toreumatibus, numismatibus, libris, alijsque antiquis operibus refertum, omni memoria summique viri genio dignum. vbi præcipua hæc monumenta.

Scard. lib. 11. Class. 9.

Scard. lib. 11. Class. 8.

1

In Veſtibulo ædium

C . PAPIRIVS

C . L.

SODALIS : SIBI

ET . ELONIÆ

L : L . MVRRÆ

VXSORI

V . F.

2

In Muſæo



1. PAPIRIVS] Inter patricias minorum gentium, Panuinius auctoritate Ciceronis nixus, hanc gentem recenſet: cuius rei teſtimonium exhibet ſingulare M. Papirius, qui eo anno, quo Reges eiecti, Pontifex erat, quæ patriciorum ſola erat dignitas. Habuit gens iſta conſules cognomine Mugillanum, Craſſum, Curſorem, Prætextatum, Maſonem, & Pætum. Plebeia etiam fuit, & ea conſularis, quæ conſulem cognomine Carbonem habuit. Vtraque vero eminuit, ſummiſque in vrbe honoribus floruit.

Panuin. de Antiq. Rom.

SODALIS] Huius cognominis ratio forſan apud Feſtum eſt. *Sodales dicti, quod vna ſederent, & eſſent: vel quod ex ſuo dapibus veſci ſoliti eſſent: vel quod inter ſe inuicem ſuaderent, quod vtile eſſet.*

Lit. S.

MVRRÆ] Legendum vt in monumento, non MVRRIAE, vt apud Gruterum, qui ex Knibij ſchedis ſaxum hoc in ædibus Patriarchæ Grimanni Venetijs fuiſſe notat; cuius forſitan munere Marcus Mantua id habuit, vel ab heredibus accepit.

Fol. 987. n. 14.

VXSORI] Ad hoc verbum ipſe Mantua in Æquilibrio Scholaſtico hæc obſeruat. *Scitu dignum eſt, licet ſic ſcribatur communiter, & in Pandectis Florentinis pariter, Vxores ſcilicet, me tamen literæ X aliam. S. addidiſſe. quoniam ſic ſcribebant veteres, tibique exemplum,* quo

L. Vxor ff. de his qui not. infam. in fine.

quo hoc ipsum elicias, antiqui lapidis sic inscripti subijcio, in vestibulo ædium mearum positi.

2. Vrna secundo loco exhibita pedem alta, ex marmore Pario elaborata conspicitur, ab ea tamen diuersa, quam Gruterus delineatam habet, quæ rectius vrnæ figulinæ speciem refert. Hæc amicitiæ testimonium præbet. Amica siquidem amicæ cineres haud dubie condidit. Quæ Gruteri quoque ætate penes Marcum Mantuam fuit; quum fortasse Venetijs viueret, nisi parum recte id e Kinibianis, & Pureanis schedis acceperit. *Fol. 891. num. 4.* *Grut. loc. cit.*

TERTVLLINÆ] Nisi hoc cognomen sit diminutiuum à Terta, quod antiquitus Nonij fide pro Tersa scribebatur, quid sibi velit mihi vtique ignotum est.

VETVLENA] Hanc gentem Romanam esse monumenta antiqua, quæ non vno in loco reperiuntur, suadent, sed præcipue illud Romæ in S. Saluatore. *Grut. fol. 894. n. 9.*

D : M
P : VETVLENVS . NARDVS
ET . VETVLENA . ALEXANDRIA
ET . P . VETVLENVS . SATVRNINVS
SIBI . ET . SVIS
L . L . P . E

DORCAS] Cognomen ab habitu corporis tractum: vel fortassis, quod hæc mulier similis esset Dorcadibus, quas ex Æliano Capras feras fuisse cognosco: scribens enim de capris feris fœminis, quę Copitæ mulieres Isidi sacrabant, eas δορκάδας appellat; Latine Damæ dicuntur, quæ sunt celerrimæ. Vnde Dorcas hæc mulier, quia forte velocissima; vel quia ad similitudinem caprarum ferarum corpore neruoso, & ligneo fuisset, vt ex Lucretio colligitur. *Histor. Animal. lib. 10. cap. 23.*

Cæsia, παλλάδιον: neruosa, & lignea, δορκάς: *De Rer. Nat. lib. 4.*

APVD

APVD GEORGIVM A TVRRE PATAVINVM MEDICVM ET BOTANICVM INSIGNEM.

Scard. lib. 1. Claſſ. 1. Porten. lib. 2. cap. 8. Itin. Ital. pars 1. Scard. ibi. Porten. lib. 9. c. 40. Porten. ibi.

VNdecimo ab vrbe lapide orientem verſus, in pago Pulueraria, gallinarum magnitudine ac præſtantia claro, ſacræ virgines ordinis Sancti Benedicti, quæ nunc in vrbe Omnium Sanctorum ædem habitant, inſigne cœnobium ſanctæ Agneti dicatum habuerunt, vſque ad annum Chriſti MDLXXXIX. Iſtæ, Cardinalis Frederici Cornelij Præſulis Patauini vigilantiſſimi auſpicijs, monaſterio prope Omnium Sanctorum templum à fundamentis extructo, V. idus Aprilis anni prædicti ex agro huc traſmigrarunt. Vbi cum altius terra pro fundamentis effoderetur, credibile eſt nonnulla monumenta inuenta fuiſſe. Moniales enim fatentur, quoſdam lapides figuris & literis ſculptos, paucis abhinc annis in fundamentis cuiuſdam ædificij ſepultos fuiſſe: e quibus hunc mutilum valde, in parietibus cœnobij ſeruatum, dono dederunt Georgio à Turre Medico ſuo, viro ingenio, virtute, moribus ſingulari, ita vt publice ſimplicium medicamentorum facultates in Gymnaſio docendi munus, & amœniſſimi viridarij medici Præfecturam bono publico egregie ſuſtineat. Is quemadmodum corpus, ita animum optime excultum habet; quod ſatis ſuperque demonſtrat domus ab ipſo empta ad S. Franciſcum paruum, pictutis vndique ſtatuiſque exornata; viridarium floribus diſtinctum rarioribus. Accedit ſanctioris eruditionis cognitio, Numiſmatum muſæum breui paratum; quorum notitia delectatus, deſiderium commonſtrat redimendi ab iniuria temporis antiqua monumenta. Quam etiam ob cauſam hoc primum à monialibus impetrauit, alterum ex pago Patauino Stratæ aduectum ſuis in ædibus locari curauit.

Quæ

I



1. Quæ in huius monumenti apice conſpiciuntur, fateor, non ita mihi liquido conſtare, an ſint militaria inſtrumenta, ſeu funerales faces; ſiquidem ſæuitia temporis certam horum cognitionem interuertit. Poterant enim eſſe, vel clypeus, & pila duo, militum Romanorum arma: Clypeus, quia ſchema, quod hic conſpicitur, à Parma, Cetra, Pelta, & Scuto forma diuerſum apparet; vel cum Clypeo clauæ duæ incendiariæ, de quibus Ammianus Marcellinus: *Barbarique, vt reparabiles ſemper & celeres, ingentes clauas in noſtros conycientes ambuſtas, mucroneſque acrius reſiſtentium pectoribus illidentes, ſiniſtrum cornu perruperunt* (ſi tamen harum clauarum apud Romanos vllus aliquando fuit vſus) vel faces illæ funebres, quibus ad ignem in pyris excitandum, mortuorum conſanguinei antiquitus vſi ſunt. *Hiſt. lib. 31.*

FIRMIO] FIRMIAE gentis antiquitatem, ac nobilitatem antiqua epigrammata ſatis ſuperque declarant; iſtamque claruiſſe multis in locis, ex inſculptis ſaxis patet. Hinc legitur Romæ in *Grut. fol. 169. n. 3.*

COH . II : VIG

C . IVLIO . QVINTILIANO . PR . VIG . M . FIRMIO

AMYNTIANO . S . FR . C . IVLIO . ANTIGONO . TRIB

Hinc Veronæ non vno in loco, tum mulierum, tum virorum gentis Firmiæ monumenta reperiuntur. Sed præcipue illius honores, nobilitatem, & conditionem duo hæc monumenta declarant: Soræ primum ad D. Restitutæ positum; Feltriæ alterum, ad læuam, qua Cathedrale templum aditur: ex quibus in nostris regionibus hanc excelluisse gentem liquet.

Pan. Antiq. Veron. lib. 8. fol. 232. 234. 235. Grut. fol. 409. n 9. Grut. ibi num. 8.

L . FIRMIO . L . F	C . FIRMIO . C . F
PRIM . PIL . TR . MIL	MENEN . RVFINO
IIII . VIR . I . D	EQ . PVB . LAVREN . LAV.
COLONIA . DEDVCTA	DEC . FLAMIN . PATRONO
PRIM . PONTIFICI	COLLEGIORVM . FABR
LEGIO . IIII . SORANA	CENT . DENDR . FELTRIÆ
HONORIS ET VIRTVTIS	ITEMQVE . BERVENS
CAVSSA	COLLEG
	FABR . ALTINATIVM
	PATRONO.

2. Saxum hoc frondibus in apice referium, iuuenis adhuc florenti ætate defuncti forsan signum, Scardeonij sæculo in ædibus Danielis Victurij Patricij Veneti, quinto ab vrbe lapide, in pago Stratæ obseruabatur. Ipsum tamen ex humili quadam domo, vbi pro scalæ gradu erat, ab obliuionis voracitate ereptum, Patauij suis in ædibus doctissimus iste vir æternitati donauit.

EVTYCHO] Nomen ex Græco tractum, quod idem ac FORTVNATO. Verum cum plerunque pro cognomine hoc nomen vsurpatum viderim, monumenti fracti status dubium me reddit, an sub D. M. inter quod, & illud EVTYCO, fractura videtur, aliud gentilicium nomen extiterit.

DEF. ANN. XXVIII] Scilicet DEFECIT vt aliquibus placet; vel, quod melius opinor, DEFVNCTO ANNO VIGESIMO OCTAVO.

CONVICTVS] Puto idem ac viuens, seu simul conuiuans aut vna conuersans intelligendum esse.

P.] Posuit.

In

In vltima columna lateritia porticus ad ædes

IVLII CÆSARIS DOTTORII.

DOttoria gens, antiqua, nobilis, clara, & numerosa Patauij fuit à multo tempore, qualis & nostro etiam existit. Ingentes ædes habuit per omnes ciuitatis regiones, & præcipue in vico, Sancti Francisci parui vulgariter appellato; quarum vnam, dum circa inscriptiones istas laboro, mirum in modum reparauit, ac summe ornauit Iulius Cæsar Dottorius, exquisiti vir ingenij, summoque mihi iunctus amore. Claruit hæc familia ob Antonium Franciscum, & Danielem Equitem, eximios iurisconsultos: quorum prior in Ferrariensi Gymnasio iurisprudentiam diligenter professus, à multis angustijs, & ærumnis magnopere vexatus, nunquam tamen depressus, tanta constantia & integritate polluit, vt potuerit eas additiones edere, quæ Panormitano Abbati, nec non Alexandris, Tartagno, & Imolensi, annexæ videntur. Alter vero ob animi integritatem, & præstantiam Anconæ & Florentiæ prætura honorificentissime fungi meruit. Prodijt ex eadem Alexander Philosophiæ, ac Medicinæ professor doctissimus, qui ad summa fuisset progressus, nisi immatura morte occubuisset. Sed nulli secundus, nulli æquiparandus, post Vincentium Philosophiæ doctorem, post Ludouicum, suauissimum mihi amicum, & Alexandrum Sancti Michaelis Equitem, hanc familiam illustrat hodie Carolus consanguineus meus, Hetruscæ Musæ cor, & delicium. Leguntur enim ipsius adhuc iuuenis ad Pindari exemplum odæ, tanto studio, eo numero, eruditione, Latinisque elegantijs refertæ, vt Pindarum, Anacreontem, Horatium, Statium, ceterosque huius ordinis Poetas in ipso reuixisse affirment doctiores. Itaque non immerito lauream æternitatis ipsi donauit Apollo, & Heliconides incolæ eum inter primos agnoscunt facile, & colunt. Huius ædibus illæ à Iulio Cæsare instauratæ, iunctæ obseruantur: vbi in columna lateritia porticus prope terram, rude marmor hoc refert monumentum.

Scard. lib. 2. Class. 8.

Portea. lib. 6. Cap. 5.

Scard. lib. 2. Class. 9.

ACONI . Q . F . FAB.
LABEONIS PO
LICIS VIXIT AN.
X V.

ACONI] Quamuis de Aconia gente nihil habeatur apud familiarum Romanarum ſcriptores : attamen eius nobilitatem , ac ſplendorem nonnulla antiqua monumenta abunde teſtantur. Apud Vulſinios monumentum habetur, ceteris omiſſis, de

Grut. fol. 385. n. 1.

L . ACONIO . CALLISTO . TRIB . MIL.
LEG . XIIII . G.M . SEV

Hanc poſt Conſtantinopolitanum imperium conſularem & clariſſimam obſeruo . Romæ ſiquidem in æde S. Apoſtolorum de Aconio Catullino V. C. & Conſule tale legitur monumentum.

Grut. fol. 309. n. 2.

FABIAE . ACONIAE . PAVLINAE . C . F
FILIAE . ACONII . CATVLINI . V . C
EX PRAEF . ET . CONSVLE . ORD. VXORI
VETTI . PRAETEXTATI . V . C . PRAEF.
ET . CONSVLIS . DESIGNATI . SACRATAE
APVD . ELEVSINAM . DEO . IACCHO . CE
RERI . ET . CORAE . SACRATAE . APVD . AE
GINAM . DEABVS . TAVROBOLITAE . ISI
ACAE . HIEROPHANTRIAE . DEAE . HECATE
GRAECO . SACRANEAE . DEAE . CERERIS

Verum in hoc monumentum cum incidiſſem, obſeruandum putaui, *Epigram. Antiq. Vrb.* Gruterum hoc ipſum ex Mazochio collegiſſe ; ſed idem multis in melius mutatis Beneuenti in Samnitibus ſitum ex Onuphrio Panuinio *Grut. fol. 309. n. 3.* addidiſſe ; nullo alio diſcrimine, niſi quod aptius , & magis rationi conſonum legatur . Panuinius tamen locum eiuſdem non deſignat, *Com. Faſtor. lib. 3.* ſed in Faſtis hæc profert. *Aco Fabius Catullinus Philonianus , & ipſe aliquando vrbis Romæ præfectus, de quo in antiqua inſcriptione mentio eſt ſic.*

FA-

FABIAE . ACONIAE . PAVLLINAE C . F
FILIAE . ACONIS . CATVLINI . V . C
EX . PRAEF . ET . CONSVLIS . ORDIN
VXORI . VETTI . PRAETEXTATI
V.C. PRAEF . ET . CONSVLIS . DESIGNATI
SACRATAE . APVD . ELEVSI
NAM . DEO . BACCHO . CERERI
ET . CORAE . SACRATAE . APVD
AEGYNAM . DEABVS . TAVROBOLI
TAE . ISIACAE . HIEROPHAN
TRIAE . DEAE . HECATAE
GRAECO . SACRATAE . DEAE
CERERIS.

In qua inſcriptione obſeruo quædam Gruterum addidiſſe, etiamſi profiteatur ex Onuphrio ſe eam collegiſſe, quæ tamen apud Panuinium non habentur; ſuntque:

SACRATAE . APVD . LAERNAM . DEO
LIBERO . ET . CERERI . ET . CORAE.

De Aconio Catullino, & de Fabia Aconia Paulina prætereà monumentum apud Gruterum ex Baronij Annalibus collectum legitur. Verum iſte Acon Catullinus ille eſt, quem ſic in Faſtis ſuis Caſſiodorus notat, *Grut. loc. cit. n. 4.*

LIMENIVS & CATVLLINVS.

quiq; in Faſtis Panuinianis anno Vrbis Conditæ MXI. Chriſti CCCXLIX. Fl. Valerij Conſtantis Imperatoris XIII ſic cum Limeniano deſignatur. *Faſtor. lib. 3.*

ACON FABIVS CATVLLINVS PHILONIANVS
.VLPIVS LIMENIANVS.

Acon vero noſter duo cognomina habuit, nempe Labeonis, & Policis. De Labeone iam dictum fuit. Policem vero à fortitudine nuncupatum credo; ad inſtar digiti pollicis in manu fortiſſimi.

IN AREA OPTATORVM.

PRope basilicam S. Sophiæ, quæ prima Patauij Cathedralis fuit, à Diuo Prosdocimo Diuinæ Sapientiæ dicata., ædes, quas honestissimi olim ciues Patauini à Vallibus nunc extincti possederunt, Optati, qui ex Neapolitano Regno sub Desiatorum cognomine Venetias trasmigrarunt, ac mutato cognomine, non autem significatu, Optati vocati sunt, suis vsibus emerunt, hodieque obtinent. Inter quos reticendi non sunt, Franciscus medicus sua ætate non vulgaris, & Io. Dominicus eius filius, Philosophiæ doctor, moribus, probitate doctrina, singularis. Isti in parietibus suæ areæ, hoc conseruant monumentum.

T . MVSTIO . C . F . FAB . HOSTILIO
FABRICIO . MEDVLLÆ . AVGVRINO
ALLECTO . INTER . TRIBVNICIOS . AB
IMP. NERVA . CÆSARE . AVGVST. PRAET
. . . . . . VR . AER . . PONTIFICI
. . . . D.

MVSTIO] Mustiam gentem Patauinam fuisse inde facile conijcere licet, quod de ea non vnicum monumentum Patauij occurrat: eamque non fuisse vulgarem saxum hoc satis superque meo iudicio declarat: ex qua fortassis emanauit Mustia gens, quæ nunc Venetijs inter Patricias summe claret.

HOSTILIO] Rarissime quatuor cognominibus vsos fuisse antiquos obseruat Panuinius; attamen T. Mustius iste forte quatuor cognominibus fuit nuncupatus. Primo namque Hostilius est dictus, & *Hostilios ab Hostijs* dictos Sigonius scribit, vt & Panuinius: Hostius vero, vt idem Panuinius ex Valerio notat, fuit *Prænomen eius, qui peregre apud hospitem natus esset*; vel vt idem cum Macrobio habet, *qui primus in hostico, id est in agro hostili procreatus esset*. Verum hoc vnum obseruatione dignum perpendo, raro gentilicia nomina ad vsum cognominum destinata fuisse: dummodo Mustius iste ex gente Hostilia prognatus non fuerit, ac in Mustiam adoptatus: quod certe affirmare non audeo; cum forma hæc dispositionis prænominis, nominis, & cognominum vnica sit, & penitus diuersa à quacumque earum,

De Nom. Antiq.
De Nom. Rom.
Loc. cit.

earum ; quas accurate tradit Panuinius ab antiquis vsitatas.

FARBICIO] Circa hanc vocem, quæ certe cognomen est, hæreo, nisi à fabrefacio deductum fortasse sit, cum & Fabricensis apud Hadrianum Iunium legam, quod ex codice Theodosiano desumptum fatetur. Vnde primo, cui hoc cognomen inditum, *vel armorum imperialis aulæ incumbebat cura fabricandorum*; vel forsan alicuius fabricæ præfectura.

MEDVLLÆ] Quod certe cognomen est forsitan ab vrbe Medullia Latinæ ditionis tractum. Nam aliquando cognomina desumi, vel à loco, vbi quis natus erat, aut vnde commigrauerat, vel ab vrbe aut regione deuicta, Panuinius tradit. Medulliæ autem meminit Liuius. *Postremo omni bello Latino Medulliam compulso, aliquandiu ibi Marte incerto, varia victoria pugnatum est: nam & vrbs tuta monitionibus præsidioque firmata valido erat.* Et paulo post eodem libro: *Tarquinius triumphans Romam rediit, inde priscis Latini bellum fecit, vbi nusquam ad vniuersæ rei dimicationem ventum est. ad singula oppida circumferendo arma, nomen omne Latinum domuit. Corniculum, Ficulnea vetus, Carneria, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum oppida capta.* Vnde ex Medullia etiam Medullini cognomen deriuatum, mihi persuadent cognomina Macedonici, Ballearici, Gabinij, & alia similia à Romanis frequentissime vsurpata. Hist. lib. 1.

AVGVRINO] Augurini cognomen primo à Minutia gente originem habuisse, *ab insigni aliqua re, vel in Flaminio, vel in Auguratu gestæ*, Sigonius docet. Verum etsi Minutij Augurini vt plurimum nominabantur, attamen alios Agurinos etiam cognominatos esse, extra Minuciam gentem, minime inconueniens opinor. De Nom. Rom.

ALLECTO INTER TRIBVNICIOS] Allecti ab adlectis nihil discrepant. Adlecti vero, vt iam liquet, illi erant, qui propter inopiam virorum ex equestri ordine in Senatorum numerum adsumebantur. Vnde ab hoc ordine forte Mastius iste adlectus inter Tribunicios fuit ab Imperatore Nerua.

PONTIFICI] *Pontifices, vt Q. Scæuola Pontifex Maximus dicebat, à posse, & facere. pontifices ego à ponte arbitror: nam ab iis sublicius est factus primum, & restitutus sæpe; cum ideo sacra, & vls, & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Ita docet Varro, cui subscribit Halicarnasseus. Pontificem Numa instituit, *eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostijs, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent*, & vt cuncta vno verbo comprehendam, *omnia publica priuataque sacra Pontificis scitis subiecit.* Vnde & Lucanus. De Ling. Lat. lib. 4. Antiq. Rom. lib. 2. Liu. Hist. lib. 1. Pharsal. lib. 1.

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus Vrbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia Lustro,

Lon-

Longa per externos pomaria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.

Pontificis nomen omnibus quidem sacerdotibus commune fuit, sed Pontifex Maximus ille erat solus, qui prima & summa reuerentia colebatur. Vnde postquam Augustus Pontificatum Maximum adeptus est, omnes Imperatores summam hanc dignitatem sibi vsurparunt; prout manifeste antiquæ inscriptiones ostendunt. Pontifices ex Patribus primo omnes lecti fuerunt, omnique maiori conatu Patres plebi obstiterunt, ne religionis recondita mysteria, quæ Pontificum curæ commissa erant, plebi aperirentur: propterea vsque ad illa tempora, quibus A. Attilius Calatinus primus Dictator extra Italiam exercitum duxit (quod anno ab V. C. DX circiter factum) e plebe primus Pontifex Maximus creatus fuit T. Corruncanius; inde modo ex plebe, modo ex Patribus viri Pontificatum Maximum assumpserunt. At qui plura de Pontificibus veterum, ac de eorum iure desiderat, consulat eruditissimum, omnique gloria dignum Iacobum Gutherum, qui de hoc elegantissimum opus concinnauit: vbi ad satietatem omnia, quæ ad Pontifices pertinent, diligenter atque exquisite inueniet.

Liu. Hist. lib. 1.

Pan. Cōment. in prim. Fast.

In

IN ÆDIBVS NOBILIVM VENETORVM DE PRIOLIS.

INter Venetas familias illustrissima emicat Priolorum, quorum, duæ ædes satis commodæ e regione Optatorum conspiciuntur: vna quidem ampla & pulcherrima; altera non item, quæ se offert versus pontem Altinatem, in cuius area rude saxum cum hoc epitaphio in pariete repositum lustratur.

LOC : SEP.
C . FVLVI
DIONYS
IN . FRO.
PED . XXX
IN . AGRV
PED : XXX

FVLVI] Fuluiam Plebeiam gentem varijs Consulibus decoratam obseruo, quorum cognomina in fastis ista habentur: Pætus, Pætinus, Nobilior, Flaccus, Curuus, Centumalus, Maximus, Gillo. Huius gentis nomen à cognomine deductum Panuinius docet: aliquis enim qui Fuluus fuit, Fuluij cognomen posteris videtur reliquisse.

DIONYS.] Hoc est DIONYSII. Quod cognomen vel à colore desumptum puto, eo quod ita nuncupatus colorem habuerit Dionysiæ gemmæ, de qua sic Plinius: *Dionysias nigra & dura mixtis rubentibus maculis: ex aqua trita saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur*: vel Dionysij cognomen erat illorum, quibus circa tempora tubercula nascebantur, qui auctore Brunfelsio in suo Onomastico Medico Dionysiaci vocabantur. *De Antiq. Nom.* *Hist. Natur. lib. 37. cap. 10.*

In ædibus, quas nunc Clariſsimus

OCTAVIVS FERRARIVS

habitat.

In vico Omnium Sanctorum ædes tenet politiſsimus iſte vir, vbi in primo gradu ſcalæ legitur

VENVSTA


quod forſan libertæ nomen.

PENES IOANNEM DE LAZARA EQVITEM SANCTI STEPHANI, COMITEMQVE S. IOANNIS DE PALVDE.

E Regione noſtrarum ædium, in vico Sancti Franciſci Magni vocato, Comitum de Lazara, gentis Patauij ſanguine ac viris claræ, amplæ exurgunt ædes, in hanc formam redactæ à Ioanne de Lazara, Diui Iacobi Equite, ob inſignem fortitudinem armorumque gloriam celebrato, principibuſque ſemper dilecto. Nobiliſſima hæc familia virorum literis, & armis illuſtrium ita ferax fuit, vt me deficeret tempus in eis recenſendis, quamuis nec vnquam ſatis cunctorum virtutes & facinora narrando expreſſurus eſſem. Certum meæ veritatis teſtimonium exhibeat amplum volumen, quod de proſapia Dominorum de Lazara Etruſca lingua anno ſuperiore typis mandauit Ioannes Raſſinus; in quo amicus lector quot, ac quales omni æuo in hac familia floruerint viri, abunde cognoſcet. Sat itaque ſit mihi hoc loco indicare, e nobiliſſimo patre Comite Nicolao motum ſuauitate ac elegantia ſingulari, Comitem Ioannem fulgere, iuuenem omni virtutum genere ornatiſſimum, ſed in antiquitatibus præſertim ita verſatum, vt iam muſæum egregie diſpoſitum habeat tum monumentis, tum numiſmatibus locupletiſſimum: inter quæ hæc ſigna obſeruantur.

LIO-


I




II




III



IV



V



Gio Georg. fecit.

DE quatuor iſtis æneis ex vtraq; parte ad viuum delineatis ſignis viri docti ſententiam ferant, num ad teſſerarum, vel ſigillorum vſum adhibita fuerint: nam hoc mihi non ſatis conſtare affirmo. Teſſeras enim non fuiſſe, ſuadent tum propria nomina, quæ in ijs raro aut nunquam, exceptis Imperatorum, Deorum, Auguſtarumque teſſeris, deprehenduntur; tum materia, ex qua illæ formatæ videntur, quæ vt plurimum lignea fuit; itemque ſemicirculi, qui annulorum adinſtar in horum parte auerſa conſpiciuntur. Ne vero ſigilla eſſe ſuſpicer, facit tum forma, quæ ſigillorum normam excedit; tum materia, quandoquidem non æs, ſed gemmæ huic muneri inſeruiebant, quæ auro, aut argento incluſæ ad inſtar annulorum in digitis ferebantur: prout fuſe in ſuo eruditiſſimo *De Annulis Antiquorum* doctiſſimus Fortunius Licetus Genuenſis, in Patauino Gymnaſio Theoricus primæ ſedis, vir doctrina ac eruditione clariſſimus, ac à me ſemper ſupremo honore cultus docet. Niſi dicatur fortaſſis non ad ſigillo muniendas literas, ſed ad imprimenda alia ſigna in aliqua re ſolida, vt in ligno, hæc fuiſſe vſurpata: prout & noſtro æuo ſigilla illa, in quibus literæ, aut inſignia habentur, igne candefacta, vel ligno, vel equis imprimuntur: vulgo *il Marchio*. Et quid ni vſus eorum eſſe potuit ad nomina imprimenda in lateritijs lapidibus? vt antiquæ tegulæ aperiunt, in quibus ſæpe ſæpius nomina impreſſa obſeruantur.

De Antiq. Nom. 2. SVLPICI] Sulpiciam gentem ex Latinis ortam inter Patricias minorum gentium Panuinius refert: Vrſinus vero eandem Patriciam, *De Famil. Rom. in gēt. Sulpic. fol. 255.* Plebeiam, & Equeſtrem facit; ſubditque, quod huius generis Patricij Galbæ, Equeſtres Rufi ſint cognominati: ſed de Plebeia nihil habet, niſi pro plebeia intellexerit illam, quæ Lauinij, vt ipſemet monet, ſeu *Annal. lib. 3.* Lanuuij, vt in quibuſdam lego, domicilium habuit: de qua, vt & idem obſeruat, ſic Tacitus. *Sub idem tempus vt mors Sulpicij Quirini publicis exequijs frequentaretur, petiuit à Senatu. Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium* *In Gent. Sulpic.* *Lanuuium*. Circa quæ verba, cum Vrſinus Lauinium ſcribat, dicendo, *paſsim autem à librarijs in eo erratur, vt pro Lauinio ſcribant Laniuium, & pro Laniuio, Lauinium*, obſeruatu opportunum duxi, Lanuuium à Lauinio diſtinctum fuiſſe; vt fuſe Sigonius ad octauum Liuij. Propterea Sulpicium Quirinum ex municipio Lanuuio opinor, cum ex ijs, quæ de Lanuuij, & Lauinij diſcrimine colligit Sigonius, intelligatur Lauinium Coloniam, Lanuuium municipium fuiſſe. Quod optime cum Tacito conſentire videtur, qui Sulpicium Quirinum e municipio Lanuuio oriundum dixit. Vnde forſan melius apud Vrſinum pro Lauinio, Lanuuio legendum mihi perſuadeo. Ceterum

Patri-

Patricia Sulpiciorum gens exceptis consulibus, Seruium Sulpicium Galbam Imperatorem habuit; & Equestris P. Sulpicium Rufum I. C. egregium, qui Romæ publicum monumenti locum meruit.

ACHILLIS] L. Sicinium Dentatum ob ingentem fortitudinem appellatum fuisse Achillem Romanum, auctor est Gellius. Vnde ex hoc vlterius cognomen Achillis propagatum ostendit Sigonius: idque in numero eorum esse, quæ à virtute, & moribus desumebantur, ibidem declarat. Cum quo & Panuinius consentit; & Seruius ad illud Virgilij

Noct. Attic. lib. 2. cap. 11. *De Nom. Rom.* *Eclog. 3.*

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola

notat: *Hic pastor habuit duo cognomina (nam supra eum Menalcam dixit) aut certe Iolam eum quasi pastorem optimum appellauit à quodam pastore nobilissimo: sicut virum fortem plerumque Achillem: adulterum, Parim vocamus.*

IN ÆDIBVS PAPAFAVIORVM.

IN hoc eodem vico, e regione Valetudinarij D. Franciſci nobiliſſima Papafauiorum gens ædes inſignes lataſque poſſidet. Hæc familia tum auito ſplendore, qui ſumme in hac ciuitate emicuit, tum etiam viris, qui continuatis temporibus eam condecorarunt, ita refulget, vt merito Parauij nulli ſecunda habeatur. Omitto egregios ſpectatæque virtutis ac nobilitatis huius inſignis familiæ viros, quorum me laudibus imparem agnoſco. Abunde ſiquidem mihi erit Roberti Sancti Michaelis Equitis nobiliſſimi prolem recenſere; nam ex hoc vngue Papafauiorum cognoſcetur Leo. Fuerunt itaque tanti viri multis honoribus decorati filij, Marſilius Diui Marci Eques, Vbertinus Epiſcopus Adriæ, Scipio Hyeroſolimitanæ religionis Eques Meſſanæque Prior illuſtriſſimus, XVII Ianuarij MDCLI acerba morte ſublatus, heu nimis cito! cum veloci pede ad ſupremum ſuæ religionis apicem properaſſet: Bonifacius Mantuæ Eques, vir omni memoria dignus, cum ob morum præſtantiam, tum ob ſelectiſſimam ſobolem, quæ non tantum familiæ ſed patriæ etiam eſt decus eximium. In hac cenſetur Robertus Abbas, Latinæ ac Græcæ linguæ peritiſſimus, admodum iuuenis triplici laurea, Philoſophica, Theologica, ac Legum redimitus, & Mathematum non vulgari cognitione inſtructus. Emicant eius ornatiſſimæ atq; amœnioribus literis addictiſſimæ filiæ, Æmilia, Angela, Beatrix, Iſabella: quarum tres priores nobiliſſimis viris, Traiano Borromeo, Alexandro Zacco, Marco Cittadellæ fuere deſponſatæ; altera Deo ſacrata. Sciunt nobiliſſimæ iſtæ mulieres non tantum Parnaſſi ſemitas concinne premere, ſed exquiſita etiam eruditione pollent, ac ſpeculatiuis diſciplinis apprime valent, vt in ſacra philoſophiæ adyta apte ac feliciter penetrarint omnium cum ſtupore. Et ne quid temporis ijs pereat, Æmilia, ac Beatrix ita pingendi artem poſſident, vt earum opera ab huius artis peritis ſupreme probentur ac laudentur. Sed qui plura de hac nobiliſſima gente, quæ illuſtrium virorum feraciſsima ſemper vixit, deſiderat, intueatur Iacobum Equitem Hyeroſolimitanum, Leonellum, Bonifacium, & Iacobum Leonelli filium, iuris peritiſsimos; Marſilium Philoſophiæ Doctorem; & Marſiliettum politiorum literarum ſuauiſsimum poſſeſſorem. Verum vt eo redeam, vnde tantæ familiæ me auocauit gloria, Robertus Abbas ornatiſsimus, vir antiquitatum venerationi deditiſsimus, hanc tegulam, quam delineatam exhibeo, diligenter cuſtodit.

Tegu-



Tegula hæc alta pedes duos, vnum cum dimidio lata, anno salutis MDCL. in Vico Agnæ, vbi antiquitus castrum erat, & via Adriam versus patebat, eruta fuit in latifundijs, quæ ampla ibi Papafauia gens possidet; & vbi innumera quotidie reperiuntur antiquitatis vestigia, argumenta loci prisca ætate non vilis.

Tegula inter sepulti hominis signa recensetur, teste Manutio: *Signum hominis sepulti non vnum fuit; nam lapis, & tegula, & cespes, & tumulus, & cippus sepulturæ locum indicabant.* Propterea Ouidius eo tempore, quo mortuis inferiæ celebrabantur, locum sepulchri designans cecinit: *De Legibus Rom.*

Tegula porrectis satis est velata coronis. *Fastor. lib. 2.*

Tegulis autem figulus nomen suum inscribere solebat; vt Gulielmus Philander ad illa Vitruuij verba, *fiunt autem laterum genera tria*, abunde, ac erudite declarat. *Animaduerti Romæ, & extra vrbem in veterum monumentis, tribus his laterum generibus non fuisse contentos, sed pro commoditate, aut gratia maioribus minoribusue esse vsos. Extra portam Latinam in vinea Ioannis Mileti Trecensis vidi refossas tegulas latas quaquauersus pedes duos sesuncem, altas duos, & trientem cum hac inscriptione.* *lib. 2. cap. 4.*

TEG . C . COSCONI
FIG . ASINI . POLL.

Hic

Hic nomen figuli conſpicitur, quod non æque in omnibus tegulis deprehendi credo, vt ſuo loco videbimus. Siquidem apud me cuſtoditur tegula, in qua SERVILIA legitur, vox quæ cum figulo nullam habet affinitatem, cum potius nomen familiæ, ſeu fœminæ cuiuſdam indicet.

Obſeruo autem in figulinis lapidibus, antequam igni concederentur, nomina vt plurimum imprimi ſolita fuiſſe. Verum in iſta nomen non impreſſum, ſed recenti teſtæ inſcriptum aduertitur.

IN VESTIBVLO ÆDIVM DE ZABARELLIS

Vulgo Dalla Pietra.

POst Papafauiorum ædes, omnes quæ ſequuntur, nobiliſſimæ ſunt gentis de Zabarellis, de qua iam diximus. In hoc enim vico maiores ipſorum habitarunt; cuius rei teſtimonium exhibet domus illa, ante cuius portam quadratæ menſæ inſtar exurgit petra, quæ hucuſque, vt & ceteræ antiquiores noſtræ ciuitatis ædes, vetuſtiſſimam turrim habet; in cuius parietibus, qui in veſtibulo ex marmoreis & quidem vaſtis lapidibus conſtructi ſunt, hoc monumenti fragmentum prope terram inuerſe poſitum habetur.

. . . . ALE
. . . . TITI
. . . . . PRA . . . IIII VIR . I . D.
PVBLICVS LOCVS PONITVR
SIBI POSTERISQVE EIVS
IN . FRONT . P. XXXX . RETR . P . XXXX

PVBLICVS LOCVS PONITVR] Quod honoris gratia à Decurionibus concedebatur in municipijs & colonijs, non ſecus ac Romæ à Conſulibus

APVD VIRVM CL. IOANNEM RHODIVM DANVM.

IN vico, cui communiter nomen eſt à puteo picto, ſingularis hic noſter amicus, exacta in celeberrimis Germaniæ, Belgij, Scotiæ, Angliæ, Galliæ, atque Italiæ Academijs ætate iuuenili, relictis patriæ commodis atque honoribus, Patauij ſummorum virorum neceſſitudine delectatus, aliquot iam annis ſedem fixit. Hic ille non tam ſuis, quam aliorum etiam commodis aduigilans, rem literariam promouere laborat, medicis præcipue veteribus priſtino nitori reſtituendis deditus. Quam in rem rariores libros calamo ſcriptos publico aliquando communicandos, nummos antiquos, aliaque vetuſtati lucem allatura, non mediocri ſtudio parauit. Inter iſta binas haſce teſſeras ſibi caras habet.



1. Vtramque amicus lector in elaboratiſſimo opere de Teſſeris Cl. Epiſcopi Tomaſini obſeruare ac expendere poterit. Primam ex ipſo colligo in numero teſſerarum ciuicarum ponendam, dari ſolitam non tantum dignitatum titulis, verum etiam ſingulorum meritis. Hanc ex gypſo compactam deprehendere licet, vtrinque ANTONINI AVG. nomine inſcripto, ea magnitudine, quæ & delineata exhibetur. *De Donar. cap. 16.*

2. De ſecunda autem teſſera Tomaſinus hæc ſcribit: *Huc faciunt teſſeræ ſpectaculis deſtinatæ, cuiuſmodi elegantiſsimam vidimus ex oſſe teſſeram apud Ioannem Rhodium, quam ad ludum gladiatorium excogitatam ſignificat fuſcina cum palma, cui* *Loco cit.*

ſeruile

seruile nomen gladiatoris iam rude donati , verius ad spectaculum , quam ad pugnandum conducti , esse inscriptum , loquitur res ipsa .

PHILOMVSVS PERELI

aduersa parte

SPECTAVIT.

Sed quid ni dicendum etiam tesseram istam forte propriam illorum gladiatorum fuisse, qui Retiarij vocati erant ? arma enim illorum extiterunt rete & fuscina seu tridens, qualis in hac tessera delineatus apparet ; vtque vere mirabilissimus Lipsius fuse notat ad hos Iuuenalis versus . *Saturnal. Serm. lib. 2. Cap. 8. Satyra.*

——————— & illic
Dedecus vrbis habes, nec Mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina
(Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit)
Nec galea frontem abscondit, mouet ecce tridentem,
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena .

PROPE GYMNASIVM.

NObilis & antiqua Patauij familia de Dondis ab Horologio nomen accepit, ob Iacobum Medicum & Mathematicum inſignem, auctorem horologij, quod in turri palatij præfectitij eminet. Is enim inuenit opus illud admirandum, in quo cum diei ac noctis horæ, tum annui ſolis curſus per duodecim ſigna Zodiaci, & lunæ menſtrui aſpectus obſeruantur. Filios habuit duos, doctiſſimos medicos: quorum vnus Ioannes S. Mathematicus etiam inſignis Franciſco Petrarchæ ſumma neceſſitudine erat iunctus; alter vero Gabriel dictus Venetijs medicinam ita præclare exercuit, vt eximijs reportatis præmijs ab omnibus alter Hippocrates nuncuparetur. Gens hæc Patauij adhuc, viris, honoribus, opibuſque conſpicua, ac ferme vnica floret. Inter plures, qui hac ætate in ea illuſtres apparent, minime omittendum cenſeo Gaſparem, moribus, benignitate, prudentia, ac in publicis gerendis negotijs dexteritate inclytum. Inter diuerſas vero, quas hæc gens ædes poſſidet, exiſtunt illæ, quæ nunc piſtori dulciario locatæ ſunt: vbi ex duabus atis prope portam columna conſpicitur, hiſce titulis nobilitata.

Scard. lib. 2. Claſſ. 9.

Ibidem.

ATIA



ATIA] Atia gens pro diuersa scribendi ratione varia est: modo enim ATIA, modo ATTIA, modo ACTIA scribitur. ATIAM gentem ab Ati Troiano traxisse originem Panuinius docet; eam tamen plebeiam facit, nec vltra præturam alios honores Romæ obtinuisse fatetur. Ex hac ipsa Atiam Augusti matrem natam esse, notat *De Antiq. Rom.* Seruius ad illud Virgilij: *Aeneid. lib.5.*

Alter Atis, genus vnde Atij dixere Latini.

Quod Panuinius de hac gente in gratiam Augusti à Virgilio prolatum opinatur. ATTIA vero gemino. T. scripta inter patricias *Loco prædict.* maiorum gentium recensetur ab eodem Panuinio; vti ACTIA inter plebeias. *Ibid.*

SICINIO] Siciniam gentem Romæ plebeiam fuiſſe, ex Liuio
Hiſt.lib.2. conſtat, qui demonſtrat, plebem *Sicinio quodam auctore iniuſſu Conſulum in ſacrum montem ſeceſsiſſe trans Anienem amnem*. Conſules hæc gens habuit Dentatorum & Bellutorum cognomine: & hoc quidem poſterius ei peculiare ac faſtoſum exiſtimo, cum Sicinius
Dionyſ. Antiq. ille ſeceſſus auctor Belluti cognomen primus meruerit.

Rom. lib. 6. H. L. ET. M. H. N. S.] Quæ notæ ſonant: HVNC LOCVM ET MONVMENTVM HEREDES NON SEQVVNTVR.

DIS PENATIBVS] Aduerſa huius inſcriptionis pars informiter ſculpta demonſtrat hanc aram DIS PENATIBVS pro ſui & mariti tuitione dicaſſe C. ATIAM. Nimirum monumenta ferme omnia diuerſorum numinum tutelæ commendata obſeruantur.

Verum de Penatibus eorumque ratione, varia eruditorum, tum priſcorum, cum recentiorum mens eſt. Halicarnaſſeus ſe vidiſſe fatetur, *Romæ templum non procul à foro ſitum (in eo viæ compendio quod*
Antiq. Rom. lib. 1. *fert ad Carinas) non magnum, & propter ædificia circumcirca extructa valde obſcurum: & propria regionis illius lingua locus is ſuboliuis vocatur. In hoc autem loco poſitæ ſunt Troianorum Deorum imagines, quas quis cernere poteſt cum inſcriptione*, DENATES, *quæ penates ſignificat. Priſci enim homines quum. P. nondum eſſet inuentum, huius literæ vim per literam. D. mihi videntur expreſsiſſe. Sunt autem duo iuuenes ſedentes cum haſtis, quas ſeorſum alter ab altero tenet, artificij antiqui opus. Multas etiam alias horum Deorum imagines in antiquis templis conſpeximus: & in omnibus apparent duo iuuenes habitu cultuque militari.*

Saturnal. lib.3.Cap.4. Macrobius ex Nigidio & Cornelio Labeone Penates dicit eſſe Neptunum & Apollinem, qui cum Troiæ muros feciſſe dicantur, ab Ænea in Italiam aduecti fuere. Quod videtur concordare cum illo Maronis:

Aeneid. lib.5.

Sic fatus, meritos aris mactabat honores:
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Seruius ad illud Mantuani vatis,

Aeneid. lib.1.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte penates
Claſſe vebo mecum ————

ex Varrone notat, fuiſſe *Deos Penates quædam ſigilla lignea, vel*
Aeneid. lib.3. *marmorea, ab Ænea in Italiam aduecta*. Et ad hæc

Littora tum patriæ lachrimans, portuſque relinquo,
Et campos vbi Troia fuit, feror exul in altum
Cum ſocijs, natoque, penatibus, & magnis Dijs

Alij

Alij (ait) *deos magnos cælum & terram putant, ac per hæc Iouem & Iunonem. Dij Penates à Samothracia sublati, ab Ænea in Italiam aduecti sunt.* Et mox: *qui ideo Penates appellantur, quod in penetralibus ædium cæli sedeant, nam & ipsum penetral penus dicitur, vt hodie quoque penus Vestæ claudi, vel aperiri dicitur.* Seruius ex Biblioth. Petr. Danïel. I.C.

In tam vario igitur Deorum Penatium discrimine, proprie Penates cum Macrobio esse opinor, *per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus.* Saturnal. lib.3. Cap.4.

Monumentum hoc illud ipsum credo, quod à Scardeonio, Grutero, & Petro Seruio in vico Aponi fuisse memoratur hac forma. Lib.1.Class. 4.fol.61. Fol. 759. num. 4. & fol.768.n.6. Iuuenil. Fer.

C . ATIA C . F.
PRIMA SIBI
ET : Q . SICINIO M'
F . VIRO SVO
V . F.
IN . FRONTE
P : XX
H : L : ET : M.
H . N : S.
DIS PENTIBVS

Quod Pignorius quoque aduertit, quando à Grutero id geminatum monuit. In Origin. Patau. cap. 10.

MO-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO V.

REGIO QVARTA PONTIS TVRRICELLARVM.

EI ciuitatis parti, quæ auſtrum verſus protenditur, ac quartam ciuitatis noſtræ regionem conſtituit, Pontis Turricellarum eſt nomen. Huic imminentem turrim anno ſalutis MCCX. Patauina ciuitas erexit, Prætore Iacobo Arderio Placentino; quemadmodum teſtantur Ioannis Valdetari poetæ illa ætate non vulgaris carmina, ſupra Turricellarum portam in marmorea tabula ſculpta, quæ ſic hodie etiam viſuntur.


VRBE PLACENTINA IACOBVS VIR NOBILIS ORTVS
ARDERII GENERIS, MERITO PATAVINA POTESTAS
MILLE DVCENTA DECEM CHRISTO POST SAECVLA NATO
MVRIS ET PORTA PADVAM DECORAVIT AB AVSTRO.
VOS ANTENORIDE SI TVTI VVLTIS AB HOSTE
ESSE FORIS MVRO! PAX VOS LIGET INTVS AMORIS.
ARBOREIS FRVSTRA PETITVR SVB FRONDIBVS VMBRA,
INTERIVS MORBVS SI VISCERA TORRET ACVTVS.
NE PEREANT IGITVR LABOR ATQVE IMPENDIA MVRI,
CONSILIVM VATIS VESTRI SERVATE IOANNIS.

QVAR-

QVARTA REGIO

APVD PASINOS

PAsina gens inter Patauinos ciues honestum habens locum ædes possidet in vico Sanctæ Iulianæ. Ex ea Ludouicus medicus eximius excelluit, quique medicinam non tantum in patria, quam alibi tanta doctrinæ laude docuit, vt inter primos suæ ætatis medicos meruerit enumerari. Antiquitatum præterea diligentissimus cultor musæum non vulgare extruxit, atque hoc monumentum in parietibus areæ reponi curauit.



PERPERNIA] Perperniæ gentis quamuis apud familiarum veterum scriptores nulla sit memoria, eius tamen antiquitatem varia monumenta testantur, ac inter cetera e Sirmondianis in Gruteri opere istud legitur. Fol. 1117. num. 10.

D : M
M : PERPERNIVS
ZMARAGDVS
MARTIALI . MA
GISTRO SVO
STRVCTORI , B : M

FAVOR] Cognomen hoc relatum ad ingenium, gratiam, elegantiam, ac plauſum, Ioannis Gronouij fide obſeruo; vt ipſe de Archimimo, qui Fauor erat appellatus, in funere Veſpaſiani perſonam repræſentante tradit; additque in alia inſcriptione idem eſſe fœminæ nomen.

Not. in Sueton. ad Caput. 19. in Veſpaſ.

PHILONI] Cognomen hoc à Græco φιλῶν, quod amantem ſignificat, & eſt participium præſentis temporis à verbo φιλέω, tractum eſſe non ambigo: complura enim eiuſmodi à Græcis mutuata nomina paſſim in monumentis offenduntur. Quod autem Philoni pro Philonti exaratum ſit, ſculptoris forte imperitiæ admetiendum eſſe cenſeo.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol 75.
Fol. 988. num. 1.

Non PERPENIA, vt in Scardeonio; nec PERPENNA, vt in Grutero, ſed PERPERNIA, vt in monumento legendum eſt: nec PERPENNAE, vt in ſupra dictis; ſed PERPERNAE, vt habet ſaxum.

IN ÆDIBVS CORRADENIS.

SVperato Turricellarum ponte S. Danielem versus Corradenæ familiæ Patauinæ occurrunt ædes. Hanc summe illustrauit Aloysius Iurisconsultus & orator sui æui primus, qui antiquitatum inter cetera peritissimus nulli in eis colligendis pepercit impensæ: vnde numismatum, monumentorum, aliarumque antiquitatem redolentium rerum exquisitam collegit supellectilem, & monumenta hic inferius annotata elegantissimo ordine suis in ædibus disposuit. Egregij patris vestigia valido pede pressere Bonacursius medicus non vulgaris, iuuenis admodum pestis sæuitia anno salutis MDCXXXI. sublatus; Hercules Mathematicis deditus, qui in castris Hispanis ad Vercellas nimis præmatura suis morte occubuit: sed præcipue suauissimus nec vnquam obliterandus amicus & condiscipulus meus Andreas, itidem Philosophus & medicus eruditissimus, qui adolescens admodum, & secundam philosophiæ cathedram extraordinariam in patrio Gymnasio magno cum plausu regens, & ægrotorum curam felicibus auspicijs exercens (pro dolor) acerbe nimis anno suæ ætatis trigesimo, Christi sexcentesimo quadragesimo octauo supra millesimum, vitam sed nominis gloriam non amisit. Solus superest e fratribus Nicolaus vir morum comitate ac rerum notitia singularis, qui & numismata, & sequentia hæc monumenta sedulo custodit.

I



II

IMPVNE. HINC CEREREM
SVMAS. IMPVNE.
LYEVM.
INTACTAS. HABEAT.
DVM. MEA. LAVRVS
OPES

III

SEX. POMPEIVS. SEX. F.
PRAE F. I. D. PRAEF. FABR. BIS
AVGVR SIBI ET
TVLLIAE. SEX. F. SEVERAE VXORI
ET SEVERAE. FILIAE. ANNOR. XX

Io. Georgi fecit.


XX
ΕΥΤΥΧΟϹ
ΑϹΚΛΑΠΩΝ· ΟϹΑ· ΙΧΩΝΕΥϹ
ΜΙΟΤΑΜΙ· ΜΑΛΕΥΚΙΟΥ· ΕΧΑΖΗΝΙ.

2. De ſecundæ inſcriptionis conditione alibi dicam: nam ſuppoſititiam cognoſco, hicque non mea voluntate, ſed amici cuiuſdam, qui me inſcio inciſori deſignandam dedit, repoſita fuit.

3. SEX. POMPEIVS] Is forſan cum L. Cornificio L. filio Conſulatum tenuit, anno V. C. DCCXIX. Hunc alienum à familia Magni Pompei credendum reor; tum quia non eſt cognominibus Strabonis & Magni vſus, illius familiæ proprijs, ſed nullo omnino; tum quia filium Sexti Pompei Gn. F. Magni eſſe non credo, cum Sextus Pompeius iſto, de quo in monumento, prius conſul fuerit. Sextus enim Pompeius Magni filius, cum anno ab V. C. DCCXXI, Conſul deſignatus fuiſſet, ante conſulatum initum hoſtis reipub. iudicatus, occiſus fuit: eoque tempore teſte Velleio Patetculo, *hic adoleſcens erat, ſtudijs rudis, ſermone barbarus, impetu ſtrenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri diſsimillimus*. Addo Sextum iſtum, cui hoc erectum eſt monumentum, minime infenſum Auguſto fuiſſe; quod mihi perſuadet filius eius, qui Conſul fuit eo anno, quo Auguſtus obijt, Tranquilli monitu. *Obijt in cubiculo eodem quo pater Octauius: duobus Sextis, Pompeio & Apuleio, Conſulibus*. Qui quidem Sextus in Faſtis ſic deſignatur.

Faſtor. lib. 2. *Ibid.* *Hiſt. lib. 2.* *In Auguſt. Cap. 100.* *Faſtor. lib. 2.*

SEX. POMPEIVS. SEX. F. SEX. NEPOS.

BIS] Huius monumenti antiquitatem vox iſta mihi ſuſpectam reddit: nam antiqui non BIS ſed iterum ſcribere ſolitos obſeruo. Non enim BIS Conſul, ſed ITERVM Conſul paſſim in Faſtis & monumentis, & apud Liuium infinitis in locis lego. Sic L. Æimilius iterum, T. M. Mamercus Æimilius Dictator iterum, L. Æimilius Paulus Conſul iterum; & ſic deinceps, cum eandem quis dignitatem ſecundo adeptus eſſet.

TVLLIÆ] Tullia gens duplex: Patricia vna, plebeia altera: Patricia viguit ante exactos Reges: ex ea enim Seruius Tullius Rex. Exactis vero Regibus Conſules habuit Longi & Tolletini cognomine donatos. Plebeia autem ob Ciceronem longe clariſsima conſules habuit Deculam & Cicerones cognominatos.

Panuin. De Antiq. Nom. SEVERÆ FILIÆ] Si hæc Sex. Pompei filia fuit, & ſi familiæ nomine mulieres gauiſæ ſunt, vt omnes critici agnoſcunt, vnde Corneliæ, Tulliæ, Claudiæ, & ſimiles reperiuntur, non immerito hoc monumentum ſpurium eſſe ſuſpicor, cum hæc mulier Pompeia dicta non fuerit.

Quid autem ſtatuendum ſit doctiores iudicent. Ceterum monumentum hoc ſepulchri Galeanæ Marſilij Carrarienſis vxoris fuiſſe operculum, anno MDLII. detectum, Scardeonius monet.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 82.

IN VESTIBVLO ÆDIVM GENTIS GABRIELIÆ PROPE OSTIVM

GEns Gabrielia inter Patauinas non infimi nominis, nostra memoria in M. Antonio Diui Marci Equite extincta, duas habuit ædes satis amplas, non procul à Sancto Daniele sitas. Familiam hanc illustrauit Gaspar Philosophiæ, Medicinæ, ac politiorum literarum disertissimus cultor, in Ferrariensi Gymnasio philosophicam & medicam scientiam per multos annos summo cum fructu ac patriæ splendore professus. Inter bona huius familiæ merito recensenda venit domus illa, quam possidet in Vico Arquati, olim Francisci Petrarchæ seculo turbulentissimo illustrissimi viri, in qua etiam abacus, sedile, & felis, qua ipse delectabatur, sceleton accurate conseruatur. Vbi diligentia & studium Florispinæ Doctæ M Antonij proxime defuncti viduæ, morum probitate alijsque animi dotibus eximiæ, erga hoc animalculum non sunt silenda. Ne enim à curiosis spectatoribus destruatur, id intra capsulam e laminis crystallinis concinnatam condidit, vt commode illud intueri, minime autem contrectare liceat. Sed vt regrediar, vnde digressus eram, e regione domus, vbi habitarunt illi de Gabrielibus, altera eiusdem gentis domus in conspectum se offert: in cuius vestibulo monumentum, quod Scardeonij ætate in ædibus Horatij Sorelij Sacerdotis apud Sanctam Iulianam erat, nunc reperitur.

Scard. lib. 2. Class. 9.

Lib. 1. Class. 4. fol. 82.

ÆTERNO IMPERATORI
NOSTRO MAXIMO OPTI
MOQVE PRINCIPI
AVRELIO VALERIO
DIOCLETIANO PIO
FELICI INVICTO
AVGVSTO
PÆTVS HONORATVS ... VIR
CORRECTOR ITALIÆ
NVMINI EIVS DICATISSIMVS

ÆTER-

Eutrop. hiſt. Rom. lib. 9. ÆTERNO] Diocletiano, qui adorari ſe iuſſit, cum antea alij Imperatores ſalutarentur, adulatorum turba Æterni nomen attribuit, nec non Feliciſſimi & Beatiſſimi, vt numiſmata teſtantur.

Poſt Diocletianum vero in monumentis (Maximiano, Iuliano, & Honorio exceptis) hucuſque Aeterni nomine nullum Imperatorem inſignitum reperio. Maximiani ſimul ac Diocletiani monumentum hanc veritatem teſtatur, quod in via Flaminia, XXX à Foro Sempronij lapide, Vrbinum verſus, in pariete templi S. Mariæ *del Ponte* appellati Metellus exſcripſit. Grut. fol. 161. num. 3.

AETERNI : IMPE
RATORES : DIOCLE
TIANVS : ET, MAXI
MIANVS : AVGVS
TI . ET . PERPETVI
CAESARES
CONSTANTIVS
ET . MAXIMIA
NVS . PONTEM
MATAVRO

Fol. 184. num. 9. De Iuliano ex Panuinio Gruterus hoc habet.

AETERNO . PRINCIPI
D. N. FLAVIO . CLAVDIO
IVLIANO . VBIQVE . VENE
RANDO . SEMPER . AVG
BONO . REIP . NATO
ORDO . POSSESSORESQVE

De

De Honorio vero idem ex quodam fragmento epistylij à Smetio delineati hanc tradit inscriptionem. *Fol. 192. num. 2.*

. . . D. D. N. N. AETERNIS. PRINCIPIBVS. HONORI..

ANICIVS. ACILIVS. GLABRIO. FAVSTVS. V. C. PRAEF. VR..

FATALI. CASV. SVBVERSAM. IN. FORMAM. PRISCI. VSVS.

vbi forsan desideratur Arcadij nomen.

MAXIMO] Maximum Principem Papinianus vocauit Seuerum Imperatorem, nec non Optimos & Maximos Principes Seuerum & Antoninum; ideo fortassis ab illis temporibus Maximi etiam Imperatores ceteri vocati sunt. Ego vero primum Maximum appellatum obseruo in numismatibus M. Aurelium Antoninum Philosophum. *L. quisolid. § 1. de leg. 2. L. 6. ff. de Vacat. Munerum.*

OPTIMO Q.] Omnium Imperatorum primum Traianum à Senatu Optimi titulum meruisse satis constat. In cuius ferme omnibus numismatibus legitur.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI.

Optimum & maximum à iusprudentibus diuersimode expendi colligo: Paulus ad personas hosce titulos refert: *illa verba optimus maximusque vel in eum cadere possunt qui solus est: sic & circa edictum pretoris suprema tabulæ habentur solæ.* *Lib. 2. ad S.C.* Vlpianus non solum optimum maximumque putat, liberum esse, hoc est nulli seruire, sed etiam hæc verba rebus aptata considerans monet, *quod non tantum in traditionibus, sed & in emptionibus, & stipulationibus, & testamentis adiectio hæc,* VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, *hoc significat, vt liberum præstetur prædium, non vt etiam seruitutes ei debeantur.* *Lib. 5. ad S.C.* Quod etiam lib. 27. ad S. C. confirmat.

Verum cur in aliena castra transfugio? si in legum notitia ita cæcutio ac si inter fœdi carceris densissimas tenebras vinctus essem; cum in quacumque re ille sim, qui

Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.

Virgilij etiam æuo Maximi & Optimi epitheta non latuisse obseruo, vbi Turnus sic Actorem alloquitur:

———— te maximus Actor, *Aeneid. lib. 12.*

Te Turni nunc dextra gerit ————

Didonem quoque Optimam Aeneas vocat.

———— & quæ sit rebus causa nouandis *Lib. 4.*

Dissimulent: se se interea quando Optima Dido

Nesciat, & tantos rumpi non speret amores.

Bb Euan-

Euandrum etiam.

Lib. 8.

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Lib. 5. Ipsum Æneam pariter sic à Virgilio nuncupatum video.

Et simul his dictis faciem ostentabat, & udo
Turpia membra fimo: risit pater optimus olli:
Et clypeum afferri iussit ———

Item.

Lib. 9.

——— ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas ———

PRINCIPI] *Princeps dictus à capiendi significatione, quod primum capiat:* sic Isidorus. Principem Senatus vero eum esse apud Liuium lego, *qui primus Censor ex ijs, qui viuerent, fuisset*: vel, *quem primum in recitandis Senatorum nominibus legebant*, doctissimi Turnebi sententia. Cui accedo; quoniam in prælegendis à Censoribus Senatorum nominibus, Censorum qui tunc viuebant primus etiam ab ætatem ac venerationem primo, vt puto, legebatur. Hic primus in Senatu sententiam rogabat, ideoque Senatorem primæ sententiæ nuncupatum obseruo apud Vopiscum in Aureliano: *Quibus recitatis Aurelianus Tacitus primæ sententiæ Senator ita loquutus est.* Et in Taciti ipsius vita: *Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertum quam vellet dicere, omnis Senatus acclamauit: Tacite Auguste dij te seruent, te deligimus, te principem facimus: tibi curam reipublicæ orbisque mandamus. Suscipe imperium ex Senatus auctoritate; tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur: primæ sententiæ vir, recte Imperator creatur.* Nec alius Princeps declarabatur, nisi mortuo illo qui semel principatum Senatus obtinuerat: eratque is semper dignitatis & amplitudinis maximæ.

(Etymolog. lib. 9 cap. 3. Hist. lib. 27. Aduers. lib. 27. cap. 32. A. Gel. lib. 4. cap. 10. Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. 5.)


Apud Liuium etiam Principes ciuitatis obseruo, quos seniores & digniores existimo. *Iam aderat iudicio dies* (loquitur de die Quintio Cæsoni dicta) *apparebatque vulgo homines in damnatione Cæsonis libertatem agi credere. tum demum coactus cum multa indignitate prensabat singulos: sequebantur necessarij, Principes ciuitatis.* (Hist. lib. 3.)


Princeps etiam iuuentutis erat, qui ab Imperatoribus, vel ex filijs, vel ex nepotibus, vel ex alijs sibi sanguine iunctis designabatur pro Imperij successione. Tacitus de Augusto: *Tiberius Neronem & Claudium Drusum priuignos Imperatorijs nominibus auxit, integra etiam dum domo sua. nam genitos Agrippa Caium & Lucium in familiam Cæsarum induxerat, nec dum posita puerili prætexta Principes iuuentutis appella-* (Annal. lib. 1.)

pellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime cupiuerat. Ex quo tempore hæc appellatio deinceps ad omnes, qui ab Imperatoribus in successores adoptabantur, deflexit. Caius enim Caligula *fratrem Tiberium die virilis togæ adoptauit, appellauitque Principem iuuentutis.* Suet. in Calig. cap. 15. Nec non ceteri Imperatores ferme omnes Principes iuuentutis, antequam ad Imperium eueherentur, dictos ex eorum numismatibus sicuti colligere est, sic eos omnes hic recensere putidæ diligentiæ esset.

Vocabantur isti simul etiam Cæsares pace Ioannis Rosini, qui habet: *Aliquanto post translato Imperio à Cæsarum familia ad alios, ij qui ab Imperatoribus adoptati, & successores destinati erant, non amplius Principes iuuentutis, sed Cæsares tantum appellabantur.* Antiq. Rom. lib. 7. cap. 13. Qui enim monumentorum & numismatum cognitione pollet, satis exploratum habebit, & Cæsares, & Principes iuuentutis vocatos successores Imperatorum; vt ex numismatibus istis, quæ inter innumera elegi, licebit obseruare.









Sed istos Cæsares, Nobiles Cæsares etiam dictos noto; primumque inter hos M. Iulium Philippum filium: inde cæteros fere omnes hoc titulo donatos, imo aliquos etiam Nobilissimos Cæsares nuncupatos re-

petio. Quod diuersa monumenta designant, sed præcipue Narbonense vnum, in quo Philippus ille, & Princeps iuuentutis, & Nobilissimus Cæsar nominatur; Tarraconense alterum, quod in summo templo extat.

Grut. fol. 271 n. 10. Fol. 278. num. 1.

M. IVLIO. PHILIPPO
NOBILISSIMO. CÆSA. PRINCIPI
IVVENTVTIS. SEP. BAETERR
VIT
APIRIA. CAESIVS. FRATER
STIPENDIORVM. XXIIII
I.

VICTORIOSISSIMO	FORTISSIMO . ATQVE	VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI . IVVENT	CLEMENTISSIMO	PRINCIPI . IVVENTVT
M. AVRELIO. CARINO	IMP. CAES. M. AVRELIO	M. AVR. NVMERIANO
NOBILISS. CAESARI	CARO. INVICTO. AVG	NOBILISS. CAESARI
COS. PRO. COS	P. M. TR. POT. II. COS. II	PRO. COS.
	P. P. PRO. COS	
M. AVRELIVS. VALENTINIANVS. V. C. LEG. AVGG. PRO. PR. PROVINCIAE		
HISPANIAE. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM		

Tandem Romanos Imperatores Principes Principum aliquando nominatos declarat epistola, quam ad Saporem Persarum Regem Galerus Rex Cadusiorum exarauit. *Remissa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi, sed captum Valerianum Principem Principum, non satis gratulor: magis gratularer si redderetur. Romani enim grauiores tunc sunt quando vincuntur*, &c.

Trebell. Pol. in Valeriano Patre, & Fil. Idem in duobus Gallienis.

Habitus autem Principum ad Gallienum vsque toga fuit; sed iste *radiatus semper processit, cum chlamyde purpurea, gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est, vbi semper togati principes videbantur*. Quod succes-

su

su temporis ab alijs etiam Imperatoribus receptum videtur: nam &
Diocletianus Eutropij fide ornatissimus splendidissimusque incedebat. *Hist. Rom.*
Principes præterea Iudicum instar vsque ad Constantini magni *lib. 9.*
æuum salutabantur. Tunc enim Ammiani Marcellini obseruatione,
ante principis pedes supplicem statuerunt, externorum regum ritu: quum *Histor. lib.*
semper antea ad similitudinem iudicum salutatos Principes legerimus. *15.*

AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO] Diocle-
tianus Dalmata Aulini Senatoris libertus, vel vt alijs placet obscuris- *Sex. Aur.*
simæ originis, scribæque filius, matre simul atque oppido Dioclea na- *Vict. Hist. Aug. Epit.*
tus, qui & Diocles donec ad imperium emersit, appellatus est, post *Eutrop.*
Numeriani cædem Imperator dictus, Maximianum sibi Imperij con- *Hist. Rom. lib. 9.*
sortem elegit, seque Iouium, Maximianum vero Herculeum passus est *Sex. Aur.*
appellari, adorarique voluit, & edicto sanxit, vti omnes sine generis *Vict. ibid.*
discrimine prostrati pedes suos exoscularentur. Hic quamuis optimus *Pompon.*
prudentissimusque princeps quoad Imperij administrationem visus sit, *Let. Rom.*
immanissimus tamen vna cum Maximiano, fera impietate nequissime *Hist. Compend.*
in Christianos sæuijt: quod Cluniacensia hæc duo monumenta abun- *Gut. fol.*
de confirmant. *280. n. 3. & 4.*

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN . HERCVLEVS
CAES. AVGG
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM . ET . OCCIDENTEM
IMP . ROM
ET
NOMINE . CHRISTIANORVM
DELETO . QVI . REMP. EVER
TEBANT

DIOCLETIAN. CAES
AVG. GALERIO. IN. ORI
ENTE. ADOPT. SVPERS
TITIONE . CHRIST
VBIQ. DELETA. ET. CVL
TV. DEOR. PROPAGATO

Adoptatis deinde, sibique in successores destinatis Constantio Cloro
& Galerio Maximiano, Cæsaribusque ambobus factis, Diocletianus
senio grauis se Imperio abdicauit, mansitque Salonæ hortorum amœ- *Io. Bapt.*
nitati vacans per annos decem: quo tempore iterum ad Imperium *Egnat. Rom.*
sollicitatus à priuata vita abduci non potuit, *testatus nullos sibi vnquam* *Princ. lib. 2.*
soles lætiores affulsisse. Tandem, vel decrepita ætate, vel alienatione *Eutrop.*
mentis, vel veneno duodeoctoginta annos natus concessit fatis, con- *Hist. Rom. lib. 9.*
tigitque ei, quod nulli post natos homines euenerat, vt cumpriuatus
obijsset, inter Diuos tamen referretur.

Diocletianum duplici prænomine vſum obſeruo. In monumentis enim modo Marcum, modo Caium prænominatum video. De Caio ſaxum Patauinum ſuo loco expendendum, de Marco monumentum Romanum fidem præbet.

Grut. fol. 278. n. 6.

MAGNO · ET
INVICTO · IMP
CÆS . M . AVR . VAL
DIOCLETIANO
PIO . FELICI . AVG
BASILIVS
DONATIANVS . V. E.
RATIONALIS . D . N . M.
Q . EIVS

PIO FELICI] Primus omnium Imperatorum T. Ælius Antoninus, Pius à Senatu dictus eſt, & M. Aurelius Commodus Antoninus Felicis titulum ſibi arrogauit. Hinc omnes Imperatores, qui & Auguſti dicti fuerunt, Pij & Felices etiam vocati ſunt: vt in numiſmatibus & monumentis vbique planum eſt. Imo Diocletianum Feliciſſimum dictum vidimus; cum tamen in monumentis Feliciſſimus primus nuncupatus appareat L. Septimius Seuerus, vt ex Gruteri diligentia cognoſcitur, vbi de operibus publicis, & de Cæſaribus ac Imperatoribus.

L. 1. cap. de off. Ciuil. Ind. L. 18. C. de Epiſ. & Cler.

HONORATVS] Hoc cognomen ex virtute & dignitatibus acquiſitum, non autem à primordio vitæ datum puto; ſiquidem Honorati Iuriſprudentibus videntur ij, qui ſine adminiſtratione honorarijs decorabantur codicillis.

L. vlt. Cap. vbi Senat. Iuſt. nou. 70.

CORRECTOR ITALIÆ] Correctores erant illi, quibus aliqua prouincia demandata erat; dicebanturque etiam Legati, forſan non diuerſi ab illis, qui primis Reip. Romanæ temporibus Proconſules, & Proprætores in prouincias deſtinabantur. De huius dignitatis origine nulla apud veteres eſt mentio, niſi quod Aurelianus *Tetricum Correctorem totius Italiæ fecit*. Diocletiani temporibus dignitas hac glorioſiſſima extitit, quippe quæ in Italia vnica; verum Conſtanti-

L. vnic. cap. vt omnes Iud. Papin. L. 20. ff. de off. praeſ. Trebell. Pol. in Trigint. Tyrann.

ſtantino Magno imperante duo in Italia Correctores creati ſunt. At qui plura de Correctoribus exoptat, Notitiam Dignitatum vtriuſque Imperij ab eruditiſsimo Iuriſque conſultiſsimo Guido Pancirolo exquiſite expenſam conſulat.

NVMINI EIVS DICATISSIMVS] Numina vel quoad ornatum, vt vult Nonius Marcellus, vel quod omnia nutu Dei & *Feſt. Lit.* poteſtate facerent, à ſuis miniſtris antiqui Imperatores fœdiſsima adu- *N.* latione appellati ſunt: primumque hoc epitheto inſignitum in monumentis T. Ælium Antoninum obſeruo. Neque tantum in Imperatores, verum etiam eorundem vxores hæ adulationes congeſtæ fuerunt: in quodam enim lapide de Antonino prædicto ac de eius vxore Fauſtina legitur *Grut. fol. 259.n.8*

NVMINIBVS MAIESTATIQ. EORVM

Quod etiam de Iulia Mammea, de Tranquillina, & de Salonina vi- *Fol. 271. num.6.* dere eſt. Imperatores autem omnes poſt Antoninum Pium hunc titulum fuiſſe adeptos, ex capitibus Operum publicorum, & Cæſarum *Fol. 272. num.5.6.7.* ac Imperatorum in Gruteriano volumine obſeruare contingit: vel ex- *Fol 275. num.2.3.4.* preſsis verbis, vel hiſce literis.

D. N. M. Q. EIVS

quæ valent: DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

IN

IN VESTIBVLO ÆDIVM CAPILISTEORVM

Vulgo Dal Cauallo

ORiginem ac nobilitatem huius clarissimæ gentis hic breuiter repetens, sat erit si dixero, quod Transalgarda gens in familias ex cognominibus illustrium virorum Romano more diuisa, & Forzatea dicta à Ioanne, qui Simeonem de Tà Patauinum ciuem egregium singulari pugna vicit, vnde rudi lingua *Forzatà* fuit vocatus, & Capilistea à Carloto, Tribuno equitum declarato à Carolo Magno, qui Zonam in vestibus auream vulgo *Lista* ferebat. Hanc gentem etiam Imperatore Carolo Magno Augusto viris militaribus claruisse conspicuum est. Referuntur siquidem in ea Transalgardus, & Ioannes sub prædicto Imperatore aduersus Desiderium Regem gloriose pugnantes, qui insignibus donati captiui ducis, hoc est ceruo ore rosam gestante, eis hunc in diem vtuntur. Vnde

Iacob. Cagna de Famil. Patau. fol. 14.

Scard. lib. 3. Class. 13. Cagna. fol. 13. Porten. lib. 5. cap. 8.

Non mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,

nobilissimæ huius gentis illustres possem recensere viros, tiaris Cardinalitijs, Patriarchalibus Episcopalibusque infulis, nec non militaribus imperijs condecoratos. Viuit cum orbe gloria Gauslini Transalgardi Patauini Episcopi ob pietatem & religionem erga templum & cœnobium Diuæ Iustinæ, ab ipso & exquisite reparatum, & summe locupletatum. Emicat Beati Iordanis Abbatis Oliuetani Sanctitas, qui post innumera quæ ad patriæ salutem luctuosissimo suo æuo præstitit, Ezelini immanissimi Tyranni iussu pœnas arctissimi carceris diu summa patientia maximaque constantia pertulit. Colitur sanctissimum eius corpus in Ecclesia S. Benedicti Monialium, vbi adhuc integrum visitur. Fulget memoria Ioannis Baptistæ Transalgardi Episcopi Patauini, qui ab Vrbano I V. Pontifice Maximo Gymnasio Patauino priuilegia, dignitates & honores quamplurimos impetrauit. Adhæc quem ciuium nostrorum fugit, quod Albertinus, Rubertinus, Rotolandus, Corradus, Azinus, Transalgardinus de Transalgardis, Teduccius, Ioannes de Forzatè varijs temporibus Pataulj Consulatum gesserint? Quid plura? non præterito tantum æuo illustrium virorum hæc gens fuit feracissima, sed mea ætate visus est Transalgardus, Philosophico, Theologico, Legalique redimitus serto; & viuunt hodie Bartholomæus Philosophiæ Doctor, sublimis vir ingenij, mihique summo amore iunctus; Annibal militum cataphractorum pro Serenissima Repub. Veneta ductor; & Antonius inter Allobroges primum selectioris notæ

Scard. lib. 2. Class. 6. Cauacius Hist. Cœnob. D. Iust. lib. 2. Cagna fol. 15. Portenar. lib. 9. cap. 6.

Scard loc. cit. Cagna, Cauacius ib. Porten. lib. 9. cap. 37. Scardeon., Cagna. ib. Porten. lib. 4. cap. 7.

notæ miles, inde pro patria nostra Tribunus militum, iuuenis morum elegantia ac animi splendore conspicuus. Sed qualia quamque præclara fuerint virorum huius gentis studia, satis superque declarat Annibalis senioris equus ille vastæ magnitudinis, qui in vestibulo ædium Capilisteorum ad Sanctum Danielem existens, stuporem simul ac venerationem spectatoribus incutit. Hunc pro hastiludiorum spectaculis instruendis ædificatum, Ludouicus Lazarellus Patauinus satis eleganter sic descripsit. *De Hastiludio Patauino.*

Apparet tunc vasta Iouis, metuendaque multum
Forma, poli summo contingens vertice culmen,
Atque orbis speciem stringebat dextra rotundam.
Iamque Iouem sonipes compactus corpora ligno
Subuehit, atque altos æquabat imagine montes.
Maior equo penitus, referunt quem carmine vates
Troiani causam exidij, veterisque ruinæ.
Credo operis tantique opifex, non absque Mineruæ
Auxilio, ingenij miras exercuit artes.
Non secus ac artem tribuisset Dædalus illi,
Aut Phidias, metasque artis docuisset Apelles.

Ab isto itaque vastissimo equo domus hæc vulgo Caplistea ab equo nuncupatur: vbi in fornice vestibuli, qui aream prospicit, dextram versus monumentum hoc semirutum legitur.

T. LIVIVS. C. F. SIBI. ET
SVIS
T. LIVIO. T. F. PRISCO. ET
T. LIVIO. T. F. LONGO. ET
CASSIÆ SEX. F. PRIMÆ
VXORI

Monumentum hoc secundum est, quod de T. Liuio nostro habemus; tametsi clarissimi Pignorij sententia vix germanum credendum sit, quod in eo SIBE pro SIBI non legatur: de quo alio in loco fusius egi.

In Origin. Patau. cap. 16.

LONGO] Cognomen fortassis à corporis statura tractum. Longum enim Nonius Marcellus altum erectumque interpretatur.

CASSIÆ] Cassia gens plebeia fuit multis decorata consulibus, Longino, Varo, Rauilla, Kaleno, cognominatis.

In T. Liu. Vita cap. 8. Lib. 1. Class. 4. fol. 41.

PRIMÆ] Ad hanc vocem disertissimus Tomasinus cum Scardeonio ex duabus vxoribus Liuium nostrum duos suscepisse filios notat. At vellem cogitasset cultissimus vir, Cassiam non primam fuisse Liuij vxorem, sed primam Sexti Cassij cuiusdam filiam. Panuinius enim, quod alias obseruaui, in mulierum nominibus distinguendis hanc doctrinam tradidit. *Porro autem si duæ essent, nomen familiæ, quo vocabantur, maioris & minoris cognomine distinguebatur. Hinc vetustissimis temporibus Tullia maior & minor: Fabia maior & minor apud Liuium. Item apud Tranquillum Octauia maior & minor sorores Augusti: Antonia maior & minor III. Viri filiæ. Si tres filiæ essent, alia erat distinguendi ratio, id est Prima, Secunda, & Tertia. Huius rei exemplorum pleni sunt omnes epigrammatum libri.* Mox subdit de quarta. *Liuius lib.* 40. *Calpurnius Piso (inquit) necatus à Quarta Hostilia vxore dicebatur. Et in vetusto epigrammate Quarta Liuia refertur. Quæ vero quinto loco nata esset, Quinta vocabatur, &c.* Quibus omnibus subscribit Sigonius. Itaque Liuius non Cassiæ Primæ VXORI, sed Cassiæ Sexti F. Primæ, vxori suæ, cum ceteris expressis monumentum erexit.

De Antiq. Nom.

De Nom. Rom.

T.] TITI prænomen, vt notat Pignorius, in hac gente venerabile fortassis erat, ob Titi Liuij nostri memoriam.

In Adnot. ad Pat. Orig. fol. 171.

Inscriptio hæc mentem meam diu multumque torsit. Legebant enim in ea primo intuitu fere omnes

T. LIVIO. T. F. PRISCO. F.

T. LIVIO. T. F. LONGO. F

Quæ meo iudicio non consonant; siquidem non accipiebam

T. LIVIO T. F. PRISCO FILIO vel FECIT

vt

vt alij etiam explicabant: quid enim filij vox vni personæ bis adsignata? & quid iterato FECIT, quod semel monumentum claudit? Verumenimuero cum sæpe sæpius saxum perlustrassem paulo diligentius, omnesque fissuras ac rimas assidue inuestigassem, nonnulla subsequentis. T. & corrupti. E. vestigia deprehendi; adeoque cum Grutero hoc epigramma sic legendum obseruaui. Fol. 693. num. 15.

T · LIVIO . T . F . PRISCO . ET
T . LIVIO . T . F . LONGO . ET
CASSIÆ . SEX . F . PRIMÆ
VXORI

Tametsi id ex Robertelli emendationibus duplex ipse præbeat; Emend. 2. cap 12. vnum in Liuianis, vbi tamen nunquam fuit, hoc autem in Capilisteorum ædibus. Fol. 801. num. 2.

Correctionis vero nota desideratur cum apud collectores Inscriptionum Sacrosanctæ vetustatis; Fol. 336. tum apud Scardeonium, ac Tomasinum in vita T· Liuij: Lib. 1. Class. 3. fol. 41. apud quorum duos postremos etiam deest. F. quod in saxo conspicitur. Cap. 8. fol. 45.

Sed ossa Liuij ad tuendam eius perennitatem, ac suauissimam per tot secula quietem, doctiorum ingenia reposcunt. Vir .n. eruditissimus omniumque virtutum genere clarus, e publico suggestu illa Liuij non esse quatuor rationibus contendit. Nullum nempe eo loci, vbi ossa illa eruta, de Liuio inuentum fuisse testimonium. At de eo quod in Prætorio visitur monumento, Sicco Polentonus egregius ea ætate ciuis, ac testis oculatus, in epistola, quam Pignorius in suis Originibus Cap. 17. edidit, hæc scripsit. *Atuero quod fuerit sepultus eodem ipso loco, quo hæc ista ossa reperta sunt, fama auget fidem, quod lapis quo insculptum hoc epigramma videtur (necdum excessit octuagesimus annus) inde leuatus fuerit: nam & modo calcis fragmenta erant, & apparebant vestigia, vnde euulsus foret. Hunc autem ipsum lapidem, qui repertores eius fuerunt, ad ornamentum ciuitatis, ad dignitatem viri, ad memoriam rei, ad solatium studentium, in eo ipso, quo nunc visitur, vestibulo Ecclesiæ Sanctæ Iustinæ fixerunt. neque aliam rem puto magis obfuisse, quod illi homines, qui harum rerum maxime studiosi illa ætate vigebant, non amplius effoderint, monumentum non ruperint, ossa non inuenerint, nisi quod ea muralis strues similior funda-*

mento, quam monumento eſſet, neque illis effodiendi profundius neceſsitas incubuiſſet. Quibus addo, quod diligentiſsimus iſte vir aſſeruerat ante, veriſimile creditum, illum non fuiſſe proprium monumenti locum, hac ratione; *Monumentum vero dixerim aut pro humilitate ſummiſſum, aut ſi quod illuſtre fuerit, vel obrutum ruina rerum, vel abſconſum dirutumque ab his, qui primum Chriſti fidem acceperunt, ne fortaſſe illo primordio naſcentis Eccleſiæ veſtigium gentilitatis obeſſet.* Carmina autem illa quæ reperta ſunt, ac barbariem ſapiunt; adeoque doctiſſimo viro ſunt ſuſpecta, inferiori æuo eo loco poſita putat Polentonus, non autem quum Liuius condebatur. Ea hæc ſunt.

Polent. Epiſt. ſup. cit.

Loco cit.

Inuenies ſub vrna poſita quæ tegitur vmbra.
Non multum per latum te fodiendo dilates.
Exemplo luſtri paſsibus te metas ſeruare decet.

Nec difficile fuerit horum ætatem cognoſcere ex ijs, quæ Polentonus ſubnectit, ſcilicet; *Scripſit hæc dudum ſacer Abbas, quæ marmore ſculpſiſſet, niſi mors bonarum ſæpe mentium occupatrix ſententiam irritaſſet. Sic Monachi ex Patribus acceperunt, acceperuntque Liuium ibi ſepultum eſſe.*

Ibid.

Addit ille, quod de ſexu non ita conſtare poterat: & nihilominus Polentonus ipſe profeſſus fuerat, quod *non defuerunt, qui inficiari magnopere niterentur, quique & non maris illa oſſa fore, ſed fœminæ ſeminarent. calumniatoribus nuſquam res vlla quamuis apertiſsima caruerunt. Porro maris eſſe non fœminæ, aduerſantibus Phyſici demonſtrarunt ex ſciſſuris integerrimi cranij, quibus ſexum liquida ratione diſcriminabant.* Quam etiam cognitionem tradit Ariſtoteles tertio hiſtoriæ animalium.

Ibid.

Cap. 7.

Pergit ea in dubium vocare, quia cadauera intra ciuitatem non ſepeliebantur; ſed locus ille, vbi inuenta fuere oſſa Liuij, non fuit intra ciuitatem eo tempore, vt nunc eſt. Omnes enim qui noſtræ ciuitatis cognitione pollent, optime ſciunt, quod Diuæ Iuſtinæ Cœnobium, qui locus inuentionis fuit, à porta Turricellarum vix quingentis paſsibus diſtat. At non & Romæ quoque in Capitolio, in Campo Martio, ſepulchra publice conceſſa, abunde confirmant pluribus monumentis adſcripta hæc verba?

LOCVS DATVS PVBLICE.

vel in municipijs & colonijs

LOCVS DATVS DECRETO
DECVRIONVM.

Tan-

Tandem subiungit, corpora ætate illa fuisse cremata, non autem integra deposita. Hoc vero non fuisse omnino necessarium, vel Plinio teste constat; qui monet apud Romanos non fuisse veteris in- *Hist. Nat.* stituti corpora cremare, *& multas familias priscos seruauiße ritus*. Nec *lib. 7. cap.* sane Patauij sic Romanorum omnia seruabantur, vt in eorum ritus *54.* quasi iurassent Patauini. Addo etiam eo tempore sine rogo corpora Romæ condita; siquidem in Tiberio Suetonius, qua ætate Liuius obijt, de Drusi corpore hæc protulit: *Drusum fratrem in Germania* *In Tiber.* *amisit, cuius corpus pedibus toto itinere prægrediens Romam vsque peruexit.* *cap. 7.* Corpus autem integrum, cadauer non incineratum significare, persuadet mihi Petrinus, qui Romanos errores sub schemate Græco detegens, illius bonæ mulieris facinus recenset, quæ *iussit corpus mariti sui* *In Satyrico.* *tolli ex arca, atque illi quæ vacabat cruci adfigi.* Ad quem locum diligentissimus Kirchmannus hæc notat: *Specialim vero vbi corpus inte-* *De Funerib. Rom.* *grum condebatur, Arca dicta fuit.* Adhæc corpora fuisse sepulta prius *lib. 3. cap.* non combusta, patere opinor apud Suetonium de Druso: *Corpus eius* *15.* *per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obuijs scribarum* *In Claud.* *decurijs, ad vrbem deuectum, sepultum est in Campo Martio.* Nec siluis- *cap. 1.* set Suetonius, si prius crematus fuisset, qui de Iulio Cæsare, de *Cap. 84.* Augusto, de Tiberio, de Caio Caligula, de Claudio diligenter & *Cap. 100.* *Cap. 75.* accurate id perscripserat. Sed paucis emensis annis Tacito teste Pop- *Cap. 59.* peæ *corpus non igni abolitum, vt Romanus mos: sed Regum externorum* *Cap. 45.* *consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur* Se- *Annal. lib. 16* peliendi vero vocabulum non vstorum, sed humatorum esse corporum, nos docet Cicero: *Hominem mortuum, inquit lex in duode-* *2 de Legibus.* *cim tabulis, in vrbe ne sepelito, neue vrito. Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit, neue vrito, indicat non qui vratur sepeliri, sed qui humetur.*

IN PARIETIBVS ÆDIVM ILLORVM DE ZACCHIS AD PRATVM VALLIS.

GEns iſta nobilis, antiqua, ac potens Patauij noſtro etiam æuo latiſſime effulget. Olim quidem edidit Matthæum, Bartholomæum, & Hieronymum; hoc vero ſeculo Iacobum & Marcum in bello fortes & ſtrenuos viros. Neminem quippe noſtrum fugit, quantum poſterior iſte ingenio, robore, animique fortitudine, & apud Allobroges, & bello Cretico valuerit. Auitæ enim gloriæ veſtigijs feruenter inhærens, eximiæ virtutis luculentiſſima vbique teſtimonia præbuit. Sed non tantum claram iſtam gentem armata Pallas, verum etiam togata Minerua in tutelam recepit; proptereaque & hodie ad magnam nominis celebritatem euaſerunt non ſolum Zacchus Philoſophiæ ac Medicinæ, & Annibal Iuris redimitus lauro, verum etiam Alexander politiorum literarum delicium, Zacchus, Hieronymus & Franciſcus, omnes fratres: quorum pariter tres primi in Iuriſprudentia, vltimus iſte in Philoſophia & Medicina Doctoralem titulum eruditionis fama adæquat. Imo Zacchus & Hieronymus adhuc iuueniles annos in publico patriæ Gymnaſio iuris interpretationi glorioſe conſecrarunt. Porro inter diuerſas, quas familia iſta poſſidet domos, quædam eminet in via, quæ ad D. Mariæ Gratiarum templum ducit: vbi in parietibus prope terram hoc fragmentum inuerſo ſitu poſitum curioſis oculis ſeſe obijcit.

Scard. lib. 3. Claſſ. 13.

. . . . OMITIVS . . . .
. . . . B . SCÆVA . . .
. . . . . ONIA . Ɔ . L . P.

Monumentum iſtud ferme exeſum & mutilum, vt exhibeo, alicui liberto gentis Domitiæ erectum puto; præmiſſo forte Cnæi aut Lucij prænomine: alterutro enim tantum, vt ex Suetonio iam vidimus, gens Domitia vtebatur. Titulus talis eſſe poterat.

In Neron. cap. 1.

L.

L . DOMITIVS
L . LIB . SCÆVA
. . ONIA . Ɔ . L . P.

Vbi nomen mulieris CONLIBERTAE, quæ monumentum isti POSVIT, occasionem mihi suspicandi præbet, vel PETRONIAM, vel ANTONIAM, vel SEMPRONIAM, vel SCRIBONIAM, vel POMPONIAM, vel similium gentium, quarum nomina in ONIA desinunt, more appellatam fuisse: quod dictum sit in coniecturæ gratiam.

SCÆVA] Cognomen ab vsu sinistræ manus prognatum; siquidem Scęua, vel Scęuola apud Romanos cognominabatur, qui læua manu pro dextra vtebatur. Quorum primus videtur fuisse Mutius ille Scæuola, qui coram Porsena Rege pro asserenda Romanæ constantiæ gloria dexteram comburendam igni immisit. Scæua autem vox Græcam habet originem; nam sinistra manus Græcis σκαιά vocatur. Cognomen porro istud illustre obseruo in Cassio illo Scæua, qui Dyrrachino bello, Suetonio teste virtutem suam prodidit dum *excusso oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus perforato scuto, custodiam portæ commissi castelli retinuit.* Imo Cæsar ipse testatur, quod *scuto ad eum relato Scæuæ Centurionis, inuenta sunt in eo foramina* CCXXX. Quod mirum plane est, vt fidem fere excedat. Vnde Lucanus pariter cum heroicam tanti viri fortitudinem grauissimo ac amplissimo extulisset elogio, in fine addit.

In Iul. Cæs. cap 68.

De bell. Ciu. lib. 3.

Pharſ. lib. 6.

Ac velut inclusum perfosso pectore Numen,
Et viuam magnæ speciem virtutis adorant:
Telaque confixis certant euellere membris,
Exornantque Deos, ac nudum pectore Martem
Armis Scæua tuis. Felix hoc nomine famæ,
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedißet
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

Sed variam habuit hæc Scæuæ vox apud antiquos significationem; siquidem si Festo credimus, *Scæuam volgus quidem & in bona & in mala re vocat: cum aiunt bonam, & malam Scæuam* (Verum hæc sunt e fragmento, quod suppleuit Vrsinus) *at scriptores in mala ponere consueuerunt, vt apud Græcos inuenitur positum pro sinistro.* *Lit. S.*

Scæuum

Scęuum vſurpauit Hoſtius in belli Hiſtrici libro . . . . ſentit Scæuum . . . .

Hæc & Pauli menseſt in ſupplemento ad eundem Feſti locum : *Scæua res dicitur mala , quaſi ſiniſtra : σκαιὸν enim Græce ſiniſtrum dicitur* . Nihilominus Scæua auſpicia ſemper bona fuiſſe nos docet Varro : *Puereis turpicula res in collo quædam ſuſpenditur , ne quid obſit bonæ Scæuæ cauſa : inde Scæuola appellatus . Ea dicta ab Scæua id eſt ſiniſtra : quod quæ ſiniſtra ſunt , bona auſpicia exiſtimantur .* Ratio vero inde deprompta eſt , quod quæ nobis ſiniſtra in cælo apparent , ibi dextra ſunt. Hinc apud Virgilium poſt Anchiſis preces ad placanda numina effuſas .

De Lingua Lat. lib. 6.

Aeneid. lib. 2.

Intonuit lęuum : & de cælo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

IN

IN ÆDIVM NOSTRARVM VIRIDARIO

Apud Sanctum Franciscum magnum maiores nostri, gens inter Patauinas non vltima, ædes illas habuerunt, quas & hodie possidemus. Eas vero reparare, exornare, & in hanc formam redigere Vrsati equ. patris mei cura fuit, non tam de familia nostra, quam de filijs ob summum amorem, & de Patria vniuersa optime meriti. Sed de mea gente ac de me quærant alij. Ego antiquitatum veneratione excitatus in hortorum parietibus hæc monumenta summa diligentia, nullis parcens impensis ita dispoſui.



D M

MANI


I
MANILIVS A. F.
COLLINVS
II
P. LOLLIV
SIBI ET
V
IN. F. P. XV. RET
III
SERVILIA
IV
ΑΔΕΛΦΥΓΑΛΜΙΝΙΟΣ
Io. Georg. sculps.


V
Q·MAGVRIVS·Q·F·FAB
FEROX
LVS·EPIDIXIB·ET·CETAES·I·II·III·IN
GREG·VETVRIANQVAE·ET·IVNI
ORVM·A·A·DICAVIT·EVRAS·VIII
ET·PERTIC·VNCINOR·XII·N·CCL·IX
VI
M·COCCEIVS
M LIB·
IANVARIVS
Jo. Georg sculps.
VII
AGRAECAE
VOSIIVIA
VIII
VIIII
ANCHARI
Geo. Georgo fecit.

10.

T. SEMPRONIO AVCTO
PATRONO
T. SEMPRONIO
HERMETI
LIB......... BONO
.... AMICO

11.

PARCILIA
M. OXONI. F.
SIBI ET SVIS
V. F.

12.

SEX. POMPEIVS SEX. F
DEDIT

13.

..... INIVS
.... VS
..... HIEROTIS ET
..... MPHIONIS
..... LIBERTVS
..... VS EST
..... P. GER
....
....

14.

C....... S. F.
Q. ASCONIVS
GABINIVS. MODESTVS
PRÆTOR. PRO COS
PRÆF. ÆRARI
SATVRNO DEDIT

15.

D. M.
.... ACLO
FORTVNATO
VALGIA THALLV.
CONIVGI BENE..
FECIT.

16.

SEVI EVHOSI

1. MANILIVS] Maniliam gentem à Manio prænomine denominatam Panuinius docet, eamque inter plebeias recenset. Hæc consularis fuit, & varios habuit consules; sed vt obseruo nullo notos cognomine.

De Antiq. Nom. Fastor. lib. 1. & 2.

COLLINVS] Si hoc cognomen non desumptum est vel à Collina tribu vrbanarum tertia, vel à Collina dea, quæ Collibus præerat, cuius ministri Collini dicebantur, eius originem ignoro; quoniam cum agro collino, de quo Varro, nihil ipsi conuenire puto.

De Re Rust. lib. 1. cap. 6.

Locus huius monumenti olim erat Mons Cintius, inter Euganeos colles amœnissimus; habebaturque in parietibus dirutæ domus, cuius possessor Antonius Zabarella vir honestissimus, mihi facultatem ipsum ab iniuria obliuionis vindicandi, ac Patauij meis in ædibus reponendi concessit. In quo non

MANILIVS A. F.
C. COELINVS

vt apud Scardeonium & Gruterum legendum est, sed vt habet saxum

Lib. 1. Class. 4. fol. 64. Fol. 878. num. 10.

MANILIVS A. F.
COLLINVS

2. LOLLIVS] Lollia gens inter plebeias Romanas à Panuinio relata, consules habuit M. Lollium cum Q. Æmilio Lepido, & M. Lollium Paullinum Valerium Asiaticum Saturninum cum C. Antio C. F. Quadrato; primum sub Augusto, secundum sub Domitiano Imperatore. Vetum M. Lollius sub Augusto floruit, sub quo & Lolliana clades: de quo sic Paterculus: *Sed dum in hac parte Imperij omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub Legato M. Lollio homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo.* M. Lollij filia fuit, non prædicti, cum ipsius neptem eam faciat Plinius, sed viri consularis, vt habet Tacitus, cuius tempus se desiderare fatetur Lipsius, Lollia Paullina dissolutissima fœmina, Caij Principis vxor, & quæ post ipsum nuptias Claudij Augusti exoptauerat. Cuius profusissimum in mundo muliebri luxum perstringit Plinius, vbi ait: *Vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris,*

Fastor. lib. 2.
Hist. lib 2.
Hist. Nat. lib. 9. cap. 35.
Annal. lib. 12.
Ad Annal. Tac. lib. 12.
Suet. in Caio c. 25.
Tacit. Annal. lib. 12.
Hist. Nat. lib. 9. cap. 35.

ſpiris, auribus, collo, manibus digitiſque habebat, quæ ſumma quadringenties H–S colligebat: ipſam confeſtim paratam nuncupationem tabellis probare.

Huius gentis numiſma æneum in vico Caſalis *Serugi* dicto in prædiolo noſtro paucis ab hinc annis erutum, ſic delineari volui: nullum enim æneum ab Vrſino exhibetur.



Hoc monumentum eſt illud, quod in vico Sanctæ Crucis in ædibus Boatorum Scardeonij ætate extabat, mihi conceſſum à Bartholomæo Boato vxoris meæ conſanguineo, viro humanitate ac probitate ſingulari.

3. SERVILIA] Tegula, quam delineatam exhibeo, anno MDCXLIX. X. KL. Decemb. in vico vulgariter *Bruſegana* dicto, dum arbor quædam erueretur, detecta, atq; à Bartholomæo Fichetto viro modeſtia animique cultu conſpicuo, mihi donata fuit; cui SERVILIA vox impreſſa cernitur. Tegulis vero defunctorum ſepulchra indicata, iiſque aliquando figuli nomen inſcriptum fuiſſe iam ante oſtendimus. Quid autem Seruiliæ cum figulo? Tegulam itaque iſtam nomen vel Seruiliæ gentis, cuius fortaſſe ibi ſepulchrum, vel ſaltem mulieris cuiuſdam ibi conditæ locum deſignaſſe puto.

4. Dum circa annum ſalutis MDCVII. ædes familiæ Pignæ, inter ciues Patauinos primæ notæ, reparatentur, terra altius effoſſa, monumentum hoc Græce inſcriptum erutum fuit; quod benignitate Franciſci Pignæ Iuris vtriuſque Doctoris mihi affinitate coniuncti, viri ob animi comitatem morumque ſuauitatem omnibus æque cari, poſſideo.

5. Q. MAGVRIVS] Obſcuriſſimus iſte lapis XII. vncias altus, XXII. longus, Aponi ad thermas in hortis meis vna cum ſequenti erutus fuit, anno ſalutis MDCXLI. De quo eruditiorũ ſententiam, tum præſertim clariſſimi Fortunij Liceti Secundo de Quæſitis per epiſtolas expiſcatus, fuſiſſimam eius obtinui enodationem; nec alius, quod ſciam, ipſum interpretatus eſt. Suæ autem diſceptationi, quam longiſſime deducit, doctiſſimus Licetus loco citato hanc imponit coronidem: *Quare iam epitaphij ſenſus apertus videtur huiuſmodi.*

Tom. 2. cap. 4.

Quintus

Quintus MAGVRIVS *Quinti filius*.

FABER *primarius, plurimos habens sub se ministros, fabricantes instrumenta ferrea, necessaria numerosæ multitudini piscantium vncinis è mari Gaditano Thynnos innumeros initio æstatis cuiuslibet anni*.

FEROX *cognominatus vel à truculentia vultus, vel ab asperitate ferociaque morum, vel à conditione seruili; qua Lucernarum antiquarum plastes agnomen sibi* FORTIS *imposuit: quale plurimis in lucernis antiquis legitur*.

LVSITANIS EPIDIXIBVS, *qui supremi Iudices fuerunt ad Gades Thynnorum piscatui Præfecti*.

ET CETAESTRICIS *qui præsides extitere Cetariorum, vbi Thynni capti membratim diffindebantur, saliebantur, & in cadis ad venum asseruabantur*.

I. II. III. *Primis qui seniores Epidixes erant. Secundis, qui Cetastritæ similiter ætate prouecti, sedentes pro suo quisque Tribunali iura dabant, atque dicebant Piscatoribus & salsamentarijs. Tertijs, qui robusti iuuenes Epidixies, Cetastritæque circumobequitantes, operariorum turbam immensam cogebant, & baiulis imperij sui vrgebant ad opus, Nominatim verò, & peculiariter in honorem sibi dilectiorum, sub quorum Præfecturis artem fabrilem cum emolumento suo maximo fabricans Vncinos piscatorios exercuerat: nimirum*.

IN GREGORAM *Epidixen, Piscatui-Præfectum supremum*.

VETRVRIAMQVE *Cetastritam, Cetariorum Præsidem: seniores iudices duos sibi chariores*.

ET IVNIORVM *Aliorum Animas ad sepulcrum honorarium vocatas: qui Iuniores Epidixes, Cetastritæue, tertio continebantur ordine Præfectorum infra Gregoram & Veturiam, qui duobus in prioribus ordinibus sedebant*.

DICAVIT *in honorario tumulo ab se apud Aponenses Thermas constructo*.

EVRAS *gemmas* OCTO, *donarium mortuale congruentissimum Fabro ferrario dedicanti, Iudicibus Præfectis vita defunctis, Tumulo sepulcrali, & Thynnorum Piscatui*.

ET PERTICAS *Item sepulcrales* VNCINORVM DVODECIM, Numero ducentas quinquaginta nouem. *Continentes propterea ferreorum vncinorum tria millia centum, & octo; Symbolum magisterij fabrilis, quo ferramenta præcipua, tam celebri Piscatui Thynnorum necessaria, fabricauit sub illorum Præfecturis Magurius Fabrorum princeps ad Herculeas columnas in Lusitaniæ littore Gaditano*.

Hæc erudite & accurate disertissimus Licetus. Sed cum in coniecturis quibuscumque diuinare liceat, videant quæso, qui antiquitatum notitia pollent, quale nam sit ænigma hoc abstrusissimum, & an illa

illa nota FAB. non potius pro FABIA tribu, quam pro fabro ſit accipienda, cum ibi locata ſit, vbi in omnibus monumentis tribui locus attribuitur? an vox illa

EVRAS non cum re ruſtica aliquid habeat commune, & eſſe poſſint *Euræ, ferra axi imitentia, quæ à rota teruntur*, vt in ſua Amalthęa e Iulio Polluce colligit Ioſephus Laurentius? Et an PERTICAE, & VNCINI ibi deſcripti non cum agrimenſura conueniant, & inſtrumenta ad agros metiendos denotent?

FEROX] Hoc cognomen in numerum eorum, quæ à moribus deſumpta fuere, conijciendum puto; cum Ferox, vt Nonio placet, pro ſæuo, indomabili, cordato, vel faceto accipiatur.

6. COCCEIVS] Cocceia plebeia gens conſules habuit Neruæ cognomine; Imperatorem itidem virum humaniſſimum principemque iuſtum ac beneficum; vtpote qui etiam Chriſtianos ſolo exilio puniuit, ſæuirique in ipſos prohibuit.

Nyceph. Calliſt. Hiſt. Eccl. lib. 3. lib. 9.

IANVARIO] Cognomen huic liberto opinor inditum tale à menſe Ianuario, quo fortaſſe natus vel manumiſſus eſt: de quo Varro: *Prior à Principe Jano Ianuarius appellatus eſt*. Vnde poeta.

De Ling. Lat. lib. 4.

Inſtabatque dies, qui dat noua nomina faſtis,
Quique colit primus ducentem tempora Ianum.

Lucan. Pharſ. lib. 5.

7. Informes literæ in rudi illo ſaxo ſculptæ ſeculi non optimi, imo valde corrupti tempora denotant.

8. Rotundi huius impolitique ſaxi, informibus characteribus ſculpti arcana mihi penitus ignota fuiſſent, niſi eruditiſſimus Rhodius, ad bonarum literarum incrementum natus, ipſius icnographiam ad Athanaſium Kircherum, Societatis Ieſu noſtrique ſeculi ornamentum ſingulare, Romam miſiſſet, ſimulque ipſius hac in re exquiſiuiſſet ſententiam. Qui reſpondit, *hoſce characteres nec Gothicos eſſe, neque Etruſcos, ſed Latinos veterum corruptos, quorum ingens copia in ſepulchrorum monumentis, tum alibi, tum Romæ paſsim occurrit*: ſicque eos interpretatus eſt.

HOSTILIO VVLTHEIO SVO FILIO

Addiditque temporum iniuria, ſiue ſculptoris negligentia literam deeſſe.

9. ANCHARI] Hoc tegulæ fragmentum in agro meo in vico *Agnæ* effoſum, aut totius gentis Anchariæ aut vnius viri nomen impreſſum refert. Anchariæ ſiquidem gentis vetuſtatem antiqua ſaxa demonſtrant, & præcipue Romanum, quod e Fuluij Schedis Guteniſtenius Grutero dedit,

Fol. 352. num. 1.

T. AN.

T. ANCHARIO. T. F. PAL. PRISCO
AED. QVAEST. II VIR. QVAEST.. ALIMENT. HVIC. PRIMO
II VIR. BIGA. POSITA. OB. EXIMIAS. LIBERALITATES. ET. ABVN
DANTISSIMAS. SINE. EXEMPLO. LARGITIONES. ET. QVOD. EX
INDVLGENTIA. AVG. OCTIES. SPECTACVLVM. . . . GLADIATOR
EDIDERIT. AMPLIVS. LVDOS. FLORALES. OB. HAEC. MERITA
PLEPS. VRBANA . . . . CVIVS. DEDICATIONE
T. ANCHARIVS. PRISC. FIL. ÆDILIS. QVÆSTOR
ADSEDENTE. PATRE. GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA
ADIECTA. VENATIONE . . . . LEGITIMA EDIDIT
L. D. D. D.

Ancharium Priscum patrem, aut filium fortasse puto, cuius Tacitus meminit: *Et Ancharius Priscus Cæsium Cordum proconsulem Cretæ postulauerat repetundis, addito maiestatis crimine: quod tum omnium accusationum complementum erat.* Annal. lib. 3. Cuius postulationis exitum paulo post in hæc verba tradit: *Post auditi Cyrenenses, & accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetundarum damnatur.* Ex gente Ancharia vxorem habuit Octauius Augusti pater, ex qua Octauiam maiorem suscepit. Sueton. in Aug. cap. 4.

10. AVCTVS] Cognomine hoc donatus est forte Semprönius quod feliciter quasi creuisset, vel opibus, quas maximas congesserat; vel honoribus & dignitatibus, quæ amplissimæ ipsi obtigerant; vel magnorum virorum beneficijs, quibus fuerat accumulatus.

HERMETI] Hermeæ quadrati erant lapides, quibus sapientiam imponebant veteres. Hinc Athenienses Mercurio Hermeti, hoc est stabili, erigebant simulacrum; quia apud ipsos symbolum erat sapientiæ, vt testatur Pierius in Hyeroglyphicis. Lib. 39. Vnde credibile est, hunc virum, vt stabilem, Hermetem cognominatum. Festus enim habet: *Herma à Græcis ponitur pro firmamento, vnde etiam Mercurij nomen inuentoris, vt putabant, firmæ orationis dictum.* Lit. H.

11. In monumento hoc antiquo certe obſeruare licet, quod nomen gentilicium patris filiæ non tribuitur, licet religioſum alioquin antiquorum inſtitutum fuerit.

12. Quam hoc loco inſcriptionem trado, domi meæ aſſeruo munificentia Reuerendiſſimæ Benedictæ de Zacchis Abbatiſſę Monialium S. Blaſij non minori virtutis ac pietatis, quam generis ſplendore emicantis. Eſt autem baſis quadrata, quæ forſitan eo tempore ad aræ vſum adhibita fuit; ſiquidem verbum illud, DEDIT. votum ſignificare, ſatis cognoſcunt antiquitatum cultores, vt erudite in ſuo de Donarijs libro elegantiſſimus Tomaſinus demonſtrauit.

13. Fragmentum hoc in parietibus templi in villa *Caſalis Serugi* antehac latuit, qui ferme toti ex ingentibus ſaxis antiquitatem redolentibus extructi ſunt; vt fuſius videbimus, cum de monumentis huius pagi agemus.

Decimum quartum & decimum quintum monumentum è Scardeoniorum ædibus, vbi plura obliuioni deſtinata videbantur, dono Obicij Campoſamperij adoleſcentis ſuauiſſimi, & ſumma morum elegantia conſpicui, meos in hortos tranſijt.

14. Q. ASCONIVS] An monumentum iſtud Aſconij Pædiani fuerit, qui in orationes Ciceronis elegantiſſimo ſtylo commentarios conſcripſit, necne, cum nihil certi reperiatur, hic expendere non vacat. Nihil enim hoc denotare poteſt præter Quinti prænomen, quod (*Lib. 1. Claſſ. 3.*) Aſconius iſte præfert. Bona tamen venia eruditiſſimi Scardeonij prænomina non valent ad conſtituendam perſonam: nam cognomina inuenta ſunt, vt perſonas diſtinguerent prænomine & nomine (*Panuin. de Nom. Antiq.*) ſimiles. Scardeonij etiam errorem, non ipſius, ſed Pliniani codicis corrupti cauſa natum, cum accuratiſſimo Pignorio heic tollendum cen(*S gonius de Nom. Rom.*)ſeo; non ad detrahendam patriæ gloriam, ſed in veritatis confirma(*In Origin. Patau. cap. 16.*)tionem, ne quis Patauinos criminetur, quod illis glorientur viris, qui ſuæ non ſunt originis: quaſi ſapientiſſimi maiores noſtri, quorum fama cum orbe perennabit, ad patriæ æternitatem non ſufficerent. Itaque vbi Scardeonius poſt Q. Aſconium Pædianum, L. Pæ(*Scard. loco cit.*)dianum conſulem hiſce verbis recenſet (*Legimus L. Pædianum virum conſularem aliquando Romæ & armis & literis & honoribus admodum claruiſſe. Plinius enim lib. x. cap. XII. Scribit, vrbem fuiße luſtratam Sexto Popilio & L. Pædiano Conſulibus*) legendum eſt ex correctiſſimis Plinij codicibus à Geleno & Dalecchampio caſtigatis: (*Hiſt. Nat. lib. 10. cap. 12.*) (*apiculy cellam* (de aue incendiaria ſermo eſt) *ipſam intrauit Sex: Papellio Iſtro, L. Pedanio Coſs. propter quod nonis martijs vrbs luſtrata* (*Faſtor. lib. 2.*) *eſt eo anno.* Hos tamen Panuinius ſuſpectos habet, ſcribitque, dum anno V. C. DCC XXCIX. Conſules deſignat. Q. Plautium. Sext. Papinium, *videndum, num hi ſint Coſ; quos lib. x. cap. XII. Sex. Pa-*

pellium

pellium Istrum, & L. Pædianum forte mendose vocat Plinius. Vbi obseruetur Panuinium ex mendoso Plinij textu Pædianum Pedanij loco scripsisse.

GABINIVS MODESTVS] Cognomen ab antiquis non tantum vnum, sed duo, tria, & quatuor aliquando fuisse vsurpata saxa ipsa denotant: ideo Asconio isti cognomen duplex: Gabinij, vel quia Gabijs est natus, vel quia res præclaras Gabijs gessit: quemadmodum & alij Priuernatis, Africani, Asiatici, Macedonici, Isaurici ab illis vrbibus & prouincijs, quas factis insignibus illustrauerunt, cognomen sortiti sunt. Et ideo huc facit, quod demonstret Varro *Gabinium ab oppido Gabijs deriuatum*. Modesti vero nomen à moderatione trahitur. Nam Nonij sententia *Modestum à modico hoc est moderato positum*. *De Lingua Lat. lib. 4.*

PRÆTOR] *Dictus, qui praeiret iure, & exercitu. A quo Lucilius: Ergo praetorum est ante praeire:* ita Varro. Postquam consulatus plebi communicatus fuit, vnusque de plebe consul magistratum inijt anno v. c. CCCXCVIII. tunc *nobilitati de Pretore vno, qui ius in Vrbe diceret, ex patribus creando* concessum fuit. Is in ciuitate ius reddebat, Prætorque dicebatur Vrbanus. Verum anno ab v. c. DV. quo Attilius Calatinus Dictator extra Italiam primus duxit exercitum, vno non sufficiente Prætore, alius fuit adiectus, qui Peregrinus vocabatur, eo quod inter peregrinos & ciues ius diceret. Prætores ijsdem auspicijs, ac Consules creabantur. Quod Liuius demonstrat, vbi Papirius Cursor Dictator interrogat Q. Fabium Magistrum equitum, qui inuito Dictatore contra Samnites prospere pugnauerat: *Quæro de te Q. Fabi, cum summum imperium Dictatoris sit, pareantque ei Coss: regia potestas Prætores, ijsdem auspicijs, quibus Consules, creati, æquum censeas necne magistrum equitum dicto audientem esse?* Prætor tamen sedens Consuli transeunti assurgere tenebatur. Propterea M. Æmilius Scaurus Consul: *P. Decium Prætorem transeunte ipso sedentem, iussit assurgere, eique vestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eum in ius iret, edixit.* Insignia Prætorum erant; sella curulis, trabea, lictores sex & cetera dignitati consulari concessa. Prætorum numerus varius, idemque auctus pro Reipublicæ commodo, cum & Prouinciæ Romani Imperij aliæ Consulares, aliæ Proprætoriæ essent arbitrio Senatus. Prætores diuersis muneribus fungebantur nec tantum ius in vrbe dicebant, exercituique præerant, verum Vespasiani æuo ærarium quoque administrabant. Hinc Tacitus: *Prætores ærarij (nam tum à prætoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem questi, modum impensis postulauerant.* Ac tandem vltra hæc Antoninus Philosophus *Prætorem tutelarem primus fecit, quum antea tutores à Consulibus poscerentur: vt diligentius de tutoribus tractaretur.*

Idem ibid. *Liu. Hist. lib. 6.* *Auct. Epit. Liu. lib. 19.* *Pomp. Lat. de Magistr. Rom. Cap. 24.* *Hist. lib. 8.* *Auct. de Vir. Illustr.* *Hist. lib. 4.* *Iul Cap. in M. Anton.*

PRÆF. ÆRARI] Postquam Augustus, ad certam stipendio-

rum, præmiorumque formulam milites adſtrinxit, ne ætate aut inopia ipſis ſuppetiæ deficerent, *ærarium militare cum vectigalibus nouis inſtituit*, Suetonij fide: eiuſque curam ad triennium commiſit viris tribus prætorijs ſorte electis, quibus lictores bini alijque, prout neceſſum erat, miniſtri inſeruiebant. Hoc tamen nomen haud multum duraſſe, auctor mihi eſt Tacitus, vt iam de Prætore obſeruaui.

In Aug. cap. 49.

Dio lib. 55.

SATVRNO DEDIT] Prout ærarium in Saturni templo deponi, eiuſq; cuſtodiæ concredi ſolebat, ita Aſconius iſte præfectura ærarij functus ſuum monumentũ Saturno dedit, ac in tutelam commiſit. Quod autem in Saturni templo ærarium reconditum fuerit, Varro, vbi de ſtipendio per trutinam ſolui ſolito loquitur, ad hunc modum declarat. *Veſtigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter penſuram, Trutinam habet poſitam, ab ære ærarium appellatum.* Cur vero in æde Saturni ærarium ſeruatum fuerit, tales rationes Macrobius reddit: *Ædem vero Saturni ærarium Romani eſſe voluerunt; quod tempore quo incoluit Italiam, fertur in eius finibus nullum eſſe furtum commiſſum: aut quia ſub illo nihil erat cuiuſquam priuatum.*

De Lingua Lat. lib. 4.

Saturnal. lib. 1. cap. 8.

15. Monumentum, quod nobis mutilum videtur, ex Scardeonio, cui recens inuentum fuit oblatum, ſic in integrum reſtitui poteſt.

Lib. 1 Claſſ. 4 fol. 77.

D. M.
L. MACLONIO
FORTVNATO
VALGIA THALLVSA
CONIVGI BENEM.
FECIT.

VALGIA] Gentem iſtam Romanam denotat tum monumentum Gruterianum tale

fol. 1158. num. 2.

C. VALGIVS. C. L. LIPARVS
V. AN. XXII.
C. VALGIVS. C. L. LAMVS

tum Horatius ipſe, qui ſibi amicitiam cum Valgio quodam intercesſiſſe innuit.

Carm lib. 2. ode 9.

Non ſemper imbreis nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque: nec Armenijs in oris,
Amice VALGI, *ſtat glacies iners*
Menſeis per omneis.

SER-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO VI.

ADSCITITIA.

IAm monumenta omnia, quæ & in publicis locis, & in priuatorum ædibus per quatuor regionis nostræ Vrbis dispersa hodie conspiciuntur, qua licuit diligentia perquisiui, ac expendi. Reliquum est vt ea aggrediar, quæ sine dubio aliunde ad nos peruenerunt. Neque enim is ego sum, qui omnia hactenus obuia plane Patauina contendam. Verum quæ certo aliunde huc aduecta cognosco, in hac sectione paucis, moreque iam instituto seruando expendere libet.

IN PARIETE FORNICIS PROPE FONTEM DIVI BENEDICTI

L. Helio Cæſare. Imp. P. Cœlio & ALBINO VIBVLLIO PIO COS.

VII. Idus OCTOBRES

Cn. Domitius Valens II. vir ID. PraEEVNTE C. IVLIO SEVERO PONTIF.

Legem dixit in ea verba quæ infra SCRIPTA SVNT.

Iuppiter optime maxime quandoque tibi hODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE OLIS LEGIB.

Olliſque regionibus dabo dedicaboque quæ hic hODIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE ES

Si quis hic hoſtia ſacrum faxit quod magmentum neC PROTOLLAT ITCIRCO TAMEN BROBE FACTVM ESTO CETER

Leges huic aræ eædem ſunto quæ aræ Dianæ ſunt IN AVENTINO MONTE DICATAE HISCE LEGIBVS HISCE REGIONIB

Sicuti dixi hanc tibi aram Iuppiter optime maxime DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQV

Meis decurionibus colonis incolis coloniæ matriæ IVLLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRIS

Tabula, quam heic damus, mutila pridem inuenta fuit Salonæ in Delmatia à Io: Baptista Rhamnusio, & ab eo Patauium delata, ac posita, vbi & nunc visitur, inter ænea capita Andreæ Nauagerij Patricij Veneti & Senatoris integerrimi, nec non Hieronymi Fracastorij Veronensis suo æuo medicorum omnium celeberrimi. De ista multa & pene infinita, tum quoad personas, tum quoad ritus, tum etiam quoad errorum in ipsa emendationem nonnulli illustres viri iam satis superq; prodiderunt. Verum cum ornatissimus Pignorius circa ipsam, in epistola ad nobilissimum Abbatem Albertinum Barisonium data, nonnulla scitu digna suggesserit haud omnibus obuia, hic ea repetere necessarium duxi.

Scard. lib. 1. Class. 4. fol. 85.

Epist. Symbol. 30.

Exemplo mihi sit vetus inscriptio Rhamnusiana, quæ prostat in pariete fornicis prope Pontem, quem appellant Diui Benedicti. illius antiquum segmentum, quod est aspectantibus ad dextram, suppletum est noua recentioris lapidis adiectione, si Aldo Manutio credimus, ex fide vetusti codicis. At illam religiose, vt æquum fuerat, neque illi exscripserunt, qui res nostras attigerunt, neque exteri quantumuis docti & eruditi. Manutius ipse bis peccauit, tum quia non pauca immutauit, tum quia rationes orthographiæ suæ comprobare annisus est auctoritate segmenti recentioris. Smetius & Gruterus, decepti ab aliquo, qui exceperat oscitanter, deceperunt & ipsi alios, quibus hæc lustrare vel non contigit, vel non placuit. Andreas etiam Schottus V. Cl. qui omnem Antiquitatem callet, eamque lotis manibus contrectare amat, obseruationes suas, quas Humanas vocauit, hoc vetere monumento exornatas voluit, lib. 5. cap. 11. parum tamen & ipse felix in exscribendo. Describam igitur ego nobilissimum hoc cimelium bona vtique fide, ostendamque primum, quid peccatum sit in supplemento, deinde notabo quid peccauerint descriptores: tum autem connitar explicare, quidquid erit operæ precium.

HELIO] *In segmento recentiore, qui* AELIVS *semper fuit, perperam* HELIVS *factus est, & titulo* IMPERATORIS *nunquam vsus, Imperator euasit.*

P. COELIO ET ALBINO] *Addamus P. Cælium & Balbinum inepte disiungi. & quid (scribendum fuerat* OPTVME, MAXSVME, *&)* FAXSIT? *& hæc quoad supplementum.*

Marmoris quod vetus erat descripserunt Smetius, Aldus, Gruterus, Schottus: mendose omnes.

VIBVLLIO] *Aldus pro* VIBVLLIO *substituit nobis* VIRBVLIVM. *pro* HANC ARAM; VTI; CETER; LEGIBVS; *supposuit* ARAM; VT; CE... RA: LEGIB. *Smetius & Gruterus haud multo melius in eodem argumento versati sunt.*

PIO. COS.] *Schottus ipse, alienam fidem secutus, vt videtur, quod erat in marmore* PIO COS. *fecit* PROCOSS.

PRÆ-

PRÆEVNTE] *Quod erat* FEVNTE , *ſuppleuit* PRAETEREVNTE , *& alia ad eundem modum . Nos primi bona fide repræſentamus . Præire autem eſt dictare verba ſolennia , quod Pontificum erat , vt patet ex Liuio noſtro Lib. 8. & 10. & Plin. lib. 28. cap. 2.*

MAGMENTVM] *Magmentum : cuius meminere Arnobius lib. 7. Adu. Gent. Varro lib. 4. de L.L. & Feſtus (non* MAGNENTVM *vt „ viſum eſt doctiſsimo Turnebo lib. 22. adu. cap. 6.) eſt quoddam pinguiſ„ ſimum extum , inquit Ioannes Genuenſis , vel ſecundum profectum . „ Cornutus , quidquid mactatur , vel quidquid diſtrahitur dicitur Mag„ mentum. ita narrat Hug. Papias etiam dicit , Magmentum alij pin„ guiſsimum inteſtinum , alij ſecunda profecta , Cornutus vero quidquid „ mactatur , vel diſtrahitur . Proſiciarum autem extat mentio apud „ Arnobium . Feſtus , Proſicium quod proſecatum proycitur . Eodem fere „ ſenſu eruditiſsimus Sigonius , lib. 2. de antiquo Iure Prouinciarum , „ quæ vero exta valde aucta erant , ea Magmenta dicta eſſe arbitror . „ cuius vt ſacrificalis vocis mentio eſt apud Varronem , Feſtum , & „ Arnobium libro aduerſus gentes VII. & veteri Aræ inſcriptione , quæ „ Narbone & Patauij legitur , in qua eſt ,* SI QVIS HIC HOSTIA „ SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT „ ID CIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. *Vouet enim „ aram ille cum ea conditione , vt etiam ſi ſacrificium Magmentum , id eſt „ exta aucta non oſtendat, nihil tamen triſte portendat. Vnde Magmen„ taria vaſa eſſe quidam putarunt , in quibus ipſa magmenta reponerentur . Impegit tamen & Sigonius ad hunc lapidem , cum veterem inſcriptionem appellarit , quæ pro dimidia tantum vetus erat*

HISCE LEGIBVS. HISCE REGIONIBVS] *Leges quæ dicuntur , & Regiones ſunt Haruſpicum ſolemnia effata . quo ſpectat inſignis locus M. Varronis lib 6. de L.L. in principio fere libri . & hiſce Regionibus aptabant præſides Deos , vti prolixe videt Arnobius lib. 6.*

VTI SIS VOLENS PROPITIVS] *Cato de R.R. Tit. 134. „ Iane Pater te hac ſtrue commouenda bonas preces precor , vti ſies vo„ lens propitius mihi liberiſque meis domo , familiæque meæ . neque ſane ali„ ter Liuius lib. 29. Ea per manus ſuccedentes aliæ alijs , omni effuſa ciuita„ te obuiam , thuribulis ante ianuas poſitis , qua præferebatur , atque accen„ ſo thure , precantibus vt volens propitiaque vrbem Romam iniret .*

Cœlium Balbinum quem diximus monſtrauit nobis antiquus lapis apud Onuph. Panuinium Ciu. Rom.

P. COELIO . P . F.
SER. BALBINO
VIBVLLIO PIO
X. VIRO STLITIB. IVDIC.

&c.

&c. & alter apud Gruterum, MIX. *6. in quo legitur*

L. ÆLIO . CÆSARE . II.

P.COELIO BALBINO COS.

Ex quo Fuluius Vrsinus in gente Postumia restituebat in nostra inscriptione

L. ÆLIO CÆSARE . II.

Illud enim IMP. *vt diximus absonum omnino est.*

Hæc non minus fuse quam accurate Pignorius. Sed liceat & mihi aliqua post ipsum expendere.

L. HELIO] Ex ijs quæ vidimus, L. AELIO scribendum est. Is Annij Veri F. ab Hadriano Imp. adoptatus, & ad Imperium destinatus, *fuit vitæ lætissimæ, comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, elegantiæ celsioris, versu facilis, in Rep. etiam non inutilis,* *Spart. in eius vit.* bonisque literis prædıtus, sed valetudinis ita miseræ, vt Adrianum statim adoptionis pœniteret. Mortuus est pharmaco, aut magno sanguinis profluuio, sepultusque Imperatorio funere.

P. COELIO ET ALBINO VIBVLLIO PIO COS.] Non esse Cœlium ab Albino disiungendum, vidimus recte cum Pignorio. Non enim duo, sed vnus ille fuit cum Ælio Cæsare Consul: sic enim Fasti, Tribunicia potestate secunda L. Ælij Adriani Augusti F. Veri Cæsaris, ostendunt. *Fastor. lib. 2.*

L. ÆLIVS HADRIANVS AVG. F. VERVS. CÆSAR. II

P. COELIVS P. F. BALBINVS VIBVLLIVS PIVS.

Qui Consulatus incidit in annum V. C. DCCCXC. Ideoque legendum L. AELIO CAESARE II (quod fortassis loco IMP. sculptum voluerunt lapidis restitutores) P. COELIO BALBINO VIBVLIO PIO CONSVLIBVS.

Cœlium istum tribus cognominibus appellatum noto; Balbinum quod à Balbo deriuatum; Vibullium, quod nomen Vibulliæ gentis Romanæ ex Romano monumento colligo. *Grut. fol. 801. n. 9.*

LVCILLAE · LVCILLIANAE T. F. QVAE
VIX. AN. XXXVI. MENS. IIII. D. XXVII
FEMINAE · INCOMPARABILI · M. VIBVL
LIVS AVGVRINVS · CONIVGI · CARISSI
MAE · ET · VICTORINA · ET · ALBINIANVS
ET · ANVLLINVS · ET · LVCILIA · FILI · MA
TRI · PIENTISSIMAE · B · M · FECERVNT

Lib. I. Et ex commentarijs de Bello Ciuili C. Iulij Cæsaris, in quibus recensetur inter viros Senatorij ordinis Vibullius quidam cognomine Rufus.

Causam huius cognominis in isto Cœlio Balbino adoptionem fuisse, ipsum vero ex Vibullia gente descendisse puto, in Cœlium postmodum adoptatum, Cœlij adoptantis nomine accepto, nomine eius gentilicio pro cognomine vsum fuisse. Hoc mihi suadet Panuinius, qui post enarratos diuersos ordines in cognominibus illorum qui adoptabantur obseruatos, variaque eorundem appellandorum genera, tandem subdit: *Vltimus, postremo in adoptionibus mutandi nominis* (De Antiq. Nom.) *vsus, post Augusti tantum tempora Romæ frequentari cœpit. Is erat, vt is qui adoptatus integrum nomen adoptantis ferret, suum vero vetus gentilicium nomini recens adepto gentilicio multa ratione variatum adiungeret.* Additque, quod solebant etiam ijs temporibus non solum nomen adoptantis, verum etiam cognomen sibi annectere: vt videre est in Antonino Pio ab Hadriano adoptato, qui cum T. Aurelius Antoninus vocaretur, post adoptionem T. Aelius Aurelius Adrianus Antoninus fuit dictus. Vnde iste Vibullius Pius à P. Cœlio Balbino adoptatus nomen adoptantis suscepit, mea sententia dictus P. Cœlius Balbinus Vibullius Pius.

Pij vero, tertium huius viri cognomen à morum pietate tractum ecquis dubitat?

II VIR] Colonijs pro magnitudine aut paruitate earundem notauimus DVVMVIROS & Quatuor viros iuri dicundo præfuisse, qui (Apolog. prim.) Principum loco habebantur. Vnde Apuleius pro se ipso: *Splendidissi-*

didissima Colonia sumus, in qua Colonia patrem habui loco principis Duumviralem cunctis honoribus perfunctum.

LEGES HVIVS ARÆ EÆDEM SVNTO QVÆ ARÆ DIANÆ SVNT IN AVENTINO MONTE DICATÆ] *Cum consensum Deosque consociatos laudaret mire Seruius inter proceres Latinorum, cum quibus publice priuatimque hospitia amicitiasque de industria iunxerat, sæpe iterando eadem, perpulit tandem, vt Romæ fanum Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent.* Liuius scripsit. Qui tametsi fani huius locum non decernat, attamen eum in Auentino fuisse affirmant, Auctor de viris illustribus, & Halicarnasseus, qui etiam leges ac ritus huius templi in hæc verba notauit: *Illis persuasit* (de Latinis loquitur) *vt templum cum inuiolabili refugio impensis communibus Romæ extruerent, in quo singuli ciuitatum populi congregati quotannis priuata & publica sacrificia facerent, & mercatum exercerent statis temporibus, & si qua offensa, & controuersia inter eos fuisset orta, ex his sacris eam dirimerent, reliquarum ciuitatum arbitrio controuersiarum diuisionem permittentes.* Moxque paucis omissis subdit idem: *Itaque postea ex pecunijs, quas omnes ciuitates contulerunt, extruxit templum Dianæ, quod fundatum est in Auentino omnium Romanorum collium maximo. Et leges fœderis inter hos populos facti conscripsit, aliosque festi atque mercatus celebrandi ritus constituit. Quæ ne vetustate delerentur, æneam columnam fecit, in qua incidit concilij decreta, & nomina populorum, qui illi conuentui interfuerant.* Quam columnam Græcis characteribus inscriptam sua se ætate vidisse ipse Dionysius affirmat. Et ista fortassis publica priuataque sacrificia pridie Kalendas Aprilis celebrabantur, cum Ouidius canat. *Fastor. lib. 3.*

Hist. lib. 1. *In Seru. Tullio.* *Antiq. Rom. lib. 4.*

Luna regit menses. huius quoque tempora mensis
Finit Auentino Luna colenda iugo.

Confluentibus itaque Salonam diuersarum forsan vrbium incolis, eadem ibi peragebantur, quæ Romæ in templo Dianæ iam commemorato.

COLONIS INCOLIS] Colonos fuisse, vel Romanos, vel eos qui in Coloniam transferebantur; incolas vero primos illius ciuitatis habitatores, notius est quam vt multis probem.

COLONIÆ MARTIÆ IVLIÆ SALONÆ] Illyrij oppidum Salona fuit Diocletiani Imperatoris patria & delicium, Colonia Romanorum Plinio teste: *Salona Colonia ab Iadra* CC XXII. M. *Pass.* Eam à Cæsare deductam Sigonius credit, cum Salonia Iulia nominetur. Quod à ratione non videtur alienum, cum Cæsar ipse in suis commentarijs de M. Octauio Achaicæ Classis præfecto

Hist. Nat. lib. 4. cap. 22. *De Antiq. Iur. Prouinc. lib. 1. cap. 7.*

ĉto verba faciens, fateatur illos, qui Salonæ erant, à militibus Pompeij obſeſſos, à fide ſua non defeciſſe. *Conuentum Salonis cum neque pollicitationibus, nec denunciatione periculi permouere poſſet, oppidum oppugnare instituit. Eſt autem oppidum & loci natura, & colle munitum, ſed celeriter ciues Romani, cum eſſent infirmi ad reſiſtendum, propter paucitatem hominum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium deſcenderunt; ſeruoſque omnes puberes liberauerunt.*

De bello Ciuil. lib. 3.

PRO-

PROPE IAM DICTOS CORRADENOS IN TABVLA ÆNEA

HONORI
M.GAVI.M.F.
POB.SQVILLANI
EQ.PVB.IIII.VIR.I.D.
CVRATORI VICETINOR.
APPARITORES.ET
LIMOCINCTI
TRIBVNALIS.EIVS.

Hanc æneam antiquam tabulam inter adſcititias reponere voluimus, propter ea, quæ Pignorius habet in ſuo de Seruis, vbi ſcripſit ſe eam vidiſſe *apud* CAESAREM NICHESOLAM *patricium & Canonicum Veronenſem*; poſt cuius deceſſum ad Corradenos forte perueniſſe creditur. *Fol. 35.*

HONORI] Templi Virtuti & Honori à Marcello bello Gallico ad Claſtidium deuoti dedicationem pontifices impediuerunt: *quod negabant vnam cellam amplius quam vni Deo rite dedicari: quia ſi de cælo tacta, aut prodigij aliquid in ea factum eſſet, difficilis procuratio foret: quod vtri Deo diuina res fieret ſciri non poſset, neque enim duobus, niſi certis Deis rite vna hoſtia fieri.* Vnde virtutis *Liu. Hiſt. Lib. 27.*

ædes perfecta ab ipſo, ſed non dedicata. Verum M. Marcellus filius decimo ſeptimo anno poſt patris votum eam ad Portam Capenam dedicauit. Vnde ædes iſta à Marcello renouata, non de nouo erecta videtur: ſcribit enim Cicero: *Vides virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum: quod multis antea annis erat à Q. Maximo dicatum*. Ædeſque iſta forſan eſt illa, de qua Plinius: *Poſt eum fuere in auctoritate Cornelius Pinus & Actius Priſcus, qui Honoris & Virtutis ædes Imperatori Veſpaſiano Auguſto reſtituenti pinxerunt*. Sed aliam Virtutis & Honoris ædem conſtat Romæ fuiſſe Panuinij fide; at quonam in loco, *vel qua vrbis regione reponeretur, non liquebat*: vocabatur tamen *Ædes Honoris & Virtutis Mariana*: de qua ſic Feſtus: *Summiſsiorem alijs ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne ſi forte officeret auſpicijs publicis, augures eam demoliri cogerent*. Verum hoc monumentum Honori dicatum cognoſcitur ob virtutem in rebus bene geſtis M. Gauij Squillani.

Liu. Hiſt. lib. 29. — De Nat. Deor. lib. 2. — Hiſt. Nat. lib. 35. cap. 10. — De Vrb. Rom. — Lit. H.

POB.] Tribus eſt nota, quæ, ſi Roſinus recte monet, Poblilia, Poplilia, Popilia & Publilia fuit dicta: ſed fortaſſis Poblicia ac Publicia etiam; nam huius tribus meminit Liuius: *Eodem anno duæ tribus Pomptina, & Publicia additæ*. Hanc in ordine tribuum vigeſimam ſeptimam, Ruſticarum vero vigeſimam tertiam Roſinus conſtituit: eamque à progenetrice traxiſſe vocabulum auctor eſt Paulus in Feſtum.

Antiquit. Rom. lib. 6. cap. 19. — Hiſt. lib. 7. — Loco citato

SQVILLANI] De huius cognominis origine admodum debilis mihi coniectura eſt; Squillanus enim hic dictus forſan à corporis forma, quod adinſtar ſquillæ piſcis gibber eſſet; vel adinſtar ſquillæ cepæ caput protuberans haberet, aut vox eius ſonitu ſimilis eſſet exili tintinnabulo quod ſquilla communiter dicitur.

EQ. PVB.] Scilicet EQVO PVBLICO. Hi vere equites. Nam Feſtus ait: *equitare antiqui dicebant equo publico mereri*. Romanis equitibus primum equus publicus datus, anno ab V. C. CCCLI. qui teſte Liuio clarus fuit ob deuictos Veios: *Et equis certus numerus æris eſt aſsignatus. Tum primum equis merere equites cæperunt*. Equus publicus à Cenſoribus aſſignabatur, vt ex Liuio cognoſcitur: *Vt ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P. Ebutio emerita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, neue Cenſor ei equum publicum aſsignaret*. Verum ſicut Cenſoribus equum publicum aſsignare licebat, ita etiam ob aliquod flagitium, quod maximæ ignominiæ equitibus erat, equum adimere conceſſum erat. Idem Liuius de Cenſoribus qui enarrat equites poſt Cannenſem Cladem ſeruatos: *His ſuperioribuſque illis equi adempti, qui publicum equum habebant: tribuque moti ærarij omnes facti*. Et Gellius ſcribit: *Nimis pingui homini & corpulento Cenſores equum adimere ſolitos, ſcilicet minus idoneos ratos eſſe cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus*. His equitibus magna ſuorum e quorum cura incumbebat.

Lit. E. — Hiſt. lib. 5. — Hiſt. lib. 39. — Hiſt. lib. 24. — Noct. Attic. lib. 7. cap. 22.

bebat. Nam *si quis eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur*, eiusdem Gellij fide. Et hac de causa fortassis instituta Idibus Quintilibus à Q. Fabio transuectio fuit, quam Valerius probationem nominat, in qua teste Plutarcho, sedentibus in foro Censoribus, vnusquisque equitum equum suum adducebat. Tandem ad certum tempus eiusdem testimonio, munijs omnibus recte peractis & stipendijs confectis, equus Censoribus restituebatur. Vnde in Sesquiulisse Varro. *Noct. Attic. lib. 4. cap. 12.* *Lib. Hist. lib. 9.* *In Pompeio.* *Idem ibid.*

In castris permansi, inde caballum reduxi ad Censorem. *Satyr. fragm.*

CVRATORI] De Curatoribus iam dictum est. Verum quoad eorum institutionem hic opportune addendum duxi, quod M. Aurelius Antoninus *Curatores multis ciuitatibus, quo latius Senatorias tenderet dignitates, à Senatu dedit*, primusque fortasse hos instituit. *Iul. Capitol. in Anton. Philosoph.*

VICETINORVM] Vicetia, seu Vicentia, nam duobus hisce nominibus dicta fuit nobilissima hæc ciuitas, incolis clarissimis referta, quæ in Venetis reponitur à Plinio (*Venetorum autem Atheste, & Oppida Acelum, Patauium, Opitergium, Bellunum, Vicetia*) Gallos teste Trogo Pompeio, conditores habuit. *Cum in Italiam venissent* (de Gallis loquitur) *sedibus Thuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt*. Ceterum hæc ciuitas, quæ prius Vicane à Vicis centum ex quibus constabat auctore Iacobo Merciario, patriæ historiæ accuratissimo scriptore dicebatur, inde ob incolarum reportatam victoriam, Vicentia denominata fuit. Quod etiam in suis chronicis manuscriptis scribit disertissime ante Merciarium Baptista Paliarinus. *Hæc enim loca in quibus Galli Senones prima huius Vrbis fundamenta iecerunt Vicania dicebantur à centum Vicis qui in eis erant. Vnde Poeta, de nostra Vrbis denominatione sic ait.* *Hist. Natur. lib. 3.* *Epitom. Hist. lib. 20.* *Hist. Vicent. lib. 1.* *Paliarinus M.S. lib. 1.*

Nec Senones credas dixisse hac nomina nostris:
Antea Vicanos fama vetusta canit.

Cum paulo ante idem scripsisset: *Vincentiam itaque patriam nostram, in Cimbriam ni fallor à victis hostibus vocitatam fuisse legimus, iuxta illud Gallasij poetæ carmen.* *Idem ibid.*

Post victos hostes, libertatemque receptam
Hæc Vicentinis nomina dicta viris.

Romanorum municipium videtur fuisse Tacito. *Possessa ipso transitu Vicetia, quod per se parum (etenim modica municipio vires) magni momenti locum obtinuit.* Verum an hoc certum sit necne meum non est affirmare. Hoc vnum sit satis, quod municipium, vel colonia, vel fœderata Romanorum ciuitas fuerit; & descriptam eam in Menenia tribu antiqua monumenta declarent. *Hist. lib. 3.*

M. EN-

Grut. fol. 316. num. 8.

Sigon. De Antiq. Iur. Ital. lib. 3. cap. 3.

Manut. de Ortograph. Rat.

M'. ENNIVS. M'. F
MEN. VICETINVS
SCR. ÆD. CVRVLIVM
ARMENTARIVS. DECVRIAQ.
DECVRIO VICETIAE

APPARITORES] Apparitoris nomen quondam vniuerſale erat: ſub quo comprehendebantur omnes illi, qui circa magiſtratum apparebant. *Ideoque Apparitor nominatus, quod appareat, & videatur & præſto ſit ad obſequium*, vt Iſidoro placet. Propterea apud Iuriſconſultos reperitur apparitor magiſteriæ poteſtatis, apparitor cohortalis, apparitor vrbanæ ſedis, & ſimiles nonnulli. Sub hoc nomine etiam Roſini ſententia continebantur *Scribæ*, *Accenſi*, *Interpretes*, *Præcones*, *Viatores*, *Lictores*, *Serui publici*, *Carnifices*: & de horum aliquibus antiquorum teſtimonia extant.

Etymol. lib. 10. L. 33. C. de Appel. L. 12. C. de cohor. L. 2. C. De Appar. Præf. Vrb. Ant. Rom. lib. 7. cap. 48.

Apparitores eoſdem fuiſſe ac Lictores, Liuius affirmat, vbi de Romulo Rege ſic loquitur: *Cum cetero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus duodecim ſumptis fecit. alij ab numero auium, quæ augurio regnum portenderant, eum ſecutum numerum putant: me haud pæniteat eorum ſententiæ eſſe, quibus, & apparitores, & hoc genus ab Etruſcis ſcis finitimis (vnde ſella curulis, vnde toga prætexta ſumpta eſt) numerum quoque ipſum ductum placet, & ita habuiſſe Etruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederint*. Et de Conſulum etiam lictoribus habet idem: *Quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus*.

Hiſt. lib. 1.

Hiſt. lib. 2.

Præcones etiam apparitores fuiſſe vocatos, ex eodem Liuio facilis cognitio depromitur, cum de apparitoribus ad pignora capienda miſſis (quod eſt præconum proprium munus) hæc habeat: *Poſtquam citati non conueniebant, dimiſſi circa domos apparitores, ſimul ad pignora capienda ſciſcitandumque, num conſulto detrectarent*.

Hiſt. lib. 3.

Scribas in apparitorum numero comprehenſos oſtendit Cicero: *Quid ſibi autem illi ſcribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere video?* Viatores apparitores fuiſſe dictos ex Symmacho facile eſt colligere, cum ſcribat: *Benigne vt mos eſt tibi recurſum noſtrum miſſo apparitore inuiſti*.

Orat. pro Cluent.

Lib. 4. epiſt. 69.

Accenſos quoque in apparitorum numerum relatos intelligere ex Varrone licet: *Hoc idem Coſconius in actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum tum eſſe iubere, vbi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam*. Accenſoſque dictos vult, quia acciebant. Diſtinguebantur tamen à præcone, quia vt exquiſite Alex. ab Alex notat, accenſus ad concionem, præco ad comitia Quirites vocabat. Obſeruo tamen, quod Accenſus

De Ling. Lat. lib. 5.

Gen. Dier. lib. 1. cap. 27.

si etiam quædam militum species erant, vt notat idem Alexander, quæ *minimi roboris vel in fronte locata primos congressus excipiebat: vel in postremam aciem reijciebatur*. Verum accensi, qui in numero apparitorum habebantur, non nisi liberti erant Ciceronis fide ad Quintum fratrem: *Accensus sit eo etiam numero, quo eum maiores esse voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant, quibus illi quidem non multo secus ac seruis imperabant*. *Gen. Dier. lib. cap. 5.* *Lib. 1 epist. 1.*

Speculatores etiam apparitoribus annumeratos apud Symmachum intueor: *Ad huius inuestigationem missus apparitor, si Prætorianum adminiculum sortiatur, proclinior facultas retrahendi accusatoris eueniet.* *Lib. 2. epist. 75.* Et alio in loco: *Atque ideo apparitorem placuit postulari, qui peragratis vbique littoribus, explorata in aures nostras reportet.* *Lib. 6. epist. 33.*

Nostro quoq; æuo Augerij Gislenij Busbequij fide inter Turcas, illi qui Chiausi vocantur, *vicem accensorum apparitorumque implent*. Sed tandem in apparitorum gratiam libeat hic duas antiquas imagines exhibere, in vestibulo Cœmeterij Basilicæ Cathedralis ex vtroque latere sitas; quæ cum penulatæ appareant, forsan apparitorum antiquorum formam præseferunt. *Legat. Turc. epist. 1.*



LIMOCINCTI] Fuit *Limum cingulum, quo ſerui publici cingebantur, obliqua purpura*, vt Iſidorus auctor eſt, deſumpto vocabulo, vt idem oſtendit à limitibus: *nam tranſuerſa omnia antiqui lima dicebant*. Ideo Seruius ad illud Virgilij

Etymolog. lib. 15. cap. 14.

Velati lino, & verbena tempora vincti

Aeneid. lib. 12.

notat; *Caper tamen, & Higinus hoc loco dicunt lectionem eſſe corruptam, & Virgilium ita reliquiſſe confirmant* velati limo. *Limus autem eſt veſtis, qua ab vmbelico vſque ad pedes popæ tegebantur: hæc autem veſtis habet in extremo ſui purpuram limam, id eſt flexuoſam, vnde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus*. Quæ omnia confirmat accuratiſſimus Turnebus in ſuis aduerſarijs; *Higenus de limit: agror: Limum cinctum ideo dixit vocatum, quod purpuram tranſuerſam habeat: habebat enim in extremo purpuram limam*. Ex quibus facile erit conijcere Limocinctos fuiſſe ſeruos publicos, veſte ab vmbilico ad pedes purpuram in extrema ſui parte obliquam habente indutos; ſiue hi Popæ, ſiue Lictores fuerint, quorum indumentum ſimile erat ex Gellij obſeruatione; *Tiro Tullius M. Ciceronis libertus Lictorem vel a limo, vel a licio dictum ſcripſit. Licio enim tranſuerſo, quod limum appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrabant, cincti erant*. Verum de Limocinctis fuſe & erudite Pignorius ad hanc tabulam in ſuo de Seruis tractatu.

Lib. 11. cap. 1.

Noct. Attic. lib. 12. cap. 3.

TRIBVNALIS EIVS.] Tribunal inter magiſtratuum antiquorum inſignia ex Prudentio obſeruo.

In Periſteph.

Hæc ipſa veſtra dignitatum culmina
Quid eſſe cenſes? nonne curſim tranſeunt
Faſces, ſecures, ſellæ, prætextæ, togæ
Lictor, tribunal, & trecenta inſignia
Quibus tumetis, moxque detumeſcitis?

Tribunal Iſidorus a tribubus denominatum ſcribit, quia ad illud tribus conuocarentur; eratque locus ſublimis & editus, in quo conſidentes magiſtratus ius dicebant, ad reuerentiam & terrorem ſimul inducendum iuuentus, vt de tribunali Pauli Æmilij in Macedonia demonſtrat Liuius. *Aſſuetis regio Imperio, tamen nouum forma terribilem præbuit tribunal, ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia oculis auribuſque, quæ vel ſocios, nedum hoſtes victos terrere poſſent*. Non omnes tamen magiſtratus tribunali vtebantur. Aliorum enim tribunal, aliorum ſubſellia erant, vt ex Aſconij noſtri obſeruatione fas eſt animaduertere. *Sunt enim ſubſellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum, & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant*. Ex quibus Curatoris magiſtratum ſublimioris dignitatis fuiſſe iudico; cum tribunali, non autem ſubſellijs vſus fuerit. Sed erudite de Tribunali Briſſonius.

Etymolog. lib. 15. c. 4.

L. ven. ff. de Iuſt. & Iur.

Hiſt. lib. 45.

In Diuin. Cicer.

De Verb. ſignif. lib. 18.

IN-

IN ÆDIBVS IACOBI PHILIPPI TOMASINI ÆMONIÆ EPISCOPI.

TOmasinam gentem Patauij honestissimo loco habitam quam illustrauerint omni æuo viri doctrina & religione clari, cunctis adeo est apertum, vt superuacuum foret, ea quæ de ipsis in clarorum virorum elogijs Iacobus Philippus Tomasinus, Vigilantissimus Æmoniæ præsul, vere ac sine iactantia vulgauit, hoc loco repetere. Mihi satis itaque erit indicare summum hunc virum animi cultu clarum, optimis moribus imbutum, exquisita eruditione exornatum, Patriæ nostræ gloriam, ac Reipublicæ literariæ ornamentum, inter cetera id sibi curæ habere, vt veterum monumenta ab obliuionis iniuria vindicet, atque ideo ex Istria isthæc fere deperdita & proiecta suis in ædibus posteritati sacrasse.


I

FORTVNAE FANVM
AB. C. VIBIO. VARO. PATRE. INCHOATVM
Q. CAESIVS. MACRINVS. PERFECIT. ET DEDICAVIT


II

HISTRIAE FANVM
AB. C. VIBIO. VARO. PATRE. INCHOATVM
Q. CAESIVS. MACRINVS. PERFECIT. ET DEDICAVIT


III




IIII




IIIII



VI




VII




VIII



VIIII



X



11.

FELIX EST
HIC SITVS
MAERCIA C.F.
TERTIA
POSIT

1. FORTVNAE FANVM] Non quidem Fortunæ Fanum, quod est oppidum ad Adriatici maris littus, in Piceno hodie Marchia Anconitana, seu in Vmbria, vt mauult Plinius ad Metauri ripas, sic nuncupatum à pulcherrimo fano Fortunæ ibi erecto; sed fanum aliquod in Istriæ oppido florentissimo, cui nunc nomen est *Rouigno*, forsan à C. Vibio Varo Fortunæ erectum. Siquidem duo hæc saxa, ex foro piscario vbi erant, non vulgari pretio ad se deportari Tomasinus curauit.

Cosmogr. Mer. p. 2. lib. 4. cap. 23. Histor. Nat. lib. 3. cap. 14.

FANVM porro diuersum à sacello, delubro, ac templo Nonius demonstrat. Sacellum enim paruulum ædificium Dijs consecratum esse dicit; Delubrum, in quo homines piacula sua diluunt (ponunt enim vel pileum, vel scutum, vel alia suscepta votis) Templum in loco augurato situm; Fanum Fauno consecratum locum ostendit. Sed Asconius noster in commentario in Verrem de prætura Vrbis dicit *Fanum religiosissimum templum, vnde fata peterentur.*

VIBIO] Vibia gens plebeia varios consules habuit, Vibiumque istum Varum de quo in monumento. Etsi vero non sit manifestum, ex literarum tamen forma, quarum elegantia Augusti æuum denotat, suspicari licet, esse eum, qui M. Lepidi Legatus extitit, & qui in ipsius honorem nummos cudit aureos & argenteos, vt apud Fuluium Vrsinum in familijs Romanorum, & Adolphum Occonem in numismatibus aperte videre licet.

VARO] Vari cognomen vitium in cruribus ipsi peperit; qui enim obtortis erant plantis Vari cognominabantur.

CÆSIVS] Cæsiam gentem, quæ nunc etiam Romæ gloriosissima durat, à cæsio colore nomen desumptum habuisse Panuinius notat. Hæc quantis Consulibus emicuerit, abunde liber de Gente Cæsia inscriptus patefacit.

MACRINVS] Cognomen à Macro deriuatum, vt antiquorum mos fuit, atque ex corporis habitu desumptum omnes cognoscunt.

2. HI-

2. HISTRIAE FANVM] Non tantum Dijs Deabusque suis antiqui fana erexerunt, Sacerdotesque decreuerunt, verum etiam ciuitatibus, colonijs, municipijs, prouincijsque ipsis templa dedicauerunt; vt passim antiqui lapides testantur. Colonia enim Agrippinæ legitur. Grut. fol. 599. n. 10.

CASSIVS
VELARIVS
FANIS . GER . P.
COA. CTI. XXVIIII
EX . TA . COIVX

Quas notas GER. P. in indicibus ad Gruterum Scaliger legit GERMANIAE PROVINCIAE. Flaminem pariter Prouinciæ Lusitaniæ demonstrat Emeritæ Augustæ saxum. Grut. fol. 227. n. 6.

DIVO . AVGVSTO
ALBINVS. ALB. F. FLAMEN
DIVAE. AVG. PROVINCIAE
LVSITA

Ita Flaminicæ municipij Eborensis, & Prouinciæ Lusitaniæ monumentum Eboræ visitur. Grut. fol. 323. n. 7.

LA-

LABERIAE L. F
GALLAE. FLA
MINICAE. MVNIC
EBORENSIS. FLA
MINICAE. PROVIN
CIAE. LVSITANIAE
L. LABERIVS. ARTEMAS
L. LABERIVS. CALLAECVS
L. LABERIVS. ABASCANTVS
L. LABERIVS. PARIS
L. LABERIVS. LAVSVS. LIBERT

3. Hanc tabellam æneam tertio loco poſitá, foraminis indicio honoris forte ſeu voti gratia ſuſpenſam, dono accepit cum monumentis ſequentibus, quinto & ſexto, doctiſſimus Tomaſinus à nobiliſſimo & eruditiſſimo Equite Caſſiano à Puteo, viro ſanguine, animo, doctrina eximio, ac vere literatorum Mecœnate anno M DCXLII. quum ad infulas Epiſcopatus Aemonienſis recipiendas ſe Romam contuliſſet.

PETRONI] Petroniam gentem quamuis e Sabinis oriundam inter plebeias tamen refert Panuinius, eamque à Petronis prænomine Petroniam dictam vult. In ea recenſentur conſules, Paſſeres, Sabini, Turpiliani cognominati. Iſtum vero Petronium Probum fortaſſis ex Aniciæ clariſſimæ fœminæ matrimonio in Aniciam gentem adoptatum ſuſpicor, quum apud Auſonium legam.

Panu. de Antiq. Nom.

Epiſt. 3.

Vt hic aui patris decus
Miſto refulgens ſanguine
Probianoque ac Anicio.

Nam-

Namque eum ipsum credo, quem fasti anno V.C. M.CXX. consulem designant.

IMP. CAES. FL. GRATIANVS PIVS FELIX AVGVST. II *Fastor. lib.3.*
SEX ANICIVS. SEX. F. PETRONIVS PROBVS. V. C.

Hunc Panuinius in commentario tertij Fastorum virum inter priuatos maximum, & post Augustos primum nominat. Et Ausonius *Loco cit.*

Qui solus exceptis tribus
Heris, heroum primus est
Pretorioque maximus.
Dico hunc senatus præsulem
Præfectum eundem, & consulem;
Nam consul æternum cluet.
Collegam Augusti consulis,
Columen curulis Romulea
Primum in secundis fascibus.

Nec multo post subdit.

Stirpis nouator Anicia
Paribusque comit infulis,
Aniciorum stemmata.
Probum loquor, scis optime.
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudauerit.

Et Claudianus.

Viuit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi, quam non ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteosque recessus.
Audijt &, gelido si quem Mæotica pascit
Sub Ioue, vel calido si quis coniunctus in axe
Nascentem te, Nile, bibit.

Huius tanti viri Romæ in domo Cæsia duo monumenta extare, Panuinius & Gruterus tradunt. *Comment. in 3. Fast. Fol. 451.n. 2. 3.*

V.C.] Hoc est VIRI CONSVLARIS; vel vt alijs placet VIRI CLARISSIMI, quod forte melius: siquidem non tantum senatores, sed prouinciarum præsides clarissimi etiam dicti fuerunt. Isque dicendi modus Panciroli sententia à Constantino introductus fuit. Cum vero sub Heliogabalo, vt mox videbimus, etiam fœminas clarissimas dictas appareat, hunc titulum longe ante Constantini tempora vsurpatum credo. *Comment. in Notit. Dignit. Vtriusq; Imper.*

ANICIE] Mulieris nomen ex gente Anicia, plebeia quidem, sed olim consulari: in qua Consul cognomine Gallus: & Imperatores duo, FL. Anicius Maximus, & FL. Anicius Olybrius; si tamen ex hac gente *Fastor. lib. 3.*

Hh longe

longe clariſsima fuerunt.

C. F.] Nempe CLARISSIMAE FOEMINAE) Fœminæ quippe, vt dixi, clariſſimæ vocari cœperunt ſub Antonino Heliogabalo. Ita Lampridius: *Deinde vbi primum diem ſenatus habuit, matrem ſuam in Senatum rogari iuſsit. Quæ quum veniſſet, vocata ad conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit, id eſt. Senatusconſulti conficiendi teſtis: ſoluſque omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier quaſi clariſsima loco viri Senatum ingreſſa eſt.* Senatorum vero filiæ clariſſimæ non dicebantur, niſi viris clariſſimis nuptæ; atq; hunc titulum obtinebant, cum Senatori, vel Clariſſimo iungerentur, vel ab ijs ſeparatæ in thorum inferiorem non tranſirent.

In Anton. Heliog.

Vlpian. l. 8. ff. de Senator.

ANICIIS OLYBI ET PROBINI] Iam nominati Sex. Anicij Petronij Probi V. C. filij, raro exemplo ſimul Conſules in faſtis deſcribuntur: nimirum in Panuinianis ad annum Chriſti CCCXV. tali pacto.

Faſtor. lib. 3. & com. in eod.

SEX ANICIVS SEX. F. HERMOGENES OLYBRIVS. V. C.
SEX ANICIVS SEX. F. PROBINVS V. C.

Hei fratres germani fuerunt.

De iſtis Claudianus in elegantiſſimo Panegyrico, in eorum conſulatum concinnato

O bene ſignatum fraterno nomine tempus!
O conſanguineis felix autoribus annus!

VVCC] Id eſt VIRORVM CLARISSIMORVM

Obſeruo in hac tabella ruditatem & imperitiam ſeculi, cum nulla adſit interpunctio, qua nomina, & ſingulares litteræ diſtinguantur; atque ANNICIE PROBE, pro ANICIAE PROBAE extet: mendum prætetea fabrile: nam OLYBRI, non autem OLYBI ſcribendum erat mea opinione.

4. Fragmentum æneæ tabulæ, quod quarto loco ſpectatur, inuentum fuit in Iſtria prope caſtrum vulgo *Rozzo*, in hortis Simeonis Grebbij Sacerdotis, anno ſalutis MDCXLVII, à quo hoc ipſum Præſul Tomaſinus accepit, Patauiumque tranſtulit in ſuum muſæum. Quæ vero deſint, non ita facile conijcere licet. Poſſet tamen aliquis cogitare, corporatorum ordinem, ſeu collegiorum exhibitam fuiſſe ſpeciem, vt antiquitus obſeruabatur. Corruptam autem ſeculorum diuturnitate hanc tabellam, informes literæ ſatis ſuperque declarant.

Familiarum nomina, quæ in ea leguntur, in Italia claruiſſe credibile eſt; ſiquidem teſtimonio diligentiſsimi Tomaſini in Æmonienſi hiſtoria, quæ lucem expectat, LAEPOCAE gentis in hac tabula nominatæ, non vnicum reperitur monumentum; maximeque in parietibus Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis, vnico in lapide ſub duobus capitibus hæ duæ inſcriptiones obſeruantur.

LAE-

L AEPOCA DOM
MI F. REG. . .

LAEPOCA . MET
LLI. F. TVIA
METELLVS. LAEPO
CVS SVRI. F

Duo æneí annuli qui succedunt, in sigilli fortassis vsum olim adhibiti, nomen, vt videtur, heri continentes, sunt ij, quos Patauinum Tomasinus retulit, munificentia, vt iam diximus, Illustrissimi Equitis Cassiani à Puteo.

4. LEOPARDVS] Habet illorum annulorum primus. Nomen simile reperio apud Christianos primi æui ex Roma subterranea Italice conscripta, ac anno iubilæi M DCL. typis commissa. Ibi enim in Basilica Diui Pauli tale monumentum designatur. *Lib. 3. cap. 4.*

LOCVS PVPE XORTACI
LOCVS FELICITATES
L E V P A R D V S
SE BIBV FECIT
SABBATIVS DEP. NONIS DECB.
DOR . IN . PACE

Sed nec ignotum Patauij aliquando LEOPARDI nomen fuisse, obseruo in diplomate illo membranaceo antiquo; in quo bonorum donatio legitur ab Opilione V C. Diuæ Iustinæ facta, ac testis quidam Leopardi nomine nuncupatus, sic subscriptus deprehenditur *Ex Archiu. Canob. D. Iustinæ.*

EGO LEOPARDVS ROGATVS.

Quinque reliqua monumenta ex Istria Patauium transferri curauit Tomasinus, ne iniuria temporis interirent. Sed quatuor prima inferioris fuisse æui, literarum informitas declarat aperte; omnia autem ista Abrigæ in ditione Parentij haud ab isto procul inuenta fuerunt.

7. IANVRIVS] IANVARIVS ni fallor legendum. Quod suadet mater IANVARIA cognominata; sed fabrili impetitiæ, seu ruditati æui, iste forsan error est imputandus.

ADIVT. TABV.] Nempe ADIVTOR TABVLARII, seu TABVLARIORVM. Adiutoris nomine recipiebatur, qui alicuius vices gerebat. Cassiodorus: *Adiutor etiam magistri nostris præsentatur obtutibus, vt* *Variar. lib. 6. n. 7.*

Hh 2 *vica.*

vicaria forte beneficij eligamus eius præſidium, qui nobis præſtat fidele ſolatium. At non tantum in officijs, ſed quacunque in re, qui alicui præſto erat opemque ferebat, ſub nomine adiutoris fuiſſe comprehenſum colligo. Sic Terentius emptionis adiutorem prodit.

Adelph. Act. 5. ſcen. 9. *Poſtremo hodie in pſaltria emunda hic adiutor fuit*
Hic curauit.

Apud Plautum etiam, qui amori alicuius opitulabatur, adiutorem dictum noto.

Aſin. Act. 1. ſcen. 1. *Tune es adiutor nunc amanti filio?*

Verumenimuero adiutores officij leuandi cauſa dabantur, qui vel ægritudine præpeditis, vel multitudine negotiorum obrutis opem ferrent. Hinc apud iuriſperitos reperiuntur Adiutores ſacræ memoriæ, Adiutores magiſtri officiorum, Adiutores Ducum; Adiutores vero vrbanæ ſedis, & vrbani officij apud Symmachum inuenio. Adiutorem inſuper officijs Præfecti Prætorio accenſet Pancirolus in comment. ad Notit. vtriuſque Imperij, vbi fuſius de adiutore, cuius titulus vltimo æuo Primicerij erat.

L. 10. C. de Numer. atque lib. 12. L. 3. C. de Diuerſ. offic. lib. 12. L. 5. C. de Princip. agent. in reb. lib. 12.

Adiutoris equidem origo incerta mihi, ſed antiqua eſt ſatis, cum apud Liuium legam Adiutorem P. Scipioni datum Africam petenti: *Ad eas copias quas ex vetere exercitu Hiſpania habebat, quæque à Puteolis cum Claudio Nerone traiectæ erant, decem millia peditum, & mille equites adduntur, & M. Iunius Syllanus Proprætor adiutor ad res gerendas datus eſt.* Adiutor porro ſub ſe ſubadiuuas habebat: ſic enim appellabantur, qui adiutoribus ex eorum arbitrio opem ferebant. Nam cum inter cetera adiutoris munera vnum eſſet criminis reos cuſtodire, hoc in negotio pluribus ſubadiuuis egebat.

L. 18. C. de Re Milit. lib. 12. Lib. 10. Epiſt. 43. Capit. 12. Hiſt. lib. 26. Comment. in Notit. vtramque cap. 12. & 16.

TABVLARII nomine intelliguntur apud iuriſprudentes, qui teſtamenta publica teſtationeſque conſcribunt. Tabularios Cuiacius iuris conſultiſſimus vir, extraque leguleiorum conditionem ſublime emicans, hoc modo definit: *Tabularij dicuntur, qui ciuitatum aut prouinciarum chartas & rationes tractant ac ſupputant; qui præſunt tabulario ciuitatum, in quo pleraque publica & priuatorum reconduntur, veluti debitorum chirographa, ſignatæ pecuniæ.* Quæ omnia diuerſis legibus ſunt confirmata: vnde mox ſubdit: *In rebus tamen priuatorum plerunque adhibebantur, vel vt pro imperitis literarum ſcriberent, aut ſubſcriberent, vel vt pro ſtipulari nequeuntibus ſtipularentur, quaſi perſonæ publicæ.*

L. 3. §. ſi tabul. ff. de tabul. exhib. L. 11. Cod. qui pot. pign. Ad L. 15. C. de De cur. lib. 10.

Porro tabularios inter ſeruos publicos vrbanæ familiæ refert Pignorius; nam tabularios ſeruos fuiſſe publicos demonſtrat Capitolinus: *ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales, illis actibus intereſſent.* Et multo prius Liuius noſter: *Cenſores extemplo in atrium libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam publici negotij geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.*

De Seruis fol. 152. In Gord. Trim. Hiſt. lib. 43.

eſſet. At ſerui publici tabularij extiterunt vſque ad Arcadij & Honorij Imperium. Eo enim tempore conſtitutione ſancitum eſt, vt nulli deinceps ad id officium pateret aditus, qui obnoxius eſſet ſeruituti. In prouincijs vſq; ad Antonini Philoſophi tempora Tabulariorũ nomen ignotum fuiſſe, ex Capitolino colligere licet: *Per prouincias tabulariorum publicorum vſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos ærarij, vt ſi forte aliquis in prouincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret*. Etenim apud Præfectos ærarij oportebat, vt paucis idem ante ſcripſerat, *vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem nomine impoſito*. L. 3 5.7.8. C. Theod. de Numer. act. In Anton. Philoſ.

Tandem tabularij pro diſcrimine officiorum varijs nuncupari nominibus erant. Nam Caſſiodorus tabularium à cubiculo, qui noſtris eſt forſan *il Segretario*, ſic deſcribit: *Hanc quoque partem non æſtimes negligendam, vt ſi hoc, quod tabularius à cubiculo noſtro ſuſcepit, rationabiliter non docetur expenſum, ab iniuſto detentore reddatur*. Et in Notitia Imperij Orientis & Occidentis ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Caſtrenſis obſeruo *Tabularium Dominicum*, *Tabularium Dominæ Auguſtæ*. Primus rationes ſumptuum quotidianarum in epulas Principis & aliorum factas conſcribebat: ſecundus omnia, quæ ad Auguſtam pertinebant, in ſimili negotio diligenter curabat. Var. lib. 5. num. 14. Cap. 91. Cap. 4. Pancirol. Cõment. in Notit. cit. locu.

8. SABNA] Fabrile mendum ſuſpicor pro SABINA: quo nomine dicebatur illa mulier, quæ Deos colebat. Feſti enim teſtimonio *Sabini à cultura Deorum dicti, id eſt*, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι.

9. PARTHENOPEO AVG.] Lego PARTHENOPEO AVGVSTALI vel AVGVSTANO. Auguſtales enim ſacerdotes Auguſto dicatos fuiſſe, atque à Tiberio inſtitutos vidimus. Sed Auguſtani milites quidam fuerunt à Nerone primum conſcripti. Tacitus: *Tuncque primum conſcripti ſunt equites Romani, cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui, & pars ingenio procaces, alij in ſpe potentiæ*. Hi cuius conditionis ordiniſque fuerint, accuratius deſcribit Tranquillus. *Neque eo ſegnius adoleſcentulos equeſtris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robuſtiſsimæ iuuentutis, vndique elegit, qui diuiſi in factiones plauſuum genera condiſcerent (bombos, & imbrices, & teſtas vocabant) operamque nauarent cantanti ſibi, inſignes pinguiſsima coma & excellentiſsimo cultu pueri, ac ſine anulo læues: quorum duces quadragena millia H-S merebant.* Quos Auguſtanos fuiſſe dictos paulo inferius commonſtrat, Nerone ipſo e Græcia, vbi in Olympicis cecinerat, redeunte. *Sequentibus currum ouantium ritu plauſoribus Auguſtanis, militeſque ſe triumphi eius clamantibus*. Parthenopeus itaque iſte vel Auguſti fuit Sacerdos in Iſtria, qui Auguſtalis nominabatur, vel Auguſtanus miles, ex inſtituto Neronis. Annal. lib. 14. In Neron. cap. 20. In Neron. cap. 25.

DISPVERNE FESTA] Quod forſan eſſe voluit DISPVERNA.

NA, seu melius DISPVERNEA FESTA: hocque fabrili imperitia mendum illapsum credo; nam quid DISPVERNE cum FESTA?

CONIVNCX] Inepte meo iudicio ac mendose, cum CONIVX rectius scribatur.

II. Postremum hoc monumentum, quod gradus loco seruiebat Æmoniensis ciuitatis cisternæ, Tomasinus cum ceteris Patauium deportari curauit.

MÆRCIA] Hanc gentem in illa prouincia non vulgarem fuisse, mihi persuadet tabula ænea, quam superius expendimus, ex Istria allata; cui inscriptum

SABINA LÆVICA MERCII. F.

POSIT] Loco POSVIT, si non mendose sculptum.

IN

IN ÆDIBVS SVPERANZIORVM NOBILIVM VENETORVM.

POst S. Maximi, ædes hæ occurrunt, in quibus multa antiquitatum rudera, e Græcia huc translata visebantur; vt numina fluminum iacentium cum vrnis; columnarum magna fragmenta, tabula è nobilissimo marmore, in qua videbatur sculptus vir togatus, capite & pedibus nudis deambulantis specie (consulis forsan): aræ in quibus mulierum choreæ & alia huiusmodi lustrabantur. Istis omnibus Venetias denuo translatis, nihil reliquum est præter duas in peristylio horti tabulas, ex aduerso locatas.



1. Si

1. Si hoc monumentum Latine ſonat

GLAVCE GLAVCI FILI


BONE SALVE

vtique fabrili imperitia KEPE peruerſe ſculptum eſt; ſiquidem AI non autem E vbique a Græcis ſcribitur, vt in monumentis obſeruatur.

IN AEDIBVS AVCTORIS

Monumenta, quæ hic ſecundo, quarto, & quinto loco ſuccedunt, ex Aquileiæ ruderibus mea cura Patauium tranſlata, in viridarij mei parietibus videntur; cetera meum muſæolum exornant.

1.



2.

Q. GAVIVS. Q. F.
AQVILA DECVRIO
TR. MIL. . . A POPVLO
HORTIA C. F. SECVNDA
VXOR
GAVIA . . . . . . FILIA


3.

L. GRANI. PRISCVS.


4.

L I B E R O
ET LIBERÆ
SACRVM
P. GAVIVS
ASPECTVS
VI VIR
IMPERIO
POSVIT

5.



6.



1. Duo primi delineati æneі tubuli, in latifundijs reperti, quæ ampliſſima poſſidet Aquileiæ, eo loco vbi olim ciuitas fuerat, Comes Ioannes Ioſephus de Straſſoldo conſanguineus meus, vir totius Fori Iulij nobiliſſimus ſimul ac ſplendidiſſimus, flagranti omnium gratia valens, anno MDC XLIV. eruti fuerunt, eiuſque munificentia ad me peruenerunt: teſtiſque oculatus eſt illuſtriſſimus ille vir, totum eum locum, vbi iſti effoſſi fuerunt, ſimilibus innumeris vndique obſitum eſſe.

AQ. DEMET. F.] Hæc à me ſic leguntur: AQVAEDVCTVM DEMETRIVS FECIT, ſeu FVDIT, aut DEMETRII FORMIS: non enim abs re mihi videtur, ſi figuli tegulis nomen imprimebant ſuum, fuſores etiam in ſuis operibus nomen deſignaſſe.

2. Monumentum hoc in via quadam effoſſum, beneficentia Illuſtriſſimæ Doralicis de Maniaco anno ſalutis MDC XLIV. Abbatiſſæ Religioſiſſimarum Monialium Aquileiæ mihi conceſſum fuit.

TR. MI. A. POPVLO] Hoc eſt, TRIBVNVS MILITVM A POPVLO. Nam Romæ lege ſancitum fuerat, vt populi ſuffragio Tribuni militares crearentur, teſte Alex. ab Alex. Vnde & Aquileiæ, quæ, vt monui, Colonia Romanorum fuit, forſan Romano more à populo Gauius iſte Tribunus militum creatus fuit.

Gen. Dier. lib. 6. c. 18.

3. Tertio hoc loco tegulæ fragmentum eſt poſitum, pariter ab Aquileiæ monialibus dono mihi datum: in quo non quidem inſculptum, ſed crudæ inſcriptum teſtæ conſpicitur L. GRAN. PRISCVS. Iſtud figuli nomen non credo; cum Grania gens tametſi plebeia, conſularis à Panuinio ſignificetur; in qua Conſul Flauij cognomine ab ipſo recenſetur. Nomen quoque iſtud ingenui, non ſerui videtur; nam ſeruis prænomen & cognomen, dum in ſeruitute manebant, non indebatur. Huius itaque viri ſepulturam verius, quam figuli nomen indicare credo verba illa

LVCIVS GRANIVS PRISCVS

quæ in tegula truncata ſunt.

4. Hoc pulcherrimum votiuum monumentum quadrato lapidi inſculptum, ex ædibus, quas Aquileiæ Comes Ioānes Ioſephus de Straſſoldo ſupra nominatus poſſidet, Patauium in noſtras, vbi nunc aſſeruatur, vna cum ſequentibus tranſportari curaui, anno præſenti MDCLII. ne ſingularis tum aliorum, tum elegantiſſimi huius tituli memoria miſerrimam ampliſſimæ illius ciuitatis fortunam ſubiret.

LIBERO] Numen ex Cerere natum, Proſerpinæ frater, de quo Cicero, cum de Libero Semeles ac Iouis filio agit: *Hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem noſtri maiores auguſte ſancteque Liberum cum Cerere & Libera conſecrarunt: quod quale ſit, ex myſterijs intelligi poteſt. Sed quod ex nobis natos, liberos appellamus, idcirco Cerere nati, nominati*

De Nat. Deor. lib. 2.

minati sunt Liber & Libera: quod in Libero seruant, in Libera non item. Isti cum matre & sorore vnicam fuisse ædem Romæ, ex Liuio innotescit; siquidem Romani legem fecerunt: *Sanciendo, vt qui Tribunis Plebis, Ædilibus, Iudicibus, Decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset: familia ad ædem Cereris, Liberi Liberaque venum iret.* Vnde & communia istis erant dona. Nam Liuij fide, cum Acilius Glabrio, & C. Lælius ludos Romanos, & plebeios Romæ magnificentius & lætius instaurarent celebrarentque, *ex argento mulctatitio tria signa ænea Cereri Liberoque & Liberæ posuerunt.* Quapropter etiam supplicationes communes habebant: nam *Supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberaque fuit, quod ex Sabinis terræmotus ingens cum multis ædificiorum ruinis nuntiatus erat:* prout idem Liuius refert.

Hist. lib. 3. *Hist. lib. 33.* *Hist. lib. 41.*

LIBERÆ] Hoc est PROSERPINÆ. Proserpinam namque Liberam fuisse dictam, eamque esse, quam Cereris filiam, & Liberi sororem diximus, ex Cicerone satis aperte cognoscitur: *Vetus est hæc opinio Iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis, atque monimentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam. hoc cum ceteræ gentes arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, vt animis eorum insitum, atque innatum esse videatur. Nam & natas esse has in his locis Deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur: & raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore. &c.*

In Verrem 6.

Non vnicam tamen apud antiquos Liberam Deam obseruo. Ouidius enim Ariadnam quoque Liberi vxorem, Liberam dictam vult in Fastis, vbi Bacchum ita loquentem introducit. *Lib. 3.*

Tu mihi iuncta thoro, mihi iuncta vocabula sumes:
Nam tibi mutata Libera nomen erit.

Quod si verum est, affirmare non audeo, Liberone & Liberæ Cereris filijs, an Baccho & Ariadnæ hoc fuerit monumentum dicatum.

IMPERIO] Antiqui non tantum *iussu: ex visu: monitu: visu moniti: ex precepto: ex oraculo,* verum etiam *Imperio Deorum* ad erigenda votiua monumenta compellebantur, vti sparsim & fuse in absolutissimo Gruteriano opere videre licet.

5. Duo hi sequentes tituli in pulcherrimis cippis ex candidissimo marmore elaboratis leguntur; in quibus literæ optimi seculi visuntur: ambo pariter ex Aquileiæ ruderibus ad me deuecti sunt. Quintum hoc monumentum possideo beneficentia Dominici Pini Aquileiensis Cathedralis Mansionarij, humanissimi simul ac religiosissimi viri: erutum autẽ fuit duobus abhinc annis è palustri solo, de quo à felicioris eruditionis viris sententiam anxie exspecto: imbecillitas enim mei ingenij tantum sibi non confidit, vt suum iudicium detegere audeat.

6. Sextum hoc saxum donauit mihi Ioannes Maria Stabilis Aquile-

iensis Basilicæ Sacrista, vir ingenio miti ac mansueto, tum summa pietate clarus. Effossum fuit anno MDCLI. prope templum Diuo Stephano dicatum.

L. M. FLAVIORVM] Nempe LOCVS MONVMENTI FLAVIORVM. Vidimus sectione huius libri secunda, sepulcra alia publica fuisse, alia priuata; priuataque alia familiaria, alia hereditaria; hoc autem saxum gentilicium sepulcrum nobis designat, id est sepulcrum destinatum toti genti FLAVIAE, quod abunde ostendere valent notæ illæ vltimæ

Q. Q. V. P. L.

quæ ab omnibus notarum antiquarum explanatoribus leguntur

QVOQVOVERSVS PEDES QVINQVAGINTA

quæ certe cum magnum denotent ambitum, vni familiæ & heredibus aliquibus superfluum, meæ coniecturæ veritatem validissime firmant.

SER-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO VII.

ASPORTATA.

MVlta antiqua saxa, quæ aliquorum diligentia, vel in ciuitate eruta, vel aliunde huc allata custodiebantur, nescio quo fato extra ciuitatem, aut etiam extra ditionem regionemque deportata fuerint: quorum tamen memoria ne penitus interiret, & ne quid patriæ gloriæ detraheretur, ea in vnam redigenda seriem, atque ita septimæ huic sectioni locum dandum esse censui.

ATESTE

IN ÆDIBVS GEORGII CONTARENI PAT. VENET. ET SENATORIS EXIMII.

PAtauij itaque in ædibus Francisci Quirini Patricij Veneti ad portam omnium Sanctorum Scardeonio auctore monumenta infrascripta conseruabantur. Quæ tractu temporis primum Ioannes Baptista Rhamnusius, monumentorum eo æuo studiosissimus, in suas ædes retro ad aulam Præfectitiam, in vicum Patriarchatus nomine insignitum transtulit: inde nonnulla vlterius Ateste commigrarunt, cura Georgij Contareni Patricij ac Senatoris Veneti antiquitatum cultoris eximij: qui ædes, quas pulcherrimas, nullis sumptibus aut laboribus parcendo, ibidem extruxit, illis exornari curauit.


I
V· F
C·TVRRANIVS
SECVNDI·LIB
EVANTHVS
CONCORD.
C·TVRRANIO
PANTAGATHO·ET
C·TVRRANIO
EVTYCHO
LIB OPT.
II
FORTVNAE
AVG· SACR.
C·OPETRIVS
PHILETVS
V·S·L·M
III
M· ENNIVS
M·L·ESYCHVS
GALATEAE SVAE
Jo. Georg. sculps.

DOMI.

4.

DOMITIA . D . L.
PROBA
SIBI ET
DOMITIÆ
THALLVSÆ
SORORI ET
ÆTHONI
SORORIS . F
V . F
H. L . S. H . N. S.

5.

V.F.S. ET. S.
L . TERENTIVS
ACVTVS
CONC. AVGVST.
L. TERENTIO
OPTATO FILIO
CONC.
TERENTIÆ
SATVRNINÆ
L . VXORI
CÆSIÆ L.
LVCANO LIB.
PVDENTI LIBERTÆ

6.

VIVIS . F.
SEX . VETTIVS
FIDELIS
SIBI ET AXIÆ Ɔ. L.
AMABILI
CONTVBERNALI.

7.

SEX . NAVINIVS
SEX . L. APOLLONIVS
CONCORD.
SIBI ET SVIS
IN. FRON. P. XXXV
RETRO . P . XX

1. TVRRANIVS] Turraniam gentem Romanam inter patricias ex Sabinis oriundas, & eas quidem, quæ Romam cum T. Tatio se contulerunt, Panuinius describit. In hac C. Turranium annonæ præfectum apud Tacitum reperio: *Sex. Pompeius, & Sex. Apuleius Coss. primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere, apudque eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ.* Ad quæ verba solertissimus antiquitatum indagator Lipsius ista subiungit: *C. Turranius præfectus annonæ, & quidem primus in eo munere ab Augusto: Nam Augustus acceptam à populo præfecturam, nisi fallor, tenuit dum vixit: aut certe paulo ante mortem substituit sibi Turranium istum.* Primum itidem annonæ præfectum fuisse Turranium, Lipsius colligit ex alio eiusdem Taciti loco, vbi inquit: *Tum potissimum amicorum vocat primumque rei frumentariæ præfectum Turranium.*

De Antiq. Rom. — Annal. lib. 1. — Ad Annal. Tacit. lib. 1. — Annal. lib. 11.

EVANTHVS] Cognomen est, quod fortasse sonat furore diuino afflatum, ob vociferationem & acclamationem, quæ fiebat Baccho, iuxta illud Virgilij

Æneid. lib. 6.

Illa chorum simulans Euanteis orgia circum
Ducebat Phrygias ——

Ad quod Seruius subnectit: *Euanteis autem Bacchantes: à Libero, qui Euan dicitur.*

CONCORD.] Hoc est CONCORDIALIS de quo alibi satis.

PANTAGATHO] Παντάγαθος Græce dicitur quasi omnino bonus, optimus, hoc est omnibus corporis animique bonis beatus; cui nihil plane deficit, quod vel natura & fortuna homini conferre, vel quis suo ingenio & industria sibi potest comparare. Atque hinc vir iste, ob probitatem ceterasque præclaras virtutes ad omnia summa natus, tam gloriosum cognomen fortassis inuenit.

EVTYCHO] Cognomen à Græco verbo depromptum; siquidem Εὐτυχὴς fortunatum, felicem significat.

LIB. OPT.] Videlicet LIBERTIS OPTIMIS.

Monumenti huius duplicem delineationem apud Quirinos Scardeonius habet; primo mutilam & informem ad hunc modum:

Lib. 1. Class. 4. fol. 67. 68.

V . F.
C . TVRANIVS
SECVNDI LIB
EVANTHVS
CONCORD
C . TVRANIO
EVTYCNO
LIB . OPT

Alio

Alio vero loco diuidit cognomen illud EVTYCHO, & EV. TYCHO reponit, male tamen meo iudicio

2. FORTVNÆ] Non tantum Augusta, Fortuna à veteribus dicta fuit, vt passim obseruare licet, sed etiam Adiutrix, Augusta omnipotens, Bona domestica, Bona salutaris, Conseruatrix, Obsequens, Opifera, Primigenia. Regina, Sancta. Fortunæ hoc monumentum ob aliquod acceptum beneficium nonnemo voti damnatus erexit; quod satis aperte indicant illæ literæ. Sed temonem cornucopiæ, & ramum, qui in hac ara sculptus apparet, in numismatis fere omnibus, vbi FORTVNAE AVGVSTAE, seu AVGVSTI figura videtur, obseruare licet.

V. S. L. M.] Scilicet VOTVM SOLVIT LVBENS MERITO: sic enim ab omnibus legitur.

PHILETVS] Ab ingenij facilitate ita dictum fuisse credo, eo quod amabilem forsan se omnibus præbuerit: hoc enim φιλητὸς Græce significat.

Lapis iste, & ille, quem tertio loco appono, aræ ad sacrificandum destinatæ olim erant, & Scardeonij æuo non reperiebantur apud Quirinos: illinc tamen eos Rhamnusius (quemadmodum ipsemet in Scardeonij, qui nunc in bibliotheca suauissimi Episcopi Tomasini asseruatur, marginibus annotauit) in suas ædes transtulit. Tandem vero omnia Ateste delata sunt.

3. ENNIVS] Inter Romanas plebeias gens ista à Panuinio recensetur; verum nostris in regionibus eam claruisse, antiqua saxa, tum Patauina, tum Vicentina declarant. Patauinum tale Montesilice, quod est Patauinæ ditionis oppidum, reperitur. Grut. fol. 404. n. 5.

T. ENNIVS. P. F
FAB. SECVNDVS
TRIB. MIL. PRÆFEC
I. D. CVR. AER
T. F. I

Vicentina duo sunt; vnum Vicentiæ etiamnum extat, quod alibi attulimus; alterum prope Fregellas ex Pighij autogragho Gruterus in hunc modum exhibet. Fol. 1093. num. 8.

M. ENNIVS. M'. F. MEN. VICETINVS. SCR. AED
CVRVLIVM. ARMAMENTARIVS. DECVRIA. Q. DECVRIO
VICETIAE. DEC. COLONIA. SATVRNIA. AEDILIS
COLONIA. IVLIA. FELICI. CLASSICA. SVESSA
CASTILIVS. C. L. PHILEROS. APPARITOR. TR. PL
SATILA VXOR

4. PROBA] Vnde cognomen hoc natum ſit, omnibus perſpicuum eſſe opinor.

THALLVSÆ] Hoc nomine cohoneſtatam fuiſſe credo ob floridam ætatem, aut eximiam formam, vel etiam ob præclaram indolem, à verbo θάλλω, quod ſignificat vireo: niſi quis ita dictam malit, quod fuerit filia primogenita patris, quemadmodum Θαλύσια Græce dicuntur primitiæ frugum, & θαλλία ramus virens, primus germinatus arboris.

H.L.S.H.N.S.] Literas iſtas Scaliger in indicibus ad Gruterum ſic explicat: HVNC. LOCVM. SCRIPTI. HEREDES. NON. SEQVVNTVR.

5. V.F.S. ET. S.] Nempe VIVENS FECIT SIBI ET SVIS.

ACVTVS] Ad varias animi ac corporis functiones referri hoc cognomen poteſt. Aut enim acutus quis dicitur ob præſtantem oculorum aciem, quemadmodum Lucretius, dum humanarum cogitationum vim exprimere conatur, ait:

De Rer. Nat. lib. 4.

Nonne vides oculos etiam, quom tenuia quæ ſint
Cernere cœperunt, contendere ſe atque parare:
Nec ſine eo fieri poſſe, vt cernamus acute.

Vel etiam acutus quis dicitur à ſubtiliore vocis emiſſione: hinc Virgilius:

Giorg. lib. 3.

Talis & ipſe iubam ceruice effudit equina
Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto

Aut ob corporis robur, quemadmodum fortes vallos deſcribit idem poeta:

Georg. lib. 2.

Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos

Vel, quod magis mihi arridet, ob ingenij perſpicaciam, vt notat Seruius ad illud

Giorg. lib. 1.

Mouit agros curis acuens mortalia corda.

OPTA-

OPTATO] Hic fortasse pro desiderato accipiendum opinor, vt alibi pro electo vsurpatum fuisse obseruauimus.

In hoc monumento legendum AVGVST. non AVGVT. vt habet Scardeonius; & CAESIAE, non CASSIAE; LVCANO, non LVCIANO; & LIBERTAE, non LIBERTATAE, quæ omnia vitiosa apud eundem reperiuntur. *Lib. 1. Class. 4. fol. 68.*

6. VETTIVS] Vettiam gentem patriciam minorum gentium e Sabinis ortam Panuinius & Vrsinus statuunt. Fuit ea nobilissima simul & antiquissima; quia in Numæ Pompilij Regis comitijs *Spurius Vettius, qui per eas horas erat interrex, misit Quirites in suffragia*. Consulem in ea fasti designant Vettium Proculum, quem suffectum commento in secundum fastorum Panuinius dicit, & qui Vectius Proculus scribitur Plinio secundo, typographorum tamen credo errore; siquidem saxa omnia Vettius, non autem Vectius habent. Sic enim in eis vidimus Vettium Agorium Prætestatum V.C. vltimis temporibus, & Vettium Bolanum, de quo Viennæ Allobrogum in ponte Geræ legitur monumentum tale. *Plutar. in Numa.* *Lib. 9. Epist. 13.* *Grut. fol. 310. n. 1. Idem fol. 163. n. 7.*

ANNO
C. CALPVRN. PISONI
M. VETTII. BOLANI
COS.
PONTIFEX. STIPE

Et aliud in monte Cœlio ad D. Stephani, prope Nauiculam, ex Manutij obseruatione; cuius initium est *Ald. P. F. de Orthograph Rat. fol. 136.*

C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLANO. COS.

Atque hic est forsan ille, quem Tacitus in Corbulonis exercitu describit: *Legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano subsidium Tigrani misit*: vbi ex monumentis Vettius pro Vectius mea opinione legendum est. Hunc ob virtutem militarem præclaro decorauit elogio Statius. *Annal. lib. 15.* *Siluar. lib. 5. ad Crispin.*

— rigidi summam Mauortis agebat
Corbulo, sed comitem belli sociumque laboris
Ille quoque egregijs multum miratus in armis
Bolanum ———

Orat. in Verr.

5. Vettiam quoque gentem apud Ciceronem deprehendo; nam de *Vectio Chilone homine equestris ordinis honestissimo atque ornatissimo* mentionem facit. In Bruto quoque Vettius quidam hac laude effertur. *Q. Vectius Vectianus, quem ipse cognoui, prudens vir & in dicendo breuis*. In omnibus tamen his locis ob monumentorum auctoritatem Vettius pro Vectius reponendum existimo.

AXIÆ] Axia hæc familia, si vt opinor, ab Axsia non est distincta, plebeia fuit, consulemque habuit cognominatum Nasonem

7. NAVINIVS] Romanam fuisse hanc gentem, mihi suadent antiqua saxa, quorum vnum in via Flaminia, alterum Baijs deprehenditur.

Grut. fol. 697. n. 4. Fol. 1040. n. 12.

APOLLONIVS] Ab vrbe patria fortassis ita fuit cognominatus, quacumque tandem illa: tres enim ciuitates hoc nomine insignitæ olim reperiebantur: vna in regione Cyrenacia, altera in Macedonia, tertia in oris Ponti Euxini. Coniecturæ ansam præbet Cronus ille Philosophus, qui Apollonia, quæ in Cyreniaca sita est, ortus, Cronon Apollonius à Srabone nuncupatur. Quare existimo, quod hic libertus ob dulcis patriæ memoriam, eius nomine pro cognomine fuerit vsus. Nisi dicere cuipiam lubeat, eum, cum seruitutem seruiret, Apollonium fuisse appellatum, postea vero, vbi à Nauinio quodam in libertatem restitutus est, patroni nomen, vti mos ferebat, assumpsisse, nomenque pristinum in cognomen mutasse, vt vidimus de Tirone Ciceronis liberto.

Strab. de Sit. Orb. lib. 17. Idem lib. 16. Idem lib. 12. Idem lib. 17.

Huius Sex. Nauinij Sex. L. Apollonij Concordialis monumentum apud Panuinium quoque habetur: idque Gardæ inueniri dicitur; nihil tamen à nostro est diuersum, nisi quod in principio sequentes præfert literas

Antiq. Veron. lib. 8. fol. 230.

D. M

IN ANTE DICTIS ÆDIBVS CONTARENIS.

QVanti antiqua monumenta Ioannes Baptista & Paulus Rhamnusij, ciues Veneti non vulgares æstimarint, assidua ipsorum diligentia, & laboriosum in eis colligendis impendium satis superque manifestant. Suam enim domum pulchriore aut nobiliore supellectile non instruere, sed his solis, quamdiu vita ipsis frui licuit, ornare ac replere desiderarunt. Heredes tamen exigua eiusmodi rerum cognitione imbuti, cum monumenta rudes esse lapides reputarent, omnia, quæ maiores indefesso studio grauissimisque expensis conquisiuerant, paucis abhinc annis, vt diximus, Georgio Contareno Senatori amplissimo concesserunt: eaque Ateste etiamnum sunt reposita.

I



II



3.

AVRIBVS
B. D. D.
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT.

4.

ISIDI
SACRVM
EX. MONIT.
EIVS D.D.
L. VALERIVS
MEMOR
VI. VIR. AVG.
L. D. P.

5.

T · AVREL · PAL
FLORENTIN
DEC. ET. QVÆSTOR
COLL; FABR

6.

C. ARATR.....
PRÆF. FABR. D....
ET BASILICÆ. FAC....

7.

C. FABIO. C. L
CHRESTO
FABIA C. L. QVAR
TA PATRONO ET
VIRO VIVA FECIT

IANO

8.

IANO PATRI
AVG. SACRVM.
C. IVLIVS. C. F. SER
ÆTOR. ÆD.
DONATVS. AB. TI. CÆS.
AVG. F. AVGVSTO TORQ
MAIORE BELLO DELMA
TICO OB. HONOREM
$\overline{\text{II}}$ VIRATVS CVM LIBERIS
SVIS POSVIT

9.

OCTAVIA Q. F.
SECVNDA VI. SIBI. ET.
OCTAVIÆ T. F. GRACIL
AE ET OCTAVIÆ SEX
F. CÆSINÆ NEPTI. Q. OCTA
VIO PATRI ÆD. $\overline{\text{II}}$ VIRO $\overline{\text{III}}$
QVINTIAE VOLTISAE MATRI
T. OCTAVIO SEX. F. GRACILI
VIRO. ÆD. $\overline{\text{X}}$ VIRO PONT. C. OC
TAVIO RVFO FRATRI AED
$\overline{\text{II}}$ VIRO. PONT. SEX. OCTAVIO
SEX. F. CELSO GENERO.

10.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ Ε
ΚΑΤΣΙΝ ΤΩΝ ΘΙΡΩΝ
ΚΑΤ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠΑΤΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΥ ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΟΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΣΙΟΥ

THEOPHILVS THEOPHILI
ANTIOCHENVS MELANEFORVS
FANI HVIVS TECTORIVM
PARIETVMQ. AC TECTI PICTV
RAM ET HOSTIORVM VALVAS
NEC NON MVTVLOS QVI IN
PARIETIBVS SVNT ET IIS IM
POSITAS TABVLAS SACRAVIT
SARAPIDI ISIDI ANVBIDI
HARPOCRATI SACERDOTE
SELEVCO ANDRONICI
RHAMNVSIO

QVAR-

1. QVARTIO] Gentem istam olim minime vulgarem fuisse, antiqua epigrammata Dijs dicata, Angeleriæ ad ædem Beatæ Virginis sita ostendunt

Grut. fol. 14. n. 10. Idem fol. 52. n. 13.

I. O. M
P. QVARTIVS. P. F
VICTOR
P. QARTIVS P. F
PRIMVS
VI VIR. IVN

MERCVRIO
P. QVARTIVS
VICTOR
S. L. M

ACCENS. COS.] Scilicet ACCENSO CONSVLIS. Accensos appatitoribus fuisse annumeratos, vidimus, cum de apparitoribus nonnulla adnotaremus. Fuit & militum quoddã genus, vt liquet ex illis Liuij verbis, alias etiam citatis: *Primum vexillum Triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum Rorarios, minus roboris ætate factisque: Tertium Accensos minimæ fiduciæ manum, eo & in postremam aciem reijciebantur*. Verum Accensus consulis quis fuerit, ex eodem Liuio cognoscitur, dum de Decemuiris consularibus loquitur: *Decimo die ius populo singuli reddebant. eo die penes præfectum iuris fasces duodecim erant, collegis nouem singuli accensi apparebant*. Itaque Accensus consulis ille erat, qui apparebat consuli, dum penes collegam fasces erant. Ceterum & consulibus accensos apparuisse, ex C. Iulij Cæsaris instituto colligitur, qui *Antiquorum etiam retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur*. Penes singulos consules autem alternis mensibus fasces fuisse, non est qui ignoret. Miror nihilominus mehercule, quomodo hoc munus, quod libertorum erat teste Cicerone multis in locis, sed præcipue in Verrem (*Venio nunc ad epistolam Timarchidis liberti istius & accensi*) cum Seuirali dignitate permixtum fuerit, quæ, vt iam obseruauimus, in præfecturis suprema erat. Nisi is, cuius hoc est monumentum, æqualis fuerit illi scribæ, qui Fundis præturam gesserat; de quo Horatius.

Hist. lib. 8.
Hist. lib. 3.
Suet. in Iul. Cæs. cap. 20.
Orat. 5.

Fundos Aufidium Lusco prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam & latum clauum, prunæque batillum.

Sermon. lib. 1. S. t. 5.

Scribas enim publicos extitisse seruos, & in apparitorum numerum fuisse relatos, alibi vidimus.

SALVIA] A saluo cognomen ortum. *Vnde boni ominis causa pri-*

mus Saluius in censu & delectu nominabatur; prout e Festo Sigonius tradit. *De Nom. Rom.*

2. CIP. PATA.] Ad hoc fragmentum Scardeonius ista considerat. *Mira pulchritudinis literæ*, MVNICIPIVM PATAVINVM *fortaße significantes: ex quibus liquido patet Patauium fuisse olim Coloniam Romanorum. C. Plinius iunior epistolarum libro primo, epistola ad Iunium Mauricum ita scribit. Habet auiam maternam Serranam Proculam e Municipio Patauino: nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque seueritatis exemplum est.* Verum licet & ego huius sim opinionis, vt tamen veritati sit locus, non est asseuerandum ex literis, quæ forte exponi possunt MVNICIPIVM PATAVINVM, liquido patere Patauium olim fuisse coloniam Romanorum: siquidem, qui antiquitatum cognitione pollent, apprime cognoscunt distinctionem inter municipium & coloniam, noruntque præterea, aliquando municipia in colonias, aliquando vero colonias in municipia, imo & in præfecturas permutatas fuisse. Colonias autem Romanorum eodem tempore patriam meam, & alias Transpadanæ Italiæ ciuitates à Gn: Pompeio Strabone deductas credo; non vt nouis colonis sedes hic assignaretur, sed vt indigenis communicaretur ius Latij, hoc est suffragiorum, & magistratuum potestas. Hacq; de causa cum Patauium noui coloni deducti non sint, id in numero coloniarum descriptum non reperiri arbitror. *Lib. 1. Class. 4.*

3. AVRIBVS] Disertissimus Pignorius in epistola ad Albertinum Abbatem Barisonium virum nobilissimũ & eruditissimum exarata, circa hoc monumentum lactea eloquentia, ac mellifluo stylo hæc nequaquã negligenda profert; quibus vlterius addi nihil profecto potest. *Epist. symb. n. 38.*

Auribus dedicatam fuisse vel arulam, vel tabellam, nemo mirabitur, vti ego arbitror, nisi qui earum vsum non agnoscet in rebus percipiendis, quæ magisterio indigent. Et forte huc pertinet Libatio Aurita, quæ legitur apud Philostratum lib. VI. *de vita Apollonij Tyanei, nisi quis referre malit ad seruum quempiam ab Auribus, qui æmulatus fuerit in priuata familia seruos regios Persarum, quibus inditum erat nomen Otacustarum. Verum hæc forte videbuntur (vti sane sunt) nimis recondita. ad magisterium reuertor, cuius mentionem facit & ipsum marmor. in quo munere præstare oculis aures Lactantius Firmianus lib.* III. *de Falsa Sapientia Cap.* IX. *affirmauit. subsannans enim Anaxagoræ Philosophi responsum, profitentis se natum „ Cæli, ac Solis videndi gratia, ita scribit. Quid cetera corporis partes? „ anne carebunt suis quæque muneribus? quid, quod plus est in auribus, „ quam in oculis situm, quoniam & doctrina & sapientia percipi auribus „ solis potest, oculis solis non potest? Et hinc videtur natum, vt auris Mineruæ sacra eßet. quod arguamus licet e verbis antiqui tituli apud Gruterum.* MLXVII. I.

ienſis Baſilicæ Sacriſta, vir ingenio miti ac manſueto, tum ſumma pietate clarus. Effoſſum fuit anno MDCLI. prope templum Diuo Stephano dicatum.

L. M. FLAVIORVM] Nempe LOCVS MONVMENTI FLAVIORVM. Vidimus ſectione huius libri ſecunda, ſepulcra alia publica fuiſſe, alia priuata; priuataque alia familiaria, alia hereditaria; hoc autem ſaxum gentilicium ſepulcrum nobis deſignat, id eſt ſepulcrum deſtinatum toti genti FLAVIAE, quod abunde oſtendere valent notæ illæ vltimæ

Q. Q. V. P. L.

quæ ab omnibus notarum antiquarum explanatoribus leguntur

QVOQVOVERSVS PEDES QVINQVAGINTA

quæ certe cum magnum denotent ambitum, vni familiæ & heredibus aliquibus ſuperfluum, meæ coniecturæ veritatem validiſſime firmant.

SER-

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO VII.

ASPORTATA.

MVlta antiqua saxa, quæ aliquorum diligentia, vel in ciuitate eruta, vel aliunde huc allata custodiebantur, nescio quo fato extra ciuitatem, aut etiam extra ditionem regionemque deportata fuerint: quorum tamen memoria ne penitus interiret, & ne quid patriæ gloriæ detraheretur, ea in vnam redigenda seriem, atque ita septimæ huic sectioni locum dandum esse censui.

A T E S T E

IN ÆDIBVS GEORGII CONTARENI PAT. VENET. ET SENATORIS EXIMII.

PAtauij itaque in ædibus Francisci Quirini Patricij Veneti ad portam omnium Sanctorum Scardeonio auctore monumenta infrascripta conseruabantur. Quæ tractu temporis primum Ioannes Baptista Rhamnusius, monumentorum eo æuo studiosissimus, in suas ædes retro ad aulam Præfectitiam, in vicum Patriarchatus nomine insignitum transtulit: inde nonnulla vlterius Ateste commigrarunt, cura Georgij Contareni Patricij ac Senatoris Veneti antiquitatum cultoris eximij: qui ædes, quas pulcherrimas, nullis sumptibus aut laboribus parcendo, ibidem extruxit, illis exornari curauit.


I
V· ❦ F
C·TVRRANIVS
SECVNDI·LIB
EVANTHVS
CONCORD.
C·TVRRANIO
PANTAGATHO·ET
C·TVRRANIO
EVTYCHO
LIB ❦ OPT.
II
FORTVNAE
AVG· SACR.
C·OPETRIVS
PHILETVS
V·S·L·M
III
M· ENNIVS
M·L·ESYCHVS
GALATEAE·SVAE
Jo.Georg. sculps.

4.

DOMITIA . D . L.
PROBA
SIBI ET
DOMITIÆ
THALLVSÆ
SORORI ET
ÆTHONI
SORORIS . F
V . F
H. L. S. H. N. S.

5.

V. F. S. ET. S.
L. TERENTIVS
ACVTVS
CONC. AVGVST.
L. TERENTIO
OPTATO FILIO
CONC.
TERENTIÆ
SATVRNINÆ
L. VXORI
C. ÆSIÆ L.
LVCANO LIB.
PVDENTI LIBERTÆ

6.

VIVIS . F.
SEX . VETTIVS
FIDELIS
SIBI ET AXIÆ Ɔ. L.
AMABILI
CONTVBERNALI.

7.

SEX. NAVINIVS
SEX. L. APOLLONIVS
CONCORD.
SIBI ET SVIS
IN. FRON. P. XXXV
RETRO . P . XX

I. TVR-

1. TVRRANIVS] Turraniam gentem Romanam inter patricias ex Sabinis oriundas, & eas quidem, quæ Romam cum T. Tatio se contulerunt, Panuinius describit. In hac C. Turranium annonæ præfectum apud Tacitum reperio: *Sex. Pompeius, & Sex. Apuleius Coss. primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere, apudque eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ*. Ad quæ verba solertissimus antiquitatum indagator Lipsius ista subiungit: *C. Turranius præfectus annonæ, & quidem primus in eo munere ab Augusto: Nam Augustus acceptam à populo præfecturam, nisi fallor, tenuit dum vixit: aut certe paulo ante mortem substituit sibi Turranium istum*. Primum itidem annonæ præfectum fuisse Turranium, Lipsius colligit ex alio eiusdem Taciti loco, vbi inquit: *Tum potissimum amicorum vocat primumque rei frumentariæ præfectum Turranium*.

De Antiq. Rom. *Annal. lib. 1.* *Ad Annal. Tacit. lib. 1.* *Annal. lib. 11.*

EVANTHVS] Cognomen est, quod fortasse sonat furore diuino afflatum, ob vociferationem & acclamationem, quæ fiebat Baccho, iuxta illud Virgilij

Aeneid. lib. 6.

Illa chorum simulans Euanteis orgia circum
Ducebat Phrygias ——

Ad quod Seruius subnectit: *Euanteis autem Bacchantes: à Libero, qui Euan dicitur.*

CONCORD.] Hoc est CONCORDIALIS de quo alibi satis.

PANTAGATHO] Παντάγαθος Græce dicitur quasi omnino bonus, optimus, hoc est omnibus corporis animique bonis beatus; cui nihil plane deficit, quod vel natura & fortuna homini conferre, vel quis suo ingenio & industria sibi potest comparare. Atque hinc vir iste, ob probitatem ceterasque præclaras virtutes ad omnia summa natus, tam gloriosum cognomen fortassis inuenit.

EVTYCHO] Cognomen à Græco verbo depromptum; siquidem Εὐτυχὴς fortunatum, felicem significat.

LIB. OPT.] Videlicet LIBERTIS OPTIMIS.

Monumenti huius duplicem delineationem apud Quirinos Scardeonius habet; primo mutilam & informem ad hunc modum:

Lib. 1. Class. 4. fol. 67. 68.

V . F.
C . TVRANIVS
SECVNDI LIB
EVANTHVS
CONCORD
C . TVRANIO
EVTYCNO
LIB . OPT

Alio

Alio vero loco diuidit cognomen illud EVTYCHO, & EV. TYCHO reponit, male tamen meo iudicio

2. FORTVNÆ] Non tantum Augusta, Fortuna à veteribus dicta fuit, vt passim obseruare licet, sed etiam Adiutrix, Augusta omnipotens, Bona domestica, Bona salutaris, Conseruatrix, Obsequens, Opifera, Primigenia. Regina, Sancta. Fortunæ hoc monumentum ob aliquod acceptum beneficium nonnemo voti damnatus erexit; quod satis aperte indicant illæ literæ. Sed temonem cornucopiæ, & ramum, qui in hac ara sculptus apparet, in numismatis fere omnibus, vbi FORTVNAE AVGVSTAE, seu AVGVSTI figura videtur, obseruare licet.

V. S. L. M.] Scilicet VOTVM SOLVIT LVBENS MERITO: sic enim ab omnibus legitur.

PHILETVS] Ab ingenij facilitate ita dictum fuisse credo, eo quod amabilem forsan se omnibus præbuerit: hoc enim φιλητὸς Græce significat.

Lapis iste, & ille, quem tertio loco appono, aræ ad sacrificandum destinatæ olim erant, & Scardeonij æuo non reperiebantur apud Quirinos: illinc tamen eos Rhamnusius (quemadmodum ipsemet in Scardeonij, qui nunc in bibliotheca suauissimi Episcopi Tomasini asseruatur, marginibus annotauit) in suas ædes transtulit. Tandem vero omnia Ateste delata sunt.

3. ENNIVS] Inter Romanas plebeias gens ista à Panuinio recensetur; verum nostris in regionibus eam claruisse, antiqua saxa, tum Patauina, tum Vicentina declarant. Patauinum tale Montesilice, quod est Patauinæ ditionis oppidum, reperitur. *Grut. fol. 404. n. 5.*

T. ENNIVS. P. F

FAB. SECVNDVS

TRIB. MIL. PRÆFEC

I. D. CVR. AER

T. F. I

Vicentina duo sunt; vnum Vicentiæ etiamnum extat, quod alibi attulimus; alterum prope Fregellas ex Pighij autogragho Gruterus in hunc modum exhibet. *Fol. 1093. num. 8.*

M . ENNIVS . M'. F . MEN . VICETINVS . SCR . AED
CVRVLIVM . ARMAMENTARIVS . DECVRIA . Q . DECVRIO
VICETIAE . DEC . COLONIA . SATVRNIA . AEDILIS
COLONIA . IVLIA . FELICI . CLASSICA . SVESSA
CASTILIVS . C . L . PHILEROS . APPARITOR . TR . PL
SATILA VXOR

4. PROBA] Vnde cognomen hoc natum ſit, omnibus perſpicuum eſſe opinor.

THALLVSÆ] Hoc nomine cohoneſtatam fuiſſe credo ob floridam ætatem, aut eximiam formam, vel etiam ob præclaram indolem, à verbo θάλλω, quod ſignificat vireo: niſi quis ita dictam malit, quod fuerit filia primogenita patris, quemadmodum θαλύσια Græce dicuntur primitiæ frugum, & θαλλία ramus virens, primus germinatus arboris.

H.L.S.H.N.S.] Literas iſtas Scaliger in indicibus ad Gruterum ſic explicat: HVNC . LOCVM . SCRIPTI . HEREDES . NON. SEQVVNTVR.

5. V.F.S. ET. S.] Nempe VIVENS FECIT SIBI ET SVIS.

ACVTVS] Ad varias animi ac corporis functiones referri hoc cognomen poteſt. Aut enim acutus quis dicitur ob præſtantem oculorum aciem, quemadmodum Lucretius, dum humanarum cogitationum vim exprimere conatur, ait:

De Rer. Nat. lib. 4. *Nonne vides oculos etiam, quom tenuia quæ ſint*
Cernere cæperunt, contendere ſe atque parare:
Nec ſine eo fieri poſſe, vt cernamus acute.

Vel etiam acutus quis dicitur à ſubtiliore vocis emiſsione: hinc Virgilius:

Giorg. lib. 3. *Talis & ipſe iubam ceruice effudit equina*
Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto

Aut ob corporis robur, quemadmodum fortes vallos deſcribit idem

Georg. lib. 2. poeta:

Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos

Vel, quod magis mihi arridet, ob ingenij perſpicaciam, vt notat Seruius ad illud

Georg. lib. 1. *Mouit agros curis acuens mortalia corda.*

OPTA-

OPTATO] Hic fortasse pro desiderato accipiendum opinor, vt alibi pro electo vsurpatum fuisse obseruauimus.

In hoc monumento legendum AVGVST. non AVGVT. vt habet Scardeonius; & CAESIAE, non CASSIAE; LVCANO, non LVCIANO; & LIBERTAE, non LIBERTATAE, quæ omnia vitiosa apud eundem reperiuntur. *Lib. I. Class. 4. fol. 68.*

6. VETTIVS] Vettiam gentem patriciam minorum gentium e Sabinis ortam Panuinius & Vrsinus statuunt. Fuit ea nobilissima simul & antiquissima; quia in Numæ Pompilij Regis comitijs *Spurius Vettius, qui per eas horas erat interrex, misit Quirites in suffragia.* *Plutar. in Numa.* Consulem in ea fasti designant Vettium Proculum, quem suffectum commento in secundum fastorum Panuinius dicit, & qui Vectius Proculus scribitur Plinio secundo, typographorum tamen credo errore; siquidem saxa omnia Vettius, non autem Vectius habent. *Lib. 9. Epist. 13.* Sic enim in eis vidimus Vettium Agorium Prætestatum V.C. vltimis temporibus, & Vettium Bolanum, de quo Viennæ Allobrogum in ponte Geræ legitur monumentum tale. *Grut. fol. 310. n. 1. Idem fol. 163. n. 7.*

ANNO
C. CALPVRN. PISONI
M. VETTII. BOLANI
COS.
PONTIFEX. STIPE

Et aliud in monte Cœlio ad D. Stephani, prope Nauiculam, ex Manutij obseruatione; cuius initium est *Ald. P. F. de Orthograph Rat. fol. 136.*

C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLANO. COS.

Atque hic est forsan ille, quem Tacitus in Corbulonis exercitu describit: *Legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano subsidium Tigrani misit*: vbi ex monumentis Vettius pro Vectius mea opinione legendum est. *Annal. lib. 15.* Hunc ob virtutem militarem præclaro decorauit elogio Statius. *Siluar. lib. 5. ad Crispin.*

— rigidi summam Mauortis agebat
Corbulo, sed comitem belli sociumque laboris
Ille quoque egregijs multum miratus in armis
Bolanum ——

Orat. 5. in Verr. Vettiam quoque gentem apud Ciceronem deprehendo, nam de *Vectio Chilone homine equestris ordinis honestiſsimo atque ornatiſsimo* mentionem facit. In Bruto quoque Vettius quidam hac laude effertur. *Q. Vectius Vectianus, quem ipſe cognoui, prudens vir & in dicendo breuis*. In omnibus tamen his locis ob monumentorum auctoritatem Vettius pro Vectius reponendum exiſtimo.

AXIÆ] Axia hæc familia, ſi vt opinor, ab Axſia non eſt diſtincta, plebeia fuit, conſulemque habuit cognominatum Naſonem

7. NAVINIVS] Romanam fuiſſe hanc gentem, mihi ſuadent antiqua ſaxa, quorum vnum in via Flaminia, alterum Baijs deprehenditur. (Grut. fol. 697. n. 4. Fol. 1040. n. 12.)

APOLLONIVS] Ab vrbe patria fortaſſis ita fuit cognominatus, quacumque tandem illa: tres enim ciuitates hoc nomine inſignitæ olim reperiebantur: vna in regione Cyrenacia, altera in Macedonia, tertia in oris Ponti Euxini. Coniecturæ anſam præbet Cronus ille Philoſophus, qui Apollonia, quæ in Cyreniaca ſita eſt, ortus, Cronon Apollonius à Srabone nuncupatur. Quare exiſtimo, quod hic libertus ob dulcis patriæ memoriam, eius nomine pro cognomine fuerit vſus. Niſi dicere cuipiam lubeat, eum, cum ſeruitutem ſeruiret, Apollonium fuiſſe appellatum, poſtea vero, vbi à Nauinio quodam in libertatem reſtitutus eſt, patroni nomen, vti mos ferebat, aſſumpſiſſe, nomenque priſtinum in cognomen mutaſſe, vt vidimus de Tirone Ciceronis liberto. (Strab. de Sit. Orb. lib. 17. Idem lib. 16. Idem lib. 12. Idem lib. 17.)

Huius Sex. Nauinij Sex. L. Apollonij Concordialis monumentum apud Panuinium quoque habetur: idque Gardæ inueniri dicitur; nihil tamen à noſtro eſt diuerſum, niſi quod in principio ſequentes præfert literas (Antiq. Veron. lib. 8. fol. 230.)

D . M

IN ANTE DICTIS ÆDIBVS CONTARENIS.

QVanti antiqua monumenta Ioannes Baptista & Paulus Rhamnusij, ciues Veneti non vulgares æstimarint, assidua ipsorum diligentia, & laboriosum in eis colligendis impendium satis superque manifestant. Suam enim domum pulchriore aut nobiliore supellectile non instruere, sed his solis, quamdiu vita ipsis frui licuit, ornare ac replere desiderarunt. Heredes tamen exigua eiusmodi rerum cognitione imbuti, cum monumenta rudes esse lapides reputarent, omnia, quæ maiores indefesso studio grauissimisque expensis conquisiuerant, paucis abhinc annis, vt diximus, Georgio Contareno Senatori amplissimo concesserunt: eaque Ateste etiamnum sunt reposita.

I



II



3.

AVRIBVS
B. D. D.
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HLRMEROT.

4.

ISIDI
SACRVM
EX. MONIT.
EIVS D.D.
L. VALERIVS
MEMOR
VI. VIR. AVG.
L. D. P.

5.

T· AVREL· PAL
FLORENTIN
DEC. ET. QVÆSTOR
COLL. FABR

6.

C. ARATR. . . . .
PRÆF. FABR. D. . . .
ET BASILICÆ. FAC. . . .

7.

C. FABIO. C. L
CHRESTO
FABIA C. L. QVAR
TA PATRONO ET
VIRO VIVA FECIT

8.

IANO PATRI
AVG. SACRVM.
C. IVLIVS. C. F. SER
ÆTOR. ÆD.
DONATVS. AB. TI. CÆS.
AVG. F. AVGVSTO TORQ
MAIORE BELLO DELMA
TICO OB. HONOREM
II VIRATVS CVM LIBERIS
SVIS POSVIT

9.

OCTAVIA Q. F.
SECVNDA VI. SIBI. ET.
OCTAVIÆ T. F. GRACIL
AE ET OCTAVIÆ SEX
F. CÆSINÆ NEPTI. Q. OCTA
VIO PATRI ÆD. II VIRO III
QVINTIAE VOLTISAE MATRI
T. OCTAVIO SEX. F. GRACILI
VIRO. ÆD. X VIRO PONT. C. OC
TAVIO RVFO FRATRI AED
II VIRO. PONT. SEX. OCTAVIO
SEX. F. CELSO GENERO.

10.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ Ε
ΚΑΤΣΙΝ ΤΩΝ ΘΙΡΩΝ
ΚΑΤ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΥ ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΟΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΣΙΟΥ

THEOPHILVS THEOPHILI
ANTIOCHENVS MELANEFORVS
FANI HVIVS TECTORIVM
PARIETVMQ. AC TECTI PICTV
RAM ET HOSTIORVM VALVAS
NEC NON MVTVLOS QVI IN
PARIETIBVS SVNT ET IIS IM
POSITAS TABVLAS SACRAVIT
SARAPIDI ISIDI ANVBIDI
HARPOCRATI SACERDOTE
SELEVCO ANDRONICI
RHAMNVSIO

QVAR-

1. QVARTIO] Gentem iſtam olim minime vulgarem fuiſſe, antiqua epigrammata Dijs dicata, Angeleriæ ad ædem Beatæ Virginis ſita oſtendunt

Grut. fol. 14. n. 10. Idem fol. 52. n. 13.

I . O . M
P. QVARTIVS. P. F
VICTOR
P. QARTIVS P. F
PRIMVS
VI VIR. IVN

MERCVRIO
P. QVARTIVS
VICTOR
S . L . M

ACCENS. COS.] Scilicet ACCENSO CONSVLIS. Accenſos apparitoribus fuiſſe annumeratos, vidimus, cum de apparitoribus nonnulla adnotaremus. Fuit & militum quoddã genus, vt liquet ex illis Liuij verbis, alias etiam citatis: *Primum vexillum Triarios ducebat, veteranum militem ſpectatæ virtutis: ſecundum Rorarios, minus roboris ætate factiſque: Tertium Accenſos minimæ fiduciæ manum, eo & in poſtremam aciem reÿciebantur*. Verum Accenſus conſulis quis fuerit, ex eodem Liuio cognoſcitur, dum de Decemuiris conſularibus loquitur: *Decimo die ius populo ſinguli reddebant. eo die penes præfectum iuris faſces duodecim erant, collegis nouem ſinguli accenſi apparebant*. Itaque Accenſus conſulis ille erat, qui apparebat conſuli, dum penes collegam faſces erant. Ceterum & conſulibus accenſos apparuiſſe, ex C. Iulij Cæſaris inſtituto colligitur, qui *Antiquorum etiam retulit morem, vt quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur*. Penes ſingulos conſules autem alternis menſibus faſces fuiſſe, non eſt qui ignoret. Miror nihilominus mehercule, quomodo hoc munus, quod libertorum erat teſte Cicerone multis in locis, ſed præcipue in Verrem (*Venio nunc ad epiſtolam Timarchidis liberti iſtius & accenſi*) cum Seuirali dignitate permixtum fuerit, quæ, vt iam obſeruauimus, in præfecturis ſuprema erat. Niſi is, cuius hoc eſt monumentum, æqualis fuerit illi ſcribæ, qui Fundis præturam geſſerat; de quo Horatius.

Hiſt. lib. 8. — Hiſt. lib. 3. — Suet. in Iul. Caeſ. cap. 20. — Orat. 5.

Fundos Aufidium Luſco prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam & latum clauum, prunæque batillum.

Sermon. lib. 1. Sat. 5.

Scribas enim publicos extitiſſe ſeruos, & in apparitorum numerum fuiſſe relatos, alibi vidimus.

SALVIA] A ſaluo cognomen ortum. *Vnde boni ominis cauſa primus*

mus Saluius in censu & delectu nominabatur; prout e Festo Sigonius tradit. De Nom. Rom.

2. CIP. PATA.] Ad hoc fragmentum Scardeonius ista considerat. *Mirae pulchritudinis literae*, MVNICIPIVM PATAVINVM *fortasse significantes: ex quibus liquido patet Patauium fuisse olim Coloniam Romanorum. C. Plinius iunior epistolarum libro primo, epistola ad Iunium Mauricum ita scribit. Habet auiam maternam Serranam Proculam e Municipio Patauino: nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque seueritatis exemplum est.* Verum licet & ego huius sim opinionis, vt tamen veritati sit locus, non est asseuerandum ex literis, quae forte exponi possunt MVNICIPIVM PATAVINVM, liquido patere Patauium olim fuisse coloniam Romanorum: siquidem, qui antiquitatum cognitione pollent, apprime cognoscunt distinctionem inter municipium & coloniam, noruntque praeterea, aliquando municipia in colonias, aliquando vero colonias in municipia, imo & in praefecturas permutatas fuisse. Colonias autem Romanorum eodem tempore patriam meam, & alias Transpadanae Italiae ciuitates à Gn. Pompeio Strabone deductas credo; non vt nouis colonis sedes hic assignaretur, sed vt indigenis communicaretur ius Latij, hoc est suffragiorum, & magistratuum potestas. Hacq; de caussa cum Patauium noui coloni deducti non sint, id in numero coloniarum descriptum non reperiri arbitror. Lib. 1. Class. 4.

3. AVRIBVS] Disertissimus Pignorius in epistola ad Albertinum Abbatem Barisonium virum nobilissimũ & eruditissimum exarata, circa hoc monumentum lactea eloquentia, ac mellifluo stylo haec nequaquã negligenda profert; quibus vlterius addi nihil profecto potest. Epist. symb. n. 38.

Auribus dedicatam fuisse vel arulam, vel tabellam, nemo mirabitur, vti ego arbitror, nisi qui earum vsum non agnoscet in rebus percipiendis, quae magisterio indigent. Et forte huc pertinet Libatio Aurita, quae legitur apud Philostratum lib. VI. *de vita Apollonij Tyanei, nisi quis referre malit ad seruum quempiam ab Auribus, qui aemulatus fuerit in priuata familia seruos regios Persarum, quibus inditum erat nomen Otacustarum. Verum haec forte videbuntur (vti sane sunt) nimis recondita. ad magisterium reuertor, cuius mentionem facit & ipsum marmor. in quo munere praestare oculis aures Lactantius Firmianus lib.* III. *de Falsa Sapientia Cap.* IX. *affirmauit. subsannans enim Anaxagorae Philosophi responsum, profitentis se natum „ Caeli, ac Solis videndi gratia, ita scribit. Quid cetera corporis partes? „ anne carebunt suis queque muneribus? quid, quod plus est in auribus, „ quam in oculis situm, quoniam & doctrina & sapientia percipi auribus „ solis potest, oculis solis non potest? Et hinc videtur natum, vt auris Mineruae sacra esset. quod arguamus licet e verbis antiqui tituli apud Gruterum.* MLXVII. I.

MINERVÆ . AVG.
L . CALLIDIVS . PRIMVS
BRIXELLANVS . EX . AGR
LIB . II . ITEM . L . CALLIDIVS
PRIMVS . AVRES . ARGENTEAS
V. S. L. M.

nisi hæc fuerit Minerua Medica, cuius & in antiquo lapide extat mentio. Alioqui aures Memoriæ sacratæ erant. inquit Plinius lib. XI. *cap.* 45.
„ *est in aure ima Memoriæ locus, quem tangentes attestamur. est post au-*
„ *rem æque dextram Nemesios, quæ Dea latinum nomen ne in Capitolio*
„ *quidem inuenit. Et aurem vellere alte spirantibus Adrastiam pronunciauit Ammianus Marcellinus lib.* XXIV. *at Seruius doctissimus Gramma-*
„ *ticorum ad* VI. *eclog. hæc tradidit. Aurem autem ideo, quia Memoriæ con-*
„ *secrata est, vt frons Genio, digiti Mineruæ, genua Misericordiæ. quibus addo ego ex Macrobio Carnæ Deæ vitalia lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12. *& Fidei dextram ex Plinio, & ex ijs quæ ego disserui olim per epistolam cum Viro Illustris. Scipione Cobellutio, qui Romanam purpuram (dum fata Deusque sinebant) probitate & eruditione illustrabat. Auris autem quo gestu velleretur, explicuit ex veteribus monumentis doctissimus Pierius Valerianus lib.* 33. *Memoria vero & ipsa (vt etiam hoc auribus nostris demus) in Dearum censum relata fuit, vxor Iouis, Musarum mater, ex Arnobio lib.* III. *& culta Carthagine, vt tradit Idatius Episcopus in Chronico scribens de cæde Heracliani.*

B. D. D.] BONIS DEABVS in Indicibus Gruterianis vertit Scaliger. Quænam autem fuerint istæ Bonæ Deæ, quibus aures erant dicatæ, nihil est, quod addam eis, quę ex Plinio Pignorius mutuauit. Cum enim dixisset in aure ima Memorię esse locum, nec nō post aurem dextram Nemesios, vtique suspicari licet, Bonarum Dearum nomine Memoriæ & Nemesi monumentum hoc dicatum fuisse.

fol. 89. *n.* 6. Gruterus in hoc titulo emendat AVRIVM, nescio qua ratione commotus, cum tamen AVRIBVS aperte saxum dicat, vt intuentibus patet.

4. ISIDI SACRVM] Ægrotos olim Isidis numen implorare solitos, refert diligentissimus Tomasinus ad obseruationem huius tabulæ, in suo *de Donarijs seu tabellis votiuis.* Neque est, quod de Iside plura adducam, trita enim, & apud omnes Mythologos sunt obuia. (*Cap.* 35.) Præterea, cum à nominum diuersitate Isidem Myrionymon esse nuncupatam Plutarchus testetur, (*De Iside*) instituti mei ratio non patitur, vt omnia in hunc locum comportem. Ceterum quod huic Deæ ob recuperatam sanitatem vota antiqui persoluerint, liquido prodit non istud solum monumentum, sed & aliud, quod apud prædictum grauissimum Senatorem Contarenum paucis abhinc annis fuit iniuste reconditum, eratque tale.

ISI . SACR.
L. MAGIVS
PHILEAS . VI . VIR
AQVIL . OB.
SALVT . GRATTIANI
FILI ET GRATTIÆ

EX MONIT. EIVS] Nam in templis ægrotos suos antiqui deponebant, vti facile constat ex Aristophane in Pluto: *Act. 2. scen 4.*

——— nostrum erit
Nunc Blepsideme, vt Plutum quam citissime
In templum deducamus Æsculapij:
Et vt illic decumbat, curemus sedulò.

Ibi per somnum de salute sua certiores fiebant, Galeni fide: *Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicuo mihi visa sunt: accessi ad dextræ manus arteriam.* *De Cur. per Sang. Miss. cap. 23.* Sed de hoc varia, & quidem singularia qui desiderat, prædictum Tomasinum adeat.

D. D.] Hoc est DONO DEDIT; & aliquando etiam DEDERVNT.

L. D. P.] Quæ legenda sunt LOCVS DATVS PVBLICE.

S. PAL.] Scilicet PALATINA; quo nomine fuit appellata tribus Vrbana quarta, à monte Palatino teste Varrone: *Ab hoc quoque quatuor parteis vrbis tribus dictæ: ab loceis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina.* *De Ling. Lat. lib. 4.*

FLORENTIN] Nempe FLORENTINVS: quod T. Aurelij cognomen, non patriam, vt opinor, indicat; hocq; tribus de causis. Primo, quia post tribum cognomini, non patriæ locus erat, vt omnes apprime cognoscunt, & hoc monumentum satis clare indicat. *Grut. fol. 1018. n. 3.*

Q. TERSINA . Q . F
SCAP. LVPVS
FLORENT . MILES
COH. XII. VRB. 7. DEX
TRI . GENIVM
CENTVRIÆ . CVM
BASE . MARMOREA
TESTAMENTO
PONI . IVSSIT

Deinde quia Florentinus diminutiuum à Florentis cognomine ortum suspicor. Quod enim cognominum diminutiuorum frequens vsus fuerit, testes sunt mihi doctissimi antiquitatum coryphæi Sigonius & Panuinius; qui cognomina diminutiua à cognominibus primitiuis deriuata recensentes, à Crispo Crispinum, à Coruo Coruinum, à Pæto Pætinum, à

Messala Messalinum descendisse ostendunt; ne infinita, quæ apud ipsos *de Nominibus Romanorum, & de Antiquis Nominibus* videre quisque poterit, huc referam. Demum quia à Triumuiris, scilicet *C. Cæsaris auspicijs, & M. Antonij, & M. Lepidi Pont. Max. Colonia* FLORENTIA *deducta*, non in Palatina tribu, in qua iste Aurelius enumeratur, sed in tribu Scaptia descripta conspicitur, vt aperte testatur monumentum Florentinum, ne innumera alia, quæ ad rei istius confirmationem inseruire possent, huc adducam.

C. Frontin. de Colon.

Grut. fol. 489. n. 7.

C. VMBRICIVS	VOLTVRNIÆ
C. F. SCA. CANSO	C. FILIÆ
COLON. ADLECT	TERTVLLÆ
D. D. FLORENT.	VXORI
SIBI. ET	

Sed vt liquido cognoscatur, in tribum Scaptiam Florentiam fuisse adlectam, Romanum saxum, ceteris omissis, quod nomen tribus integrum exhibet, heic volui apponere.

Idem fol. 557. n. 1.

L. PINARIO. L. F. SCAPTIA
MATERNO. FLORENTIA
MIL. COH. XII. VRB.
VIXIT. ANN. XXX. MIL. AN. VII.

COLL. FABR.] Scilicet COLLEGII. FABRORVM. Numa Rex vt factiones & dissidia, quæ oriri poterant in ciuitate ex duabus conflata gentibus, tolleret, *diuisit*, vt Plutarchus tradit, *ciuitatem per artes tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, coriariorum, ærariorum, figulorum, reliquasque artes in vnum coegit, fecitque ex omnibus corpus vnum; collegiaque & concilia, atque sacra cuique sectæ decentia tribuit.* Itaque collegia fabrorum erant illa, quæ nos vulgo *Fratalcas* seu sodalitia vocamus: quæ omnia in nostra ciuitate certis ac proprijs vexillis distincta, XXXV. enumerantur, ac in publicis locis comparent.

In Num. Pompil.

7. FABIO] Fabiæ familiæ patriciæ maiorum gentium, tam multis viris insignibus celebratæ, originem Silius Italicus elegantissimis hisce versibus describit, cum de Q. Fabio Maximo, cui Cunctatoris gloriosum cognomen fuit, canit.

De Secund. Bell. Punic. lib. 6.

Stirpe genus clarum, caeloque affinis origo.
Nam remeans longis olim Tirynthius oris,
Et triplicis monstri famam, & spectacula captas
Mira boues, hac qua fulgent nunc mœnia Romæ,
Egit ovans: tunc Arcadius (sic fama) locabat
Inter desertos fundata palatia dumos

Paupe.

Paupere sub populo ductor, cum regia virgo
Hospite victa sacro, Fabium de crimine laeta
Procreat, & magni commiscet seminis ortus
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes.

Et ideo vt Festus notat, *Fouij qui nunc Fabij dicuntur, dicti, quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fouea concubuit. Alij putant eum primum ostendisse, quemamodum vrsi & lupi foueis caperentur.* Lit. F. Hæc gens ob Pontifices, Augures, X. Viros legum scribendarum, Consules, Dictatores, Magistros equitum, Tribunos militum consulari potestate, Principes Senatus, viros quibus ouandi, & alios quibus triumphandi gloria contigit, præ ceteris longe clarissima, in quot familias diuisa fuerit, longum esset hic recensere; Panuinium itaque consulat amicus lector, qui de ea fuse.

CHRESTO] Hoc cognomen forte salutarem vtilemque hominem significat, similitudine deprompta à cichoreo, de quo Plinius: Hist. lib. 21. *Quod quidem propter singularem salubritatem aliqui chrest.n appellant, pancration.* cap. 18.

8. Ab vlteriore labore ac solicitudine, in explanando hoc monumento votiuo, me liberat eruditissima epistola, quam Pignorius noster olim dedit ad Gulielmum Sohierum, virum nobilitate, eruditione, ac pietate præcellentem, tum præditum animo forti & tranquillo, ad omnem fortunæ sæuitiam perferendam parato; quem ego semper & amore, & reuerentia prosecutus sum. Quæ igitur Pignorius notat, hæc sunt. Symbol. Epist. n. 37.

IANO PATRI] *Iam primum Ianus Pater appellatur, vt apud „ Catonem, & Martialem, & Arnobium: quod esset annorum nitidi- „ que Mundi sator vt canit idem ipse Hispanus Poeta lib. 10. 28. Anno- „ rum saeclique caput inquit incertus itidem vates in pictura mensium.*

SER.] *Ad tribum* SERGIAM *pertinere arbitror, illorum* AETOR. AED. *prorsus nescius: quod enim concinnator indicis Gruteriani* SER. ACTOR *legit, manifesta hallucinatio est.*

TORQ. MAIORE] *Torques Maior designat, vt ego censeo, milites, quos Vegetius & eius epitomator Modestinus appellant Torquatos „ duplares, quibus inquit Vegetius lib. 2. cap. 7. Torques aureus solidus „ virtutis praemium fuit, quem qui meruisset, praeter laudem interdum „ duplas consequebatur annonas: duplares duas, simplares vnam. Torquis autem figura cernitur in veteribus nummis. in denario primum* L. TORQVATI *vt animaduertit F. Vrsinus in gente Manlia: & quidem in ora ipsius denarij. tum in nummulo aureo, quem ego alias vidi, & exhibetur ab Antonio Augustino Dial. 1. Antiquitatum, editionis Romanae, specie dracunculorum semet respicientium caudis connexis. Et hanc eandem speciem exprimit antiquum marmor, cuius mihi copiam fecit vir nobilissi-*

mus, idemque in litteratos omnes propenſiſſimus Nicolaus Fabricius Peireſchius, Regius in Aquiſextienſi curia Senator.

TORQVEM AVREVM EX DRACVMCVLIS DVOBVS.

noſtrum vero marmor habet, C. Iulium donatum fuiſſe torque maiore ob annonas forte duplares.

BELLO DELMATICO] *Notandum autem eſt bellum Delmaticum dici, non vitio Quadratarij, ſed recta ſcribendi ratione, licet vſus nunc Dalmatiam ferat, & Dalmaticum. Velius ſane Longus in libello de ortegraphia ſic habet: placet etiam, vt Delmatiam, non Dalmatiam pronunciemus; quoniam à Delminio maxima ciuitate tractum nomen exiſtimetur. Et Aurelius Victor ex editione Andreæ Schotti* V.Cl. *de P. Scipione Naſica ſcribit: Conſul Delminium vrbem Delmatarum expugnauit. Ita etiam præfert ænea tabula, quam edidit F. Vrſinus in gente Pomponia, in qua recenſentur pedites & equites, qui militant in cohorte* III. *Alpinorum, & in* 8. *voluntariorum ciuium Romanorum, qui peregrinæ conditionis probati erant,* ET SVNT IN DELMATIA. *Nummus quoque æneus extat apud me, inſcriptus* FL. DELMATICVS NOB CAES; *illius nimirum Delmatij, quem Dalmatium ſcriptores omnes perperam appellant, quique filius fuit Annballiani fratris Conſtantini Magni, cuius nomen Adolphus Occo ex Velio Longo nititur eruere, neſcio qua bona fide. Codex enim Romanus, & editio Iuniana lectionem Occonis reſpuunt omnino. De bello autem, quod Tiberius cum Delmatis geſſit, conſulendus eſt Suetonius in Tiberio Cap.* 9. *Exhinc Rhæticum, Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum geſſit. Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas; Pannonico Breucos, & Delmatas ſubegit. Ex quibus Suetonij verbis elicimus œconomiam militarem, quæ apud Romanos fuit, cuiuſque veſtigia retulimus ex ænea tabula proxime citata, in qua Cohors III. Alpinorum in Delmatia militabat.*

Sed hoc loco veritati indulgeant Pignorij manes; nam Adolphus Occo & ipſe, tum prima, tum ſecunda editione, Delmatium, non autem Dalmatium legendum fatetur; hocque cum Velio Longo, cuius hæc ſunt ipſiſſima verba. *Velius Longus in libro de orthographia ex auctoritate Varronis, Placet, inquit, vt Delmatium, non Dalmatium pronunciemus, quoniam e Delminio maxima ciuitate tractum nomen exiſtimetur.* (*In Fl. Delmat.*)

OB HONOREM II VIRATVS] Ea, quæ Pignorius de Duumuiris habet, omitto; non ſunt enim diuerſa ab illis, quæ abunde iam obſeruauimus.

CVM LIBERIS SVIS] *Ad filios etenim tranſibat honor Duumuiratus patris ipſius, & magna fuit ſemper vis in exemplo paterno ad capeſcendas religiones, vt innuit cum irriſione Iuuenalis Sat.* 14.

Qui-

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Nil prater nubes & Cæli numen adorant.
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit.

Verum an ad filios honos Duumuiratus peruenerit, dubitare me fateor, cum & ipse non dissimilis consulatui & Præturæ esset, quas dignitates ad posteros nusquam transijsse, omnibus liquido constat.

9. GRACILÆ] Cognomen in eorum numero, quæ ab habitu corporis desumuntur, reponendum; distinguendum tamen à macro, vt ex Cornelij Galli elegijs cognoscere licet. *Eleg. 1.*

Quærebam gracilem, sed non quæ macra fuisset.

CÆSINÆ] Cæsij cognomen, quod in gentilicium nomen transmigrauit, eorum numero aggregandum est & ipsum, quæ à corporis dispositione profecta fuerunt: Cæsij enim dicuntur illi, quorum oculi assimilantur oculis catorum, glaucique coloris sunt: vnde Lambinus ad illud Lucretij *De Rer. Nat. lib. 4.*

Cæsia παλλάδιον : *neruosa & lignea* δορκάς

notat: παλλάδιο *id est parua Pallas, quæ ab Homero describitur, & appellatur* γλαυκῶπις, *id est cæsijs & glaucis oculis.* A Cæsio itaque cognomine Cæsina diminutiuum puto: quoniam blandiendi gratia frequenter diminutiuis vtimur, præcipue in fœminis, de quibus reperitur Crispina, Nigella, & similia.

AED.] Scilicet AEDILI. Ædilis dictus fuit, inquit Varro, *qui ædes sacras, & priuatas procuraret*: Festus vero: *quod facilis ad eum plebi aditus esset.* Romæ ædilium tres fuere ordines: alij enim Plebei, alij Curules, alij Cereales nuncupabantur. Plebeiorum ædilium origo fuit, cum plebs Tribunorum plebis magistratum impetrauit; tunc enim simul flagitauit, vt duo de plebe quotannis crearentur, qui sacrarum ædium, publicorum locorum, & annonæ curam gererent, qui *patrio Romanorum sermone* ab vno officio, quo fungebantur, vocabantur Ædiles, vt inquit Dionysius. *De Ling. Lat. lib. 4. Lit. Æ* *Antiq. Rom. lib. 6.*

Curules vero introducti fuerunt eo anno, quo primum Consul vnus ex plebe creatus est, quorum munus, vt fuse describit Rosinus, fuit, templa, theatra, stadia, fora, porticus, curiam, Basilicas atque mœnia reficere, ornare, custodire. Horum quamuis primi e patricijs creati sint, cum plebe tamen communicatum magistratum hunc colligere licet ex Liuio, vbi ait: *ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus, & Seruius Sulpitius Galba plebeij*: tum etiam ex ijs, quæ de Ædilibus Cerealibus habet Dio. *Liu. Hist. lib. 7.* *Antiq. Rom. lib. 7. cap. 25.* *Hist. lib. 7.* *Lib. 43.*

Ceterum scribas & viatores ædilibus inseruijsse, ex Liuio licet perspicere, qui scripsit. *Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitij clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt non sine infamia Luculli ædilis.* *Hist. lib. 30.*

Ædi-

De Antiq. Iur. Ital. lib. 2. cap. 4. Ædilem dignitatem inter magistratus coloniarum recenset Sigonius. Patauij quoque ædiles, & quidem omnes fuisse, inde mihi persuadeo, quia & hodie quoddam illius honoris vestigium apparet. Plebeiorum enim ædilium fungi videntur officio duo illi ex nostro ordine ciues, qui vulgo *Caualieri del Commune* nominantur; cum ad istos pertineat annonæ vniuersæ curam gerere, iniqua pondera, & iniustas mensuras corrigere ac confringere, ganeata obsonia inhibere, ac studiose demum inuigilare, ne impuniti maneant illi, qui annonæ vbertati quoquomodo officiunt.

Curulium ædilium apud nos sunt loco viri illi primi ordinis, qui *Deputati ad Ecclesias* dicuntur; & illi qui Prætorio nostro, & vijs præsident. Istis enim conuenit curare, vt templa, fora, viæ, ædificia publica, salua conseruentur, restaurentur, perficiantur. Tandem Cerealium ædilium vicem gerunt ciues illi nobilissimi, destinati cum Illustrissimo & Excellentissimo Prætore ad copiam frumenti incolarum commodo assidue procurandam, communiter à nobis dicti *Deputadi alle biade*.

II VIRO III] Quæ legenda credo DVVMVIRO TERTIVM; Idem ibid. nempe ob honorem Duumuiratus tertio gestum. Duumuiratus enim in colonijs, vt vidimus, prope consulatui aut præturæ compar fuit.

QVINTIÆ] Idem forte ac QVINTIAE, quod nomen gentis patriciæ minorum gentium fuit. Tullus enim Hostilius Rex cum Albanis in ciuitatem adsciuit familiam istam, nec in patricium ordinem tantum, sed & in Senatum adlegit. Ea multis Dictatoribus, Consulibus, tribunis consulati potestate claruit. Hanc gentem etiam plebeijs In gent. Quinct. accenset Vrsinus ex Liuio lib. 24. & Cicerone pro A. Cluentio. Quinctia præterea à Quincto denominata, alij genti, nempe Quinctiliæ, teste De Antiq. Nomin. Panuinio nomen dedit.

X. VIRO] Romæ Decemuiri fuerunt dicti, non tantum qui Sibyllinos libros custodiebant, verum etiam qui STLITIBVS IVDICANDIS præpositi erant.

RVFO] A colore cognomen desumptum quis non cognoscit?

CELSO] *Celsus ex Græco κέλης eques dictus*, vt notat Festus: Isi- Lit. C. Etymolog. lib. 10. dorus vero: *Celsus à cælo dictus, quod sit sublimis & altus quasi cælestis.* Quidquid de hac voce sit, loca omnia sublimia celsa dicta apud Virgilium obseruo: Aeneid. lib. 6.

Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Et Lib. 8.

Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio.

10. Græ-

10. Græcam hanc inſcriptionem, & apud Petrum Bembum in ſuis epiſtolis Italicis, & apud Gruterum deſcriptam inuenio, verum ab ea, quam habet ſaxum, nonnullis in locis diuerſam: Gruterus ſiquidem ΑΝΤΙΧΕΤΤΣ, Bembus ΑΝΤΟΙΧΤΣ habet, cum tamen in monumento videatur ΑΝΤΙΟΧΕΤΣ. Vbi vero in lapide legitur ΚΑΤΣΙΝ, Bembus & Gruterus ΛΑΤΣΙΝ ſubſtituunt, ac tandem quod ΤΟΙΧΟΙΣ eſt, Gruterus ΤΙΧΟΙΣ ſcribit. *Lib. 3. Fol. 84. n. 3.*

Latinam eius verſionem quam damus, Rhamnuſianam eſſe, ex eodem Bembo deprehendere licet, qui eam vti optimam collaudat.

IN MEMORATIS ÆDIBVS CONTARENIS.

ETſi ſepulchralis huius legis, quod hic ſequitur, fruſtum me monere quodammodo videatur, vt de Buzzaccarenorum, in quorum ædibus condignum olim locum obtinuit, antiquiſſimæ ſimul ac nobiliſſimæ familiæ laudibus aliquid attexam, ingenij tamen mei viribus tantum non confido, vt digna me allaturum eſſe credam; nec vnquam futurum ſpero, vt tam amplam gloriam tam exiguæ chartæ anguſtiæ capiant. Tantis enim tamque eximijs viris omni æuo reſplenduit, quorum aliqui virtute ac probitate, alij ſcientia & eruditione, alij militari laude immortalem famam ſibi peperere: prǣterea tot religioſiſſimos progenuit Epiſcopos, tot fortiſſimos terra marique belli duces; tot alias clariſſimas familias affinitate ſibi deuinxit, vt neſciam, an ad ampliores honores aſpirare potuerit. Timendum igitur eſt, ne tam illuſtri nomini mea penna maculam potius aſpergam, quam quid adijciam ornamenti; maxime cum dignius prædicari non poſſint, quæ orbis vniuerſus ſtupet, & celebrat. In huius igitur glorioſiſſimæ familiæ ædibus præſens fragmentum aſſeruatum primo fuit: inde temporis progreſſu ad Quirinos, ab his cum ceteris monumentis ad Rhamnuſios, denique autem Ateſte ad Contarenos deuenit.

INFERENDI IN AREA HVMANDI
SEPELIVNDI IVS POTESTASQ. ESTO
ET HVIC AREÆ QVAM EGO DIFINII
ET A FRONTE MACERIAS DVXI ET TITVL
POSVI VLTRA EAM AREAM ET
MACERIAM IN FRONTE IN AGRO
VERSVS LATE. PED. X. RETRO VSQ AD
CANABETVM HVIC AREAE CEDET
QVA PEDATVRA NEQVE HVMARI NEQ
TVMVLVM FIERI VOLO VT HABEAT
EA AREA ET A TERGO ET A LATERE ACCESSVM
SVVM

Lex

Lex ista sepulchralis, quousque sepulchri area, & ad quos sepulturæ ius porrigatur, aperte definit.

AREA] Festi testimonio *Area proprie dicitur locus vacuus quasi exaruerit, & non possit quidquam generare*: vti sunt loca sepultutis destinata, quæ cum olim sacra essent, nihil in ijs serebatur: idque forte legibus vetitum erat. Et propterea Area dicebatur tota sepulchri planities: nisi locus tantum, qui tumuli ambitu concludebatur, area dictus sit, similitudine desumpta à morbo capitis cum defluuio capillorum, area dicto, Græce ἀλωπεκία: vnde apud Petronium Eumolpus. Lib. A. In Satyric.

Quod summum formæ decus est, cecidere capilli:
Vernantesque comas tristis abegit hiems
Nunc vmbra nudata sua jam tempora mærent:
Areaque attritis ridet adusta pilis.

MACERIA] Maceriam *Varro de Re Rustica*, vbi de septis loquitur, explicata tertia eorum varietate, sic describit. *Quartum fabrile sepimentum est; nouissimum maceria. Huius fere species quatuor: quod fiunt e lapide, vt in agro Tusculano: quod e lateribus coctilibus, vt in agro Gallico: quod e lateribus crudis, vt in agro Sabino: quod ex terra & lapillis compositis in formis, vt in Hispania & agro Tarentino.* Ideo Maceria est seps, quæ locum aliquem cingit ac munit, ne omni incursui pateat; & propterea male apud Scardeonium pro maceria, maceries reponitur: nam maceries Nonio auctore idem est ac maceratio. Lib. 1. cap. 14. Lib. 1. Class. 4.

CANABETVM] De hac voce, quid proprie significet, nihil certi afferre possum, nisi conueniat forte cum vocabulo canabulum, quod locum lapide congerie coopertum significare nomenclatores ostendunt, vel nisi vt à lauro lauretum, ita à canabo canabetum proficiscitur.

PEDATVRA] Sepimentum forte ex palis confectum, desumpta à pedamentis origine, quæ fulcimenta vinearum esse Varro nos docet: *quibus stat rectis vinea, dicuntur pedamenta; quæ transuersa iunguntur, iuga: ab eo quoque vineæ iugatæ.* Vnde pedamentum forte idem ac pedatura; nisi cum Brisonio *de Formulis* omne quod pedibus ambitur, pedatura dicatur. De Re Rust. lib. 1. cap. 8.

In hoc sepulchrali fragmento non est legendum cum Scardeonio MACERIEM, neque PEDATARA, cum MACERIAM & PEDATVRA saxum exhibeat. Ceterum ad Appiani imitationem minutis literis additis monumentum restituendum censui, cum tantummodo maiores characteres hodie oculis, & quidem difficultet, subijciantur.

VICENTIÆ APVD HIERONYMVM GVALDVM.

GEns de Gualdo claro Vicentiæ loco conspicua, virorumque literarum & armorum gloria emicantium feracissima, procreauit tum Paulum & Iosephum insignes Patauinæ Cathedralis Archipresbyteros, tum Hieronymum prioris illius nepotem, secundi huius fratrem, virum scientiarum bono, tum antiquitatum præsertim conseruationi diuinitus datum. Hic dum Patauij cum Iosepho fratre vixit, musæum nobilissimum & ornatissimum sibi conduxerat, in quo monumenta e varijs ciuitatis ædibus singulari studio & industria comportata, atque à nobis hoc loco subijcienda, religiosissime custodiuit. Ceterum Iosepho acerbo funere e viuis nimis mature sublato, in patriam redjit, secumque omnes, quas plurimas coaceruauerat, inscriptiones asportauit. Ibi tamen in musæo æternitati dicato, veneratione etiamnum gaudent.

I



II



D.M.

3.

D. M.
T. CAPELI T. F.
VINDICIS
IN. F. P. XXXVI.
INT. CO. XS. P. XXXII
IN. F. CO. N. F. P. XXXVI

4.

L. MANLIVS L. F.
ACIDINVS TRIV. VIR
AQVILEIAE COLONIAE
DEDVCONDAE

5.

D. M.
PHILVMENVS
AEMILII CAELERIS
MARCIANENI COIVG.
AMANT.

6.

C. CASSIVS
SEVERVS
MISSVS EX. PR.
SPECVLATOR
A.A.V.S.L.M.

7.

ELIVS Q. L. GALLIO SIBI MA..

8.

. . . . . SC. PLOS. . . .
. . . PLOS VRI. . . . . .
. . VIR. I. D. FIERI VXOR.

1. Duo illa ſaxa Græca inſcriptione ſignata ſic latine explico

ÆDEMON

IMMATVRA MORTE PRÆREPTVS

PAVPER

Et tunc pro νῶσας, νῶσις erit legendum. Quod ſi autem ΝΟΣΑΣ nomen proprium forte fuerit, tunc latine id ſic interpretor

NOSAS VERECVNDVS

IMMATVRA MORTE

PRÆREPTVS

Monumentum hoc vna cum ſequenti habet Gruterus, verum mu-
Fol.808.n.6. tilum, & valde diuerſum; apud ipſum enim legitur.

. . . . ΝΑ . . .

ΡΟΥ . Σ Υ . . . . .

ΧΡΗΣΤΕ. ΧΑΙΡΕ

ibid. 2. In ſecundo tamen Gruterus, vbi ΤΗΝΙΕ Gualdij accuratiſſimi fide proſtat, ponit ΤΗΣ . . Ε. Idem autem latine ſic vertendum credo.

MENANDRE

MENANDRI. F

EX INSVLA TINO

BONE SALVE.

3. Inſcriptionem iſtam apud Scardeonium fuiſſe ſatis manifeſte patet: eam enim inter ſuas ipſemet deſcribit.

CAPELI] Ab hac gente Capellorum forte familia apud Venetos ſummæ nobilitatis originem traxit. Ceterum quod Capella cognomen etiam fuerit, Martianus indicat, cuius libros habemus de nuptijs Philologiæ.

VIN-

VINDICIS] Cognominis huius rationem Festus his verbis declarat: *Vindex ab eo quod vindicat, quo minus is qui prensus est ab aliquo teneatur*. Eiusdem vero auctorem primum puto seruum illum, qui Nobilium iuuenum Romanorum coniurationem de restituendis Regibus detexit. Nam quoniam, vt ait Liuius, *primus dicitur vindicta liberatus, quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant: Vindicio ipsi nomen fuisse. post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in ciuitatem accepti viderentur*. Lit. V. Hist. lib. 2.

4. L. MANLIVS.] E Rhamnusiorum ædibus saxum hoc ad Tomasinum peruenit; inde anno MDCXL. ad Gualdum, qui ab ipso Tomasino id sibi fuisse donatum fatetur.

TRIV. VIR. AQVILEIÆ COLONIÆ DEDVCONDÆ] TRIV. VIR. pro TRIVMVIR sculptum quadratarij forsan errore. *Volscis deuictis Veliternus ager ademptus: Velitras coloni ab vrbe missi, & colonia deducta*: ita Liuius. Quomodo autem deducta fuerit, ex Halicarnasseo conijcitur, cum de Velitrensibus scribit: *Ob has igitur causas ocius colonia decreta est triumuiris ad eam deducendam à senatu creatis*. Videnturque ex obseruatione accuratissimi Sigonij hi primi fuisse creati, ex eo vero tempore mos iste inualuisse, vt quotiescunque colonia deducenda esset, triumuiri eligerentur. Ceterum qui plura desiderat, Rosinum consulat, qui fuse de eorum electione, dignitate, & munere. Hist. lib. 2. Antiquit. Rom. lib. 7. De Antiq. Iur. Ital. lib. 2. c. 5. Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 47.

AQVILEIÆ COLONIÆ DEDVCONDÆ] Anno V. C. DLXX. Romæ agitabatur, *vti colonia Aquileia deduceretur, nec satis constabat, vtrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt. triumuiri creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius. L. Manlius Acidinus*: ita Liuius, qui & modum deductionis eiusdem hisce verbis declarat. *Aquileia colonia Latina eodem anno in agro Gallorum est deducta. tria millia peditum quinquagena iugera, centuriones censena, quadragena equites acceperunt. triumuiri deduxerunt P. Cornelius Scipio Nasica. C. Flaminius Acidinus*. Verum amplissimæ huius ciuitatis, quam extra Venetiæ fines Strabo locat, vix vestigium apparet: nam præter vasta rudera, quæ ob tantæ maiestatis interitum lacrimas excitant, nihil aliud, eheu! superest. Hist. lib. 39 Hist. lib. 40. De Sit. Orb lib. 3.

L. MANLIVS. L. F. ACIDINVS.] Hic anno ab V. C. DLXXV. consul fuit Liuio teste: *Q. Fuluius Flaccus ex Hispania rediit Romam cum magna fama gestarum rerum, qui cum extra vrbem triumphi causa esset, (os. est creatus cum L. Manlio Acidino*. Hi consules fratres germani fuerunt teste Verrio Flacco, cuius consulares tabulas ab obliuione vindicatas nobis eximius antiquitatum cultor Panuinius subministrat: ibi enim sic designantur. Hist. lib. 40. Fastor. lib. 1.

L. MAN-

L. MANLIVS . L . F . L . N . ACIDINVS FVLVANIVS

Q. FVLVIVS Q. F . Q. N . FLACCVS

Hei fratres germani fuerunt.

Hosque primos fratres obseruo simul hoc honore functos.

Vlterius L. Manlium Acidinum istum ex gente Fuluia progenitum, in Manliam à L. Manlio L. F. L. N. Acidino fuisse adoptatum, facile est colligere ex nomine eius gentilicio, post Acidini cognomen posito, atque in anus desinente; hæc enim vsitatior ratio mutandi nominis in adoptionibus fuit, vt fuse *ex Dione lib.* 40. *&* 46. obseruat *de Nominibus Antiquis* Panuinius. At Manlij istius meminit Cicero: *Dic de* De Orat. lib. 2. *L. Manlio; Virum bonum inquit, egregiumque ciuem esse arbitror.*

Monumentum hoc quamuis mutilum apud Gualdum conspiciatur, de eo siquidem nihil aliud legitur nisi

. . . .

. . . . RIV. VI . . .

AQVILEIÆ COLONIÆ

DEDVCONDÆ

attamen integrum exhibere volui, tum ex ijs, quæ vidi in notis Rhamnusianis ad Scardeonium, tum ex Liuio, & Fastis ipsis.

5. CELERIS] A corporis habitudine cognomen hoc emanasse, Antiquit. Rom. lib. 2. satis constat; nam *promptos, & ad opus veloces Romani celeres vocabant;* vt Dionysius tradit de equitibus, qui celeres vocabantur, à Romulo institutis.

6. EX PR. SPECVLATOR.] Quæ accipio EX PRAECEPTO SPECVLATORVM; nam illas notas EX. PR. vel EX PRAECEPTO, vel EX PRAEDIO significare, fere omnes notarum abbreuiatarum explanatores affirmant. Sed cum ex prædio nihil cum speculatoribus meo iudicio habeat, potius ex præcepto, quam ex prædio legere volui.

Speculatores nos Itali *le sentinelle* vocamus. Genus erat militum, & quidem in re militari versatissimorum, vt ex Æneæ antiquissimi scriptoris poliorcetico, Isacio Causabono interprete, colligitur. *In singulis au-* De Tolerand. Obsid. cap. 6. *tem specularum locis, tres minimum hemeroscopos stationem agere necesse:*

atque

atque eos non quos casus fortuitus obiecerit, sed belli peritos: ne speculator præ imperitia aliquid opinatus, det eius rei signum, aut nuntium in vrbem deferat, & sine causa negotium oppidanis facessat. Hoc idem videtur innuere Frontinus, dum ad inimicos explorandos lectissimos ac sagacissimos viros missos ostendit. Speculatores ab exploratoribus in eo tamen differunt Festi auctoritate, quia *speculator hostilia silentio percipit, explorator pacata clamore cognoscit.* Speculatores tam in pedestri agmine, quam in equitatu adhibitos fuisse, nobis declarat Lucanus.

Stratag. lib. 1. cap. 2.

Lit. S.

Pharf. lib. 8

Iam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis aduentu placidam compleuerat aulam.

Nec in terrestri tantum acie, sed & in maritima speculatoribus locus erat, qui etiam naui, qua vehebantur, nomen dedere. Hinc speculatorium nauigium, quo Cæsar in littore Britannico vsus est: *Scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit.* Sed speculatores non semper dictos, qui de rebus hostium ad suos referrent, verũ etiam milites illos, qui principes vbique stipabant, nec non & carnifices ita vocatos reperio. De militibus testis est Suetonius in Claudio: *Sed nihil æque ac timidus, ac diffidens fuit. Primis Imperij diebus, quamquam, vt diximus, iactator ciuilitatis, neque conuiuia inire ausus est, nisi vt speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur.* De carnificibus Iulius Firmicus: *Speculator facit, qui nudato gladio hominum amputat ceruices.*

De bello Gall. lib. 4.

Cap. 35.

Lib. 8. cap. 26.

A. A. V. S. L. M.] Duas primas illas literas notarum explicatores interpretantur, vel AVRVM. ARGENTVM, vel APVD. AGRVM. Vnde ego omnes coniunctim sic forte posse legi opinor

APVD AGRVM vel AVRO ARGENTO VOTVM SOLVIT LVBENS MERITO.


8. GALLIO] Cognomen, si ita nos coniectare non dedecet, à gallarum in glandiferis arboribus nascentium similitudine ortum, quæ cum leues sint, leuem forte virum significare poterant. Nisi Gallius sit dictus eo modo, quo Hadrianus Iunius Galeon accipit; videlicet id quod maculis albis, lenti non disparibus, est conspersum.



IN MVSEO IOANNIS RHODII.

HÆc monumenta, quorum prius rudi cippo, è Terra Nigra Patauio vicina eruto inciſum, Pataulj in auguſto Laurentij Pignorij muſeo conſeruabatur, alterum Venetijs à Daniele Nijs, negotiatore Belga, omnis elegantiæ ſtudioſo donatum, Ioannes Rhodius antiquitatum indagator ſolertiſſimus magna cura & ſtudio cum rarioribus libris Hafniam regia & Athenæo claram tranſmiſit.

1.



2.

DIS . M.
FVRTA . FORTVNATA
D . FVRIO . FELLOI . PA
TRONO . SVO . KARISSIMO
DE . SE . BENEMERENTI
F . V . AN . XXXX

1. L. S.] Hoc eſt LOCVS SEPVLTVRAE, vel vt aliquibus placet LOCVS SACER. Sepulchrorum enim loca ſacra fuiſſe, abunde iam obſeruauimus.

Q.M.

Q. M. ANTONI] *Quemadmodum duobus nominibus, & pluribus cognominibus veteres sæpe vsi sunt, sic neminem vnquam inueni, qui duo prænomina eadem appellatione frequentauerit*, ait Panuinius. Sed Antonium istum Quintum & Marcum prænominatum fuisse, nec non eius fratrem Caium & Marcum, inscriptio demonstrat. Quod factum puto tempore, quo ritus & mores antiqui strictius obseruabantur; videlicet ante Augustum (quia sub Imperatoribus omnia ista confusa, & pro illorum arbitrio disposita fuisse, monet idem Panuinius): nam si post M. Antonium III. virum Reip. constituendæ, hoc est Imperatorum æuo, isti duo Antonij vixissent, Marci prænomen assumere nō potuissent, id enim ex Senatusconsulto vetitum erat. Ideo concludendum, vel istos ante id tempus vixisse, & propterea aliquando duo prænomina, antiquioribus temporibus vsitata, vel cum gente Antonia coniunctionem non habuisse: quod tamen difficulter credo, cum proprium nomen antiquorum gentilicium fuerit: vnde si Antonij dicti sunt, necessario ex Antonia gente orti fuere. *De Antiq. Nomin.* *loco cit.* *Plutar. in M. Ant.*

2. FVRIO] Gentem istam ob Consules, Tribunos militum consulari potestate, Censores, Dictatores longe clarissimam, Panuinius patriciam tantum minorum gentium dicit: Vrsinus vero in patriciam & plebeiam distinguit, T. Liuij fultus auctoritate, qui libro nono L. Furij Tribuni plebis, & trigesimo nono Marci Furij Lusci Ædilis, à quo Ludi Plebeij aliquando instaurati sunt, meminit. Obseruo tamen, Dictatores, Consules, Trib. militum consulari potestate, ac Censores, omnes patricios, fuisse cognominatos Medullinos Fusos, Fusos Pacillos, Medullinos, Pacillos, Fusos, Camillos, Philones, Purpureones. Vbi inter huius nobilissimæ gentis illustres viros non sunt reticendi, L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus Tribunatu militari consulari potestate septies ornatus, & M. Furius Camillus sexies consul, sed quod gloriosissimum, quinquies Dictator creatus. *De Antiq. Nomin.* *De Famil. Rom. in Gen. Fur. fol. 104.*

PROPE AVGVSTAM VINDELICORVM AD VINDONEM FLVVIVM.

fol 433. Lib. 1. Class. 4 fol 89. Antiq. August. Vindel. fol. 256.

HÆc quatuor ſequentia ſaxa, Appiani, Scardeonij, ac Velſeri teſtimonio, cum Patauin. ager à Germanico milite vaſtaretur, ſublata, ac in ripa fluminis Vindonis prope Auguſtam Vindelicorum, ad rei memoriam collocata fuerunt. Imo nobiliſſimus ſimul ac eruditiſſimus Marcus Velſerus, non tam de patria, quam de bonis literis probe meritus, in ſuo *Rerum Auguſtanarum Vindelicarum*, eorum hiſtoriam breuiter ſic deſcribit. *Matthæus Langus Auguſtæ patricio genere natus, à*

Loco cit.

Iulio II. Pontifice in Cardinalium collegium cooptatus, Epiſcopus primum Gurcenſis, dein Salisburgenſis Archiepiſcopus lectus, Inſcriptiones, quæ ſequuntur quatuor ſupernumerariæ, ex agro Patauino, dum Patauium Maximiliani Imp. auſpicijs obſideretur, Velemburgum ad Vindonem fluuium prope Auguſtam tranſtulit.



D.M.

3.

D. M.
ÆMILIÆ
CHRISIDI. LIB.
ET CONIVGI
V.A.XXXII
C. ÆMILIVS
CALPVRNIAN
VET. N. SVR.
ET SIBI . V. P.

4.

PORTITORI.PLVTO
NI. ET. PROSERPIN
HAVE. IVLIA. C. FIL.
MAXIMA. FELIX. DOM
TROMENT. SALON
ANIMVLA. DVLCIS
ANIMVLA. SVAVIS
ANIMVLA. IN. DEORVM
NVMERVM. RECEPTA
VNDE. TALE. QVANDO
TALE. ET. CVI. TALEM
V. A. LIX. MEN. VI. D. XII
HOR. NOC. IX. T. SCRI
BONIVS. BARBVLA
CONIVGI. INCON
PARABILI. B. M. P. C
ET. INFRASCRIPTIS
VV. C. ARRIO MARIN

Ne ab instituto meo diuerterem, assidue laboraui, amicorum etiam vsus opera & auxilio, vt quatuor harum inscriptionum, quæ Velemburgum, vt modo vidimus, fuere delatæ, veram ac genuinam delineationem obtinerem, easque saltem quoad memoriam patriæ suæ sine mendis restituere possem; cum apud Petrum Appianum, Scardeonium, Velserum, & Gruterum diuerse plane designentur. Scripsit itaque in meam gratiam amandissimus Rhodius Augustam nobilissimo Georgio Hieronymo Velschio, viro ob summa animi ac ingenij decora vere singulari, cuique ratione assiduæ, quam in illis inuestigandis meo nomine professus est, diligentiæ, supremam debeo obseruantiam & amorem. Is itaque de inscriptionibus istis hæc inter cetera Rhodio nostro rescripsit: *De monumentis Patauinis, quæ M. Velserus Velemburgum translata memorat, Nobilissimum Vrsatum certiorem facies, nihil plane superesse. Arcem illam amænissimam inter primos belli motus militaris insolentia fere funditus deleuit. Vnde nihil veteris splendoris retinuit præter vnum parietem, in quo Illustrissimorum Comitum Fuggerorum insignia saxo insculpta cernuntur. Hi enim illius loci Domini sunt. Qui nunc eam tenet, Leopoldus vocatur; cui Viennæ cum fratre iam plures annos lis est de possessione etiam aliorum bonorum. ex ipsius D. Leonardi Foschij ore hæc scribo, qui Leopoldi absentis negotia hic curat, & res omnes administrat.* hæc diligentissimus Velschius. Quæ cum sic se habeant, duas primas

inſcriptiones eo modo delineari curaui, quo apud Petrum Appianum reperiuntur, ne aliquid ipſis bellorum ac temporum iniuria detractum videretur.

1. SPEDIÆ] Romæ aliquando gentem iſtam ignotam non fuiſſe, colligere poſſumus, tum ex ſiniſtra parte baſis marmoreæ prægrandis, quæ Romæ ſub porticu domus Conſeruatorum in Capitolio extat, in qua inter eos, qui deſcribuntur.

IN VICO SALVTARI

Grut. fol. 250. memoratur

L. SPEDIVS L. L. AMANDVS

Idem fol. 32. n. 4. tum etiam ex ara quadam, in qua ſculptum videtur

SOLIS
ARA
L. SPEDIVS
QVADRATVS
D. D.

fol. 257. PANNYCb] De hoc cognomine ita Velſerus: *Ignotus character tertij verſus libertam credo ſignificat*. Verum cum Græce Παννύχιος adiectiuum ſignificet pernox, item qui totam noctem peruigilat, qui totam noctem laboribus tranſigit, ego Pannychiæ legendum, atque mulierem iſtam à nocturnis vigilijs & operationibus Pannychiam cognominatam fuiſſe ſuſpicor. Vlterius in Petroniana Satyra puellam Pannychidem nominatam videre eſt.

2. IVL.] Iulia gens eſt dicta à cognomine Aſcanij Æneæ filij, quod fuit Iulus teſte Virgilio.

Aeneid. lib. 1.
At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)

Vnde & eiuſdem gentis ipſum auctorem poeta idem declarat.

Naſcetur pulcra Troianus origine Cæſar,
Ibidem. *Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,*
Iulius à magno demiſſum nomen Iulo.

Et alibi.

Aeneid. lib. 6.
Huc geminas nunc flecte acies, hanc aſpicem gentem
Romanoſque tuos. hic Cæſar, & omnis Iuli
Progenies, magnum cæli ventura ſub axem.

Hanc Albanam origine fuiſſe, ex Proculo Iulio Panuinius demonſtrat, eamque inter patricias maiorum gentium recenſet. Stante republica

blica honoribus quidem maximis fuit condecorata, deinceps vero ob Cæsarem & Augustum Romani Imperij conditores, ad supremæ gloriæ fastigium emersit. Eadem in varias familias diuisa fuit, vti cognoscitur ex cognominibus Mentoris, Libonis, Cæsaris, Strabonis, Bursionis, Apuli, Augusti, & Germanici. *Panu. de Nom. Antiq.*

GERMANVS] Cum hoc cognomen à Germania prouincia deriuatum non sit (siquidem Germanici, non autem Germani vocati fuerunt, qui eius prouinciæ cognomen sibi conciliarunt) Germanum, ad distinctionem forsan alterius cuiusdam Iulij fratris sui, dictum suspicor: nam Cornelij Frontonis auctoritate *Germanus ex ijsdem parentibus sit necesse est*. Vnde & Iuno Iuturnam sororem Turni alloquens dixit *Aeneid lib. 12.*

Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge: decet. forsan miseros meliora sequentur.

Quod vocabulum ad fratrem aut sororem indicandam Virgilio familiarissimum fuisse, sæpe sæpius videre est.

ARMORVM CVSTOS] Multis in prouincijs arma pro Imperij vsu facta, ac certis in locis reposita fuisse, Pancirolus *de Notitia Dignitatum Vtriusque Imperij* non vno in loco apertissime docet. Vnde facile est credere, quod vir iste ob curam armorum sibi impositam, se custodem armorum nuncupauerit.

Ad hanc inscriptionem subiungit eruditissimus Velserus: *Hier. Rubeus hist. lib. 1. prope geminam inscriptionem Rauennæ ad Sacrarium D. Apollinaris, Mazochius Romæ ad S. Stephanum in Ægypto extare scripserunt.* *Fol. 237.*

Habet inscriptionem istam Appianus, omnino similem illi Velseri; item Scardeonius, qui loco MARCIANAE substituit MARCINA; & Gruterus, à quo MARCIANA reponitur: cui mehercle accederem & ego, nisi Velserus antiquitatum cognitione nemini secundus, oculorumque, vti credo, fide commotus MARTIANAE scripsisset: alioquin, cum fabrile mendum non sit, quomodo VALERIA MARCIANAE conueniat, prorsus ignoro. *Inscrip. Sacrosanct. Vetust. fol. 432.* *Lib. 1. Class. 4. fol. 83.* *Fol. 346. n. 9.*

3. CHRISIDI] Eiusmodi cognomen mulieri huic datum fuisse mihi persuadeo, vel quod sordida & vnctuosa esset, vel quod se fuco illineret; cum χρίσις apud Græcos Suidæ testimonio sit vnctio, illitio.

C. ÆMILIVS CALPVRNIAN. VET. N. SVR] Circa has notas Velserus scribit: *Nisi se Æmilium Veteranum natione Surum, id est Syrum proderet, videri poterat familia Calpurnia ortus, in Æmiliam adoptione transijsse.* Verum vt Calpurnium istum in Æmiliam stirpem adoptatum credam, me mouet tum nomen familiæ pro cognomine vsurpatum (quod est rarissimum) tum terminatio in anus *Fol. 256.*

nominis

nominis Calpurnij, qui primus adoptionis modus fuit, vt cum Pannionio iam vidimus. Vnde hunc Calpurnium Surum cognominatum, & in Veturia tribu fuiſſe deſcriptum exiſtimo. Quid autem Suri cognomen ſignificet, ſuperius iam adnotauimus. Notæ enim illæ VET. N. fortaſsis temporis iniuria oculis ſubtractæ, ſignificabant VETVR; & ſic monumentum habere potuerat

C. AEMILIVS CALPVRNIANVS VETVRIA SVRVS.

Fol. 432 In hoc monumento Appianus, Gruterus, & Velſerus conueniunt; Fol. 518. num. 9. ſolus Scardeonius pro CALPVRNIAN. CALPVRNIAM habet, quod Fol. 256. prorſus ineptum iudico.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 85. 4. Ad ſaxum iſtud Velſerus ſcribit: *Inſcriptio tota nectarea, ſed molliſsima deliciæ ridicule in animulam ſexagenariam impenſæ.* Vnde tale, Fol. 258. quando tale *quidquam ortum*, & cui talem *coniugem habere contigit? Horatium de Auguſto in memoriam reuocat.* Lib. 2. Epiſt. 5.

Nil oriturum alias, nil ortum tale —

Scribonia gens Romæ plebeia, imaginibus illuſtris, ex qua Auguſto aliquando vxor.

INFRASCRIPTIS] *Quoque tunc temporis viuis, de ſepultura iure cautum. eorum plura fuiſſe aſcripta nomina credibile, in alio fortaſſe lapide, nam in iſto nihil ſpatij reliquum.*

PORTITORI. PLVTONI. ET. PROSERPINÆ] Monumentum iſtud ſepulchrale tribus inferis numinibus fuit dicatum; ſcilicet Charonti, Plutoni, & Proſerpinæ: Charontem enim antiqui communiter Portitoris nomine deſignabant. Ariſtophanes ex Nicodemi Friſchlini verſione habet:

Ranæ Act. 1. Scen. 2.

——— Portitor
Quidam ſenex te in nauicula tantillula
Traijciet, acceptis à te nauli vice
Duobus tantum obulis —

Iuuenalis etiam Græco vocabulo πόρθμεα, quod ſignificat latine portem, ipſum vocat.

Satyr. 3.

Iam ſedet in ripa, tetrumque nouitius horret
Porthmea.

Georg. lib. 4. Et Virgilius:

Dicere præterea vidit: nec portitor Orci
Amplius obiectam paſſus tranſire paludem.

apud quem pulcherrimam eiuſdem Portitoris deſcriptionem *ſexto Æneid.* videre eſt. Ac tandem Claudianus, ne poetas omnes, qui Carontem Portitorem dixerunt, hic reponam.

De Rapt. Proſerp. lib. 2.

Impexoſque ſenex velauit arundine crines
Portitor, & vacuos egit cum carmine remos.

FE-

FELIX. DOM. TROMENT. SALON. ANIMVLA DVLCIS &c.] Hunc locum mendo infectum esse credo ob imperitiam fabri: nam quid duæ illæ notæ TROMENT. SALON significent, prorsus me fugit: vnde libenter legerem cum Scardeonio FELIX DOMINI TORMENTVM SALVE ANIMVLA DVLCIS &c. Si enim vbi TROMENT. conspicitur, tribui locus esset, vtique pro TROMENTINA tribu illam notam acciperem; at cum ibi tribus nomini locus non detur, vt patet in monumentis apertissime, propterea mendum latere suspicor. Nisi dicere velimus, quod corrupte antiqui TROMENTVM pro TORMENTO dixerint; prout nostri rustici etiam hodie sua lingua *tromento* pro tormento pronunciant & scribunt. *Lib. 1. Class. 4. fol. 83.*

BARBVLA] Cognomen esse à barba deriuatum liquido patet.

Cum Appiano Gruterus & Velserus in huius monumenti descriptione conueniunt; Scardeonius vero ab istis omnino alienus legit, vt modo dixi, FELIX. DOMINI. TORMENTVM. SALVE. ANIMVLA DVLCIS, & eo loco, vbi priores illi QVANDO TALEM ponunt, ipse QVANDO TALE scribit; deficiuntque apud ipsum sequentia vocabula. *Fol. 433. Fol. 394. n. 1. Fol. 258.*

ET INFRASCRIPTIS

VV. C. ARRIO. MARIN

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA

LIBER I. SECTIO VIII.

SVBVRBANA.

AGer totus, qui bis mille passuum extensione, ducto à magno iuris prætorio dimensionis initio, continetur, quamuis extra mœnia situs, ciuitatis tamen iure quodammodo fruitur, nihilque cum ceteris ruribus commune habet. Vocatur autem à nobis ager conclusus intra terminos: anno enim MCCLXXXVII. mense Iulio, Prætore tunc Patauino *Barono de Manzatoribus de Sancto Miniato de Tuscia* certi constituti sunt limites, qui etiamnum in vijs regijs comparent, agrumque hunc à reliquo ditionis Patauinæ districtu separant. Intra hos limites monumenta nonnulla deprehenduntur, quæ cum ad nullum locum referri commodius possint, ciuitati annectenda esse duxi.

Ex Chron. Reg.m. Ciuit. Pad. M. S.

IN VICO BRVSEGANA DICTO

In parietibus ædium

BARTHOLOMAEI FICHETTI

L : S : Q : VITO
RI Q. F. IN
FRONTE P.
V. RETRO
P. IV.
V. S. ET. S. PO

Cum


Cum Patauij in Prato Vallis puteum domi suæ refecturus esset Io. Baptista Fichettus, vir singulari modestia ac comitate præditus, nec non ob antiquitatum conseruationem magno elogio dignus, fossores inciderunt in hoc saxum, & alia quamplurima vasa, exigua tamen, vno solo excepto, cui inclusa erat vrna quam elegans, suo operculo tecta, parua officula sine cineribus continens, quæ apud Bartholomæum filium adhuc custodiuntur. Monumentum vero ipsum pater in pago *Brusegana* ædium suarum parietibus inseri curauit, vbi & nunc conspicitur, literis vetustate ferme exesis.

L. S.] Quod est LOCVS SEPVLTVRAE seu LOCVS SACER. Vidimus enim vtrumque, & apud notarum explicatores, & in lapidibus expressum.

V. S. ET S. PO.] Scilicet VIVENS SIBI ET SVIS POSVIT.

IN ECCLESIA PAGI ALTICLERII

Extra portam Caudæ Longæ sesqui ab vrbe lapide pagus iacet Alticlerius nominatus, vbi orientem versus, Ecclesiæ parietibus, exiguo à terra interuallo, hoc monumentum inclusum visitur.



Habent hanc inſcriptionem Scardeonius & Gruterus, diuerſam tamen, mutilam, atque mendoſam; ſiquidem Scardeonius legit:

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 80.

AMENIVS PERVFVS
HONORIS CAVSA
GALENIO OLPISIDÆ
NYSÆ

Gruterus vero, quamuis eam e Scardeonio colligat, aliqua tamen in parte conatur emendare, attamen pauca à Scardeonio diuerſa affert ad hunc modum.

Fol. 856. num. 5.

AMENIVS. P. F. RVFVS
HONORIS CAVSA
GALENIO OLPISIDÆ
NYSÆ

Verum genuinam monumenti lectionem noſtra collectio repræſentat.

Viri ac mulieris figuræ iungentes dextras, maritalis amoris fidem ac teſtimonium denotant; in dextra enim quædam religio ineſt, eaque in fidei argumentum porrigitur, tum Plinij, tum etiam Virgilij ſententia. Dido ſiquidem ipſa, cum in Æneam inuehitur, hæc profert.

Hiſt. Nat. lib. 11. cap. 45.

Æneid. lib. 4.

——— en dextra, fideſque,
Quem ſecum patrios aiunt portare penates.

Non me fugiunt tamen ea, quæ habet Seruius ad illud eiuſdem poetæ:

Æneid. lib. 1.

———— cur dextræ iungere dextram
Non datur? ———

vbi tradit, quod vltra fidei ſymbolum, dextram iungere dextræ, in ſalutandis maioribus familiare veteribus erat: aſſeritque ex Varrone, qui Callimachum ſecutus fuerat, *omnem eorum honorem dexterarum conſtitiſſe virtute: ob quam rem hac ſe venerabantur corporis parte.*

IN

IN COENOBIO CARTVSIENSIVM.

Antequam Patauium ijs, quibus hodie superbit, mœnibus cinctum, totusque ager circumcirca ob vrbis muniendæ opportunitatem in hanc planitiem reductus esset, extra portas multa ingentia cœnobia visebantur. Quorum vltimum non erat illud monachorum Cartusiensium, portæ Caudæ Longæ vicinum; prout indicat præter diuersas ipsorum monachorum tabulas prima illa columna, egredientibus ad dexteram statim obuia, in eorum fundo sita, ac ex toto similis illis, quæ in prædictorum Cœnobitarum cœmeterijs reperiuntur. In hoc monasterio Ioannis Marcanouæ æuo, prout Scardeonius attestatur, monumentum vnicum quondam extabat, verum cœnobio ob agrum æquandum à fundamentis euerso interijt, erat autem tale.

Q. CARTILIO
Q. L. OPTATO
TVLLIA. C. L.
F. V. SIBI ET
SVIS

Vbi, etsi e Scardeonio saxi delineationem Gruterus excerpserit, aptius tamen meo iudicio cum isto TVLLIA, quam TVL. VIA cum illo legendum censeo. Lib. 1. Class. 4 fol. 61. fol. 967. n. 1.

CARTILIO] Romæ gentem istam aliquando nomen obtinuisse, tum varia monumenta designant, tum etiam Panuinius, qui eam inter Romanas plebeias reponit. Eam quoque nostris floruisse regionibus, mihi suadet tum hoc saxum, tum illud, quod sub ditione Atestina, Deo auspice, dabimus: in quo memoratur

Q. CARTILIVS.

Atque si mea nimis audax coniectura non videtur, cum Cartilius iste, cuius hic est titulus, QVINTI LIBERTVS dicatur, adducor vt credam, illius CARTILII, cuius suo loco mentionem faciemus, istum Cartilium libertum fuisse.

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO IX.

DEPERDITA.

Tandem antiqua monumenta, quæ ſparſim apud auctores vt Patauina agnoſcuntur, verum in Patria noſtra temporum iniuria, hominumue ſæuitia amplius non extant, hunc ſibi iure vindicant locum. Quorum memoriæ quo melius proſpiceretur, ea diuerſimode vt apud varios ſcriptores occurrunt, heic delineanda duxi.

IN TEMPLO, COEMETERIO ET COENOBIO DIVÆ IVSTINÆ.

1.

OSSA SALVINI
EMPRONI CER
ONI . LEG . XI . AN
TICO . LICINIA
I . L . F.

2.

V E T V R I A
M . F . GEMELLA
C . DORCATIVS
VERVS
F . M . D . D . D.

C. SA-

3.

C. SATRIO C. F. VERO
C. SATRIO C: F. OPT
GRANIÆ . MOR . P.
C . SATRIO HILARO
SARRONIÆ . T . F.
TERTI . DEMINCONIÆ
AM . VXORI . ATRIÆ
HEI. PIETAS. D. EORVM
IN . F. P . . . . RETR.
P.

4.

ÆRODANO
FILIO : DVLCIS
SIMO ET IN
NOCENTISSIMO
QVI VIXIT
ANN. IIII . M . X.
D . XXIIII.
GLICERIVS ET
VERA VIRENTES
VIVITE

5.

Appianus & Gruterus

HEBDANO FILIO
DVLCISSIMO ET
INNOCENTISSIMO
QVI . VIX . ANN . IIII.
M. X. D. XXIII.
OLYGERIVS. ET. VERA
PARENTES
FECERVNT

Scardeonius.

HEBEDANO . FILIO . DVLCIS
SIMO : QVI . VIXIT . AN.
IIII.M.X.D.XXIIII.OLI
CERIVS . ET . VERA . PA
RENTES . FECERVNT.

Scar-

6.

Scardeonius	*Appianus & Gruterus*
SEX. PAPINIO. Q. F. ALLE NIOTR. PL. PROLOG. COS. XV. VIR. SACR. FAC. D. D.	SEX. PAPINIO. Q. F ALLENIO TR. MIL. Q. LEG TI. CÆSARIS AVG TR. PL. PR. LEG TI. CÆSARIS. AVG PRO. PR. COS. XV. VIR SACR. FAC D. D

7.

DIS MANIBVS
P. SEPVLLI
P. F. FAB.
TACITI

8.

T. MVTIO. T. F.
GRACILI
PRÆF. FABR.
IIII. VIR. I. D.
D. D. PVBLICE

9.

V. FAB. PA
TITIADE. P. F. M.
MINVTIO. L. FRATRI
C. MINVTIO. L. F
TESTAMENTO FIERI
IVSSIT

10.

HELVIA. C. F. PRIMA
SIBI ET
C. HELVIO. Ↄ. L. COMMVNI
HELVIAE. Ↄ. L. C. L. ID. IIS
LIBERTIS. LIBERTABVS
T. F. I
IN. F. P. XX. RET. XX

11.

CIRCI. D. M. H. N. S.

Ante-

Antequam ea, quæ tenui ingenio nostro videntur, circa hosce titulos adducamus, lectorem monitum volumus, quod nonnullas, quas heic collegimus, inscriptiones Scardeonius acceperit à Ioanne Marcanoua, ante ducentos annos Philosopho, Medico, ac poeta illustri, qui eiusmodi antiquitatum studiosissimus, opus de monumentis nostris propitia Minerua concinnatum, vna cum suorum librorum eleganti supellectile Canonicis Regularibus Lateranensibus Patauij S. Ioannis in Viridario legauit: quod paucis abhinc annis ibidem videbatur, sed clanculum postea sublatum euanuit. Suspicor itaque multa etiam Scardeonij ætate monumenta fuisse deperdita, quæ inde descripserat, atque nonnulla etiam simile fatum subijsse, quæ ex Appiano excerpserat. *Scard. lib. 2. Class. 10.*

1. Vbi ex Ioanne Marcanoua in hoc monumento EMPRONI Scardeonius habet, Gruterus SEMPRONI reponit, quemadmodum & Appianus, quod rectius puto: scribuntque isti L. L. F. loco L. L. F. *Lib. 1. Class. 4. Fol. 559. n. 8.*

CERONI] Idem ac CERRONI forte. Nam Festi obseruatione cognominabantur *Cerrones, leues & inepti, à cratibus dicti: quod Siculi aduersus Athenienses cratibus pro scutis sunt vsi, quas Græci γίῤῥας appellant.* *Fol. 337.*

LEG. XI.] Videlicet LEGIONIS VNDECIMAE. Legionem vndecimam in Mœsia excubasse, & à Claudio ex suo nomine Claudiam fuisse dictam, obseruat Pancirolus in cōmentario ad Notitiam Imperij Orientis: verum Italicam primum fuisse vocatam, idem ex Ptolomeo refert. Legionem quintam pariter Claudiam nominatam obseruo, quæ in Delmatia Furium Camillum Scribonianum oppressit. *Cap. 152. Panciroł. ibid.*

2. F. M. D. D. D.] Quæ lego FIERI MANDAVIT, vel FECIT MONVMENTVM DECRETO DECVRIONVM

3. SATRIO] Gens ista inter Romanas plebeias à Panuinio enumeratur. In hoc monumento vbi apud Scardeonium legitur ATRIAE, apud Gruterum SATRIAE obseruatur: vbi vero Scardeonius D. EORVM interpunctione distinctum ponit, Gruterus DEORVM corrigit; quæ omnia mihi meliora videntur. *De Antiq. Nomin. Lib. 1. Class. 4. fol. 58. Fol. 887. n. 11.*

AM. VXORI] Quæ legenda opinor AMATISSIMAE VXORI.

4. GLYCERIVS] Glyceriam gentem fuisse aliquando Romæ, in monumentis obseruo. Romæ nomen habetur *Grut. fol. 245. n. 5.*

G L Y C E R Æ . I.

Et Ametiæ in frontispicio turris. *Idem. fol. 1117. n. 4.*

SEX . ROSCIVS . Ɔ . L
EROS . ÆRARIVS . LIBERT
GLVCERIÆ . CONLIBERT
S V Æ . F E C I T

Gruterus diuersum à Scardeonio finem nostri tituli habet, siquidem non scribit VIRENTES VIVITE, quod nihil significat, sed melius
Fol. 666. n. 5. meo iudicio

PARENTES VIVI T . F

hoc est TITVLVM FECERE.

5. Quinti monumenti ob diuersitatẽ duplicem delineationem exhi-
Lib. 1. Class. 4. fol. 58. 62. beo, Scardeonij nempe vnam, Appiani, & Gruteri alteram. Hoc ipsum è proximo suspicor geminatũ, mutato tamen apud Scardeonium & Gru-
Fol. 666. n. 5. terum nomine: vbi loco HERODANI, HEBEDANI legitur, reliqua ipsissima apparent; nisi quod GLICERII loco OLICERII exaratum videtur, quod
Fol. 686. n. 6. factum puto in transcriptione monumenti.

7. PAPINIO] Hæc gens consularis, Papinium istum, de quo saxum,
Fastor. lib. 2. consulem habuit, anno ab V. C. DCCLXXXIX. cum Q. Plautio. Hunc
Tacit. Annal. lib. 6. Papinium, illum Tiberio summe carum suspicor, tum ex honoribus, quibus condecoratus ab ipso fuerat, vt monumentum abunde declarat, tum quia paulo ante Tiberij mortem se præcipitauit. Tacitus. *Iisdem*
Loc. cit. *diebus Sex. Papinius consulari familia, repentinum & informem exitum dilegit, iacto in præceps corpore.*

Fol. 336. ALLENIO] Ita scribunt Appianus & Gruterus: sed GALLIENO
Fol. 447. n. 9. legendum credit Panuinius, qui commento in secundum fastorum habet: *De Sex. Papinio Gallieno altero Cos. eiusmodi extat inscriptio Patauij.*

SEX . PAPINIO . Q . F . GALLIENO
TR . MIL . LEG . TI . CÆSARIS
AVGVRI . TR . PL . PR . LEG.
TI . CÆSARIS . AVG . PRO . PR.
COS . XV . VIRO . S . F . D . D.

Quam

Quam inscriptionem etsi ab illis, quæ apud Petrum Appianum, Gruterum, & Scardeonium sunt, diuersam penitus agnoscam, tamen ceteris perfectiorem mihi credere fas est: in Scardeoniana siquidem nihil habetur rationi consonum.

Q. LEG.] Si legionum numerus literis exprimeretur, legerem QVINTAE LEGIONIS, quæ & Macedonica fuit, inferiori Germaniæ destinata. Verum cum hucusque per numerales notas legiones descriptas obseruem, nihil affirmare ausim. *Pancir. in Not. Imp. Occid. cap.* 35.

7. SEPVLLI] Sepulliam gentem tantum Patauinam fuisse, credere licet tum ex hoc saxo, in quo Sepullium istum tribui Fabiæ accensum lego, tum ex duobus alijs monumentis Patauinis, quorum primum superius in Bassanorũ ædibus descripsimus, alterum, quod in Contarenorum ædibus quondam legebatur, nunc est deperditum. Præterea de gente Sepullia apud Gruterum nulla est memoria, nostris monumentis exceptis; sed tantum illius meminit Vrsinus, qui numisma P. Sepulli Macri sub Triumuiratu cusum exhibet.

8. MVTIO] Gentem Mutiam litera C. non autem T. scribendam putat Manutius in suo *de Orthographiæ Ratione*; sed Mutiam gentem à Mucia diuersam demonstrant varia monumenta. Sicuti enim Mucia, quamuis plebeia, Consularis extitit, in qua Scæuolæ & Cordi eminuere, ita secundæ non vno in loco fit mentio. Romæ nempe in tabula marmorea, in qua sub T. Ælio Hadriano Antonino describuntur, qui pecuniam ad ampliandum templum contulerant, deprehenditur *Grut. fol.* 127.

P. MVTIVS FRVCTVOSVS

In basi quoque prægrandi in Capitolio sub Conseruatorum porticu sita, in qua Magistri Vicorum Vrbis regionum XIIII. sub Hadriano Trib. Pot: XX. Imp. II. COS. III. leguntur; in Vico Fortunæ Obsequentis occurrit *Fol. 250.*

M. MVTIVS. M L. FAVSTVS.

Itemque in vico, qui dicitur *il Borghetto*, prope Ocriculum, in tabella marmorea ceteris omissis obseruabatur *Grut. fol.* 1028. n. 3.

S|P. MVTIO ENDIMIO . . . . .

II VIRO SVO KARISS . . . . .

Vt mittam omnia, quæ de gente MVTIA. T. descripta traduntur.

9. Vbi in hoc monumento Scardeonius habet MINVTIO L. FRATRI Gruterus opportune F. reponit, ac legit *Lib. 1. Class. 4 fol. 59. Fol. 729. n. 2.*

MINVTIO . L . F . FRATRI

10. HELVIA gens plebeia fuit, in qua conſul cognomine Blaſio. Imperatorem tamen habuit nobiliſſimum Heluium Pertinacem. Gruterus CLIDI IS legit, & melius quam Scardeonius, qui ſine vllo ſenſu, C. L. ID. IIS. ſcripſit.

Fol. 873. n. 3.

11. Ad illud fragmentum hæc habet Cauacius in *Hiſtoria Cænobij Diuæ Iuſtinæ*, vbi de Prato Vallis diſſerit. *Demum hac noſtra tempeſtate, qua D. Dominicus Colonienſis Abbas aliud pene ab antiquo Cænobium facit, atque maioribus auget ædificijs, in diruendo vetuſto pariete antiquum lapidem reperimus pulcherrimis notis.* CIRCI. D. M. H. N. S. *Gladiatorum in Theatro pereuntium ſepulcris inſeruiſſe quidam arbitrantur, vnde propinquum etiam ipſum Theatrum ſibi perſuadent.*

Lib. 2.

IN TEMPLO OLIM DIVI MATTHÆI.

C . ARMINIVS
FELICISSIMVS
V . F.
BONONIÆ CON.
IVGI CASTIS.

Fol. 335. At Appianus loco BONONIAE habet BOMONIANAE, & Gruterus BONONIANAE.

Fol. 757. n. 7.

IN BASILICA OMNIVM SANCTORVM.

1.

Appianus

V . S . D . M.
CENTERA. VXORE. T. TERENTIVS
T. F. LA. PINDARVS. ET. TEREN
TIA. L. F. PRIMA. VXOR. ET. T.
TERENTIVS. T. F. SEVERVS
FIE . IVSS.

Scardeonius

CENTRA . VXOR
TERENTIVS
T . F
LAPIDARIVS ET
TERENTIA . L . F.
PRIMA VXOR
ET . T . TERENTIVS
T . F . SEVERVS
FIE . IVSS

Gruterus sub hoc titulo

Paduæ in Foro Iulij in templo Omnium Sanctorum

V . S . D . M
CENTRIA. VXSOR. ET
TERENTIVS. T. F
LAPIDARIVS
ET. TERENTIA . L . F
PRIMA . VXSOR
ET. T. TERENTIVS. T. F
SEVERVS. FIE. IVSS.

Idem Gruterus

V . S . D . M
CENTERA . VXOR . ET
T . TERENTIVS . T . FIL.
PINDARVS . ET
TERENTIA . L . F
PRIMA
VXOR . ET
T. TERENTIVS . T. F
SEVERVS
FIE . IVSS.

2.

OSSA . L . Ɔ . SVO
A . T . GRATÆ
OLYM . X D . CI.

Pp 3 1. H1.

1. Haſce quatuor inſcriptiones, etſi penitus diuerſas, in vnam tamen incidere ſuſpicor. Nam quod ad Scardeonium ſpectat, is ex
Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 58. Ioanne Marcanoua eam collegit, & cum illo æuo forte non appareret, eiuſdem autographo conformem exhibuit. Appianus vero num
Fol. 344. ex oculorum fide ipſam deſcribat ignoro; textum enim eius mendoſum credo. Nimirum pro CENTERA VXORE, legendum arbitror CENTERA, CENTRIA, ſeu CENTRA VXOR, alioquim cum ſubſequentibus hæc prima minime conueniunt: & vbi apud eum eſt T. F. LA. PINDARVS, potius legerem T. F. LAPIDARIVS cum Scardeonio, vel T. FIL. PINDARVS cum Grutero: qui, vt videre eſt, meo iudicio inſcriptionem iſtam geminat, non alia de cauſa, quam ex diſcrimine Scardeonij & Appiani: ex quibus tametſi pleraque colligat, ab ipſis tamen diuertit, & iſtorum monumentorum vnum *Padua in Foro Julij* deſcribit, quod, vt vidimus, omnino diſ-
Fol. 640. n. 5. ſonum; alterum Paduæ tantum. Gruterianam tamen deſcriptionem
Fol. 769. n. 1. omnium integerrimam puto.

V. S. D. M.] Quæ ſic accipio VOTVM SACRVM: vel SOLVTVM DIS MANIBVS: niſi quis malit VOTVM SOLVTVM DEO MAXIMO, quemadmodum in alijs inſcriptionibus apparet

IOVI OPTIMO MAXIMO.

FIE. IVSS.] FIERI IVSSIT denotatur, vt omnibus patet.

IN LAVACRO MONIALIVM SANCTI BENEDICTI ad gradus.

VETTIA . L. F. C . L.
CLARA
TESTAMENTO
FIERI IVSSIT
SIBI SVISQVE

Obseruo hanc libertam monumento isti nomen addidisse patris, seque VETTIAM LVCII FILIAM CAII LIBERTAM CLARAM nuncupasse, quod in monumentis est rarissimum. Dummodo non sit mendum in Scardeonij & Gruteri operibus. *Lib. 1. Class.4. fol. 76. Fol.1000. n. 5.*

IN MONASTERIO EREMITARVM

DIS. V. MANIBVS SACRVM
TAVRIA . M . L . TYCHÆ
VXOR
T. ANNIO CHERINTO
CONIVGI
ANNIÆ T. PIERIDI
SIBI ET SVIS
LIBERTÆ

Hoc saxum e Scardeonio Gruterus sed emendatius exscripsit: vbi enim ANNIAE. T. PIERIDI videtur, addit ANNIAE T. F. PIERIDI, & vbi SIBI ET SVIS LIBERTAE, ipse SIBI ET SVIS LIBERT. habet: quod LIBERTIS legendum credo; nam SVIS LIBERTAE non est congruum. *Lib. 1. Class.4. fol. 76. Fol. 996. n.7.*

DIS.

DIS. V. MANIBVS] Cum mortuorum animas Manes dixerint antiqui, haſce notas explanari poſſe credo: DIS VNIVERSIS MANIBVS.

TYCHÆ] Quod idem ac Fortunæ, quæ Τύχη Græcis dicitur: vnde & hoc cognomen in eorum claſſe, quæ à fortuna deſumpta ſunt, ponendum opinor.

ANNIO] Inter gentes plebeias Annia recenſetur à Panuinio, quæ tamen non vulgaris, nec obſcura, ſed glorioſa extitit, cum & conſules varios habuerit, Luſcum, Ruffum, Baſſum, Capram, cognominatos, & L. Ælium Cæſarem, & Fauſtinam Auguſtam Antonij Pij coniugem, Annij Veri illuſtriſſimi viri filios; nec non M. Aurelium Verum Auguſtum, prius Annium Verum dictum, & L. Annium Verum huius propinquum, ac ab eo ipſo ad Imperij partem adſcitum; atque P. Annium Tacitum, & M. Annium Florianum ambos fratres Auguſtos.

PIERIDI] Cognomen à cantus fortaſſis amœnitate huic fœminæ inditum, deſumpta à Muſis ſimilitudine, quæ Pierium incolentes montem, Pierides dictæ fuere.

IN ÆDE MISERICORDIÆ

1.

Appianus	*Scardeonius*
D . M.	OFILIA LEDOTALIS SIBI
O.FILIA . LEDOTALIS. SIBI. ET. Q.	ET.Q.CRANIO OPTIMO
TRANIO OPTIMO VIRO SVO	VIRO SVO

Gruterus

D . M
OFILIA . L . F
DOTALIS
S I B I . E T
Q. TRANIO. OPTIMO
VIRO . SVO.

Inter tres diuersas vnicæ inscriptionis formas Gruterianam tantum genuinam credo, siquidem O. quod loco prænominis in Appiano est, nullum prænomen denotare potest. Nam Opiter prænomen, quod vnicum ab O litera incipiens hucusque fuit obseruatum, non simplici nota, sed vel OP. vt Valerio Probo placet, vel OPITER, vt est in Fastis, scribitur. Neque FILIA gentilicium nomen familiæ alicuius erat; sed de OFFILIA gente monumenta, & auctorum testimonia deprehenduntur. Legitur enim apud Liuium, post Caudinam cladem in Samnitum sociorumque concilio locutum fuisse Offilium Caluium Ouij filium, clarum genere factisque, tum etiam ætate verendum. Campanam vero hanc gentem fuisse, innotescit ex monumento iuxta Neapolim *alla Rocha*. *Fol. 812. n. 9.* *Fol. 344.* *Hist. lib. 9.* *Grut. fol. 445. n. 5.*

C. OFILIO. SEX. F
GAL. DVO. VIR. ITERVM
QVINQVENNALI

Sic etiam CRANII, nomen apud Scardeonium descriptum gentilicium minime puto, quandoquidem caluam potius capitis, quam gentis nomen denotat. *Lib. 1. Class. 4. fol. 64.*

In Vico Omnium Sanctorum antiquæ Basi inscriptum.

M . SACTIO
T . F.

In Cœmeterio Sancti Michaelis

. . . .
. . . . Q . PLO . . .
. . . . SIBI . . . . . .
. . . . BIT . . . .

Cum Diui Bartholomæi templum à fundamentis reficeretur, anno MDC XXXVII. eruta simul ac sepulta sunt hæc duo monumenta.

1.

P . MVLVIVS CILO
DEDIT

2.

SEX POMPEIVS
SEX . F.
DEDIT

Cap. 1. De harum duarum inscriptionum bono fato diligentissimus in suo *de Donarijs* libro Tomasinus hæc memorat: *Patauij* MDC XXXVII. *die* XIII. *Maij, cum reficeretur collapsum apud Moniales S. Bartholomai templum, vbi columnæ lateritiæ occidentem versus ad ianuam, qua in cœnobium itur, subiecta fundamenti loco stylobata e viuo lapide quadrata, quinque spithamas longa, & duas cum semisse alta, aliunde, vt ex inuerso situ apparebat, eo olim aduecta: in cuius plintho propè strias hæc legebantur:*

P . MVLVIVS CILO
DEDIT

Et paucis interiectis: *Lapidem vero statuam sustinuisse, ostendit eius proportio, & fuisse donarium ex ipsa inscriptione clarum est. Cuius rei indicium debeo Carolo Auantio Phil & Medico, curiosi ingenij Viro, mihi amicissimo, cui eo libentius testes mihi addo Ioan. Baptistam Verum, qui nuper vniuersam*

uersam Venetorum Historiam Latine in Breuiarium contraxit, & Gulielmum Sobierum Virum Cl. quod monumentum hoc paucis admodum visum, confestim exigente operis necessitate terra fuerit obtectum. Progredientibus heic operis postridie sub alia columna directo apparuit saxum aliud eiusdem magnitudinis cum hac inscriptione

SEX : POMPEIVS
SEX : F
DEDIT.

quod pariter occultatum &c. Hæc ille.

1. MVLVIVS] Gens hæc in varijs monumentis occurrit, & præcipue in tabulis marmoreis, quæ apud Georgium Contarenum Senatorem amplissimum Ateste obseruantur.

M. MVLVIVS COMMODVS
&
MVLVIVS D. L. SENECIO.

Nomen autem Romanum fuisse, monumentum Romæ repertum indicat, in quo — Grut. fol. 301.

Q. MVLVIVS PLACIDIANVS

CILO] Cognomen à vitio corporis. Nam vt Festo placet, *Cilo sine aspiratione, cui frons est eminentior, ac dextra sinistraque velut recisa videtur.* — Lit. C. Sic etiam Velius Longus, qui inter Cilonem, & Chilonem hanc notat distinctionem: *Aliud est Cilonem, aliud Chilonem. Cilones vocantur homines angusti capitis & longi, & h. aspirationem non habent: Chilones vero, cum h. aspiratione scripti, à breuioribus labijs homines vocitantur, quod est à Græco vocabulo deriuatum* Παρὰ τὰ χείλη, *vnde Achillem quoque ferunt esse nominatum.* — Cassiod. de Ortograph. cap. 2.

DEDIT] Pro vouit, vt diserte Tomasinus obseruat.

2. SEX. POMPEIVS] Ex hoc Sexti Pompeij tertio monumento conijcere licet, in hisce regionibus clarissimum hunc virum insigni aliquo munere functum fuisse.

IN EPISCOPI PALATIO HÆC DESIDERANTVR.

I.

Appianus

L. VALERIO PRISCO VI. EMENSI PRÆF.
II. CON. DVA. TERTIÆ. ET. SECVMDÆ
EQVITATVM TRIB. LEG. X. FRETENSIO
PRAEF. ALE FLAVIANAE PRÆF. FABR.
LOR SEPVLTVR. D. D. PVBLICE DATVS

Scardeonius

L. VALERIO PRISCO
VIENNIEN. PRÆF.
II. CHO DVAR. TER
TIÆ THRA AC. AQVITEN
LT SECVNDÆ AQVITANOR
TRIB
LEG. X
FRETENS. IO PRAEF.
ALAE FLAVIANAE
PRAEF. FABR
LOC SEPVLTVR
D. D. PVBLICE
DATVS

Gruterus

L. VALERIO. PRISCO
VIENNENSI. PRAEF.
II. CHO. DVAR. TERTIÆ
for
THRAAC. AQVITEN
ET. SECVNDÆ. AQVITAN
TRIB. LEG. X. FRETENSIS
PRÆF. ALÆ. FLAVIANÆ
PRAEF. FABR
LOC. SEPVLTVR
D. D
PVBLICE. DATVS

D. M.

2.

D. M.
L. AXIO CHARIS
TO AMICO FRATRI
SODALI QVI VIX. SIT
ANNIS XXI DIEBVS
LIII
ITEM PARENTIB
EIVS . L . AXIO CRE
SCEN . AXIÆ TYCHÆ
POSTERISQVE EORVM
M.CALVISIVS CLAVDIVS
VICTOR AMICIS BENE
MERITIS

3.

ABLAGVS . . . .
. . . . I R
SEVERA L. F. FIERI
. . . . L . F. . . . .
. . . . MANIBVS.

1. Vnicam hanc inscriptionem à Scardeonio, Appiano, & Grutero varie exhibitam, apud primos ineptam prorsus, ac ferme totam mendosam credo, solamque Gruterianam genuinam autumo: siquidem VIENNENSI scribendum opinor, non VI EMENSI, vt auctoribus *Inscriptionum Sacrosanctæ Vetustatis* placere video: nec VIENNIENSI, vt Scardeonio. L. VALERIVM namque ex Prouincia Viennensi Gallorum, quæ hodie Delphinatus appellatur, fuisse arbitror, cuius metropolim Viennam Strabo indicat. *Lib. 1. Class. 4. fol. 59.* *Fol. 341.* *Fol. 480. n. 6.* *De Sit. Orb. lib. 4.*

PRÆF. II. CHO. DVAR. TERTIÆ THRAAC. ET AQVITEN ET SECVNDÆ AQVITAN.] Quæ salua meliori explanatione sic a me accipiuntur: PRAEFECTO SECVNDO COHORTIVM DVARVM TERTIAE THRAACIAE AQVITEN-

 SIS

SIS ET SECVNDAE AQVITANORVM. Quæ num bene se habeant, & locone AQVITENSIS in lapide fuerit AVGVSTENSIS, antiquitatum cultissimi obseruatores circumspiciant: quandoquidem sub magistro militum per Thraciam Augustenses milites dispositos inuenio in *Notitia Imperij Orientis*. Vbi vero duæ hæ cohortes stationem habuerint, non ita notum opinor, nisi coniectandum sit, quod cum LEGIO DECIMA FRETENSIS in Hispaniam à Cæsare Augusto missa fuisset, etiam istæ eo deductæ fuerint.

Cap. 55. Com. in Notit. Imp. Orient. cap. 35.

TRIB. LEG. X FRETENSIS] Hoc est TRIBVNVS LEGIONIS DECIMAE FRETENSIS. Nam legio decima Fretensis dicta fuit, vt lapis Capitolinus, in quo legionum nomina conspiciuntur, indicat. Hanc Fortensem quoque dictam putat Pancirolus ex Marcellini auctoritate. *Fortenses*, ait, *à Fortia oppido Sarmatiæ Asiaticæ denominati, alias* FRETENSES *sunt dicti*.

Loc. cit. Lib. cit. cap. 38.

Lipsij obseruatione Tribuni seni cuilibet legioni præfuerunt. Eorum munia erant ius dicere, & de capite cognoscere, signum excubijs dare, vigilias curare, munitiones, & alia exercitia. Hi tamen, vt Vegetio videtur, in legione supremam potestatem non obtinebant: siquidem *proprius iudex erat præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui absente legato, tanquam Vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel Centuriones, ceterique milites eius præcepta seruabant*. Nec Tribuni, vt Lipsius existimat, de capite absolute cognoscebant. Nam *si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis deputabantur à tribuno ad pœnam*, vt Vegetius ostendit. Nisi hoc vltimis temporibus, & Vegetij æuo vsurpatum fuerit. Tandem Tribunorum ornamenta fuisse aureum anulum, sicuti militum ferreum, & tunicam Lati claui, ex Lipsio eodem cognosco.

De Milit. Rom. lib. 2. Dialog. 9. De Re Milit. lib. 2. cap. 9. Loco cit. De Milit. Rom. lib. 1. Dialog. 9.

PRÆF. ALÆ FLAVIANÆ.] Sociorum militia apud Romanos ala vocabatur, quæ pedites, & equites continebat. Quot autem alæ in agmine fuerint, ex Lipsio colligere licet. Dicebantur vero alæ, seu cornua, quia, vt alæ aues, ita socij corpus legionis tegebant: hinc ala dextra, & sinistra, cornu dextrum, & sinistrum, in quibus sicuti ciuibus Tribuni, ita socijs imperabant Præfecti. Hos tamen e ciuium Romanorum numero, & Senatorum liberos aliquando fuisse, e Suetonio comperio. *Liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curia interesse permisit, militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit*.

Polyb. Hist. lib. 6. De Milit. Rom. lib. 2. Dialogo 7. Lipsius ibid. In Aug. cap. 58.

Alam Flauianam à Vespasiano institutam opinor, ex Vegetij doctrina: *Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinarijs iuncti sunt. Flauiales item tanquam secundi Augustales à Diuo Vespasiano sunt legionibus additi*. Alæ vero Flauianæ multæ in *Notitia Vtriusque Imperij* reperiun-

De Re Mil. lib. 2. cap. 7.

periuntur, earumque nonnullas à Flauio Constantino institutas fuisse apparet.

2 AXIO] Forte AXSIO] Gens plebeia, de qua alibi diximus: CHARISTO] Quod est grato, vel ob elegantiam formæ, vel etiam morum festiuitatem. Sic enim charisteus viridis est lapis, *qui optimum nomen ab aspectu habet, eo quod gratus sit ijs qui gemmas sculpunt, eius enim viriditas reficit oculos*, ait Isidorus. Ob coloris autem venustatem lapidem istum habere tale nomen, docet Anselmus de Boct. VIXSIT Gruterus, aptius quàm Appianus, qui VIESIT, & melius quàm Scardeonius, qui VIE. SIT. habet. *Etymolog. lib. 16. cap. 5. De Gem. & Lap. lib. 2. F. l. 861. n. 1. Fol. 335. Lib. 1. Class. 4. fol. 59.*

PROPE BASILICAM CATHEDRALEM IN ÆDIBVS CONTARENORVM HÆC DESVNT.

1.

Q. CERCENI
HERMEROTIS
IN. F. P. XX. R.
P. LXX.

2.

N. CC. LVI. C
SEPVLLI
ONESIMI
OFFINA
TORI.

2. ONESIMI] Cognomen quod hominem vtilem significat; siquidem apud Græcos ὀνήσιμος dicitur, qui prodesse, iuuare potest. OFFICINATORI potius cum Appiano, & Grutero, quam OFFINATORI cum Scardeonio reponendum censeo. *Fol. 343. Fol. 641. n. 5. Lib. 1. Class. 4 fol. 61.*

IN BASSANORVM ÆDIBVS

Hæc monumenta, Scardeonij æuo viſa, nunc deficiunt.

1.

Q. LÆLIVS . Q. F.
ROM . FIRMVS
SEP . COHOR . PRÆT.
CENTVRIA MIL.
ANNOS. . . VIXIT XXVI
ET . F . I.

2.

D. M
C . HOSTILIO ELIO
V AN. VIII. M. VI. D. IX
H PL . MINVS . V . C.
CASSIVS THESPIVS ET
SERGIA MAXIMINA
PARENTES MESTISS.
T INFELICISSIMI

3.

ISIDI
SIG . HARPOCRATIS
C. DIDIVS
ACVTANVS
DON . DEO

4.

. . . . SCq FIL
. . . . . . VICINVS SIBI
. . . . . IVOS FECIT
. . . . . ENNIO. C. L.
. . . . ANTIO PATRI
. . . ET QVINCTIÆ
. . . C. FIL . MATRI
. VETTIÆ PRISCÆ

Scar-

5.

Scardeonius	*Gruterus*
ET VITATE DOMINORVM	EVITATI DOMINORVM
FAMILIÆ THERMENSI	FAMILIÆ THERMENSI
THERMARVM VRBANIA.	THERMARVM.VRBAN.I.A.

6.

Scardeonius	*Gruterus*
FLORO.CÆ. C.L.IARV.	FLORO.CÆCIL.IARV.

1. LELIVS) Plebeiæ gentis, sed consularis nomen; ex qua Consules Sapientem & Balbum accepimus.

FIRMVS] Cognomen hoc vel à fortitudine, vel à constantia fuit depromptum: de fortitudine apud Virgilium

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas. Eclog. 4.

Sic & de constantia:

Nunc animis opus Æneas, nunc pectore firmo. Aeneid. lib. 6.

Nisi quis etiam firmum dicere velit sanum, deducta pariter similitudine ab illo eiusdem Virgilij:

Sunt & Amyneæ vites firmissima vina Georg. lib. 2.

firmissima, scilicet ab omni putredine immunia.

ET. F. I. Scardeonius habet; at cum Grutero melius T. F. I. legitur: hoc est TESTAMENTO FIERI IVSSIT: nam ET. quid illic valeat, ignoro. Lib. 1. Class. 4. Fol. 549. n. 8.

2. V. AN. VIII. M. VI. D. IX. H. PL. MINVS. V.] Quæ omnia sic posse legi credo: VIXIT ANNOS OCTO MENSES SEX DIES NOVEM HORAS PLVS MINVS QVINQVE.

THESPIVS.] Cognomen à Græco Θέσπις deductum, quod significat vaticinum, qui carmen à Deo inspiratum canit.

SERGIA] Gens patricia maiorum gentium à Sergesto comite Æneę producta, vt ex Virgilio conijcitur.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen. Aeneid. lib. 5.

Decemuirum Reip. constituendæ M. Sergium tertio habuit; inde Consules, & Tribunos militum consulari potestate Fidenates tantummodo cognominatos, & quidem honoris gratia ob deuictos Fidenates à L. Ser-

Fastor. lib. 1. De Antiq. Nom. Fastor. lib. 1. Lib. 1. Class. 4. fol. 73. Fol. 687. n. 4.

gio in consulatu suo anno V. C. CCCXVII. Addit tamen Panuinius, Nattæ, Silonis, Ocelli, Catilinæ, Planci, cognomina à Sergijs vsurpata fuisse. Ego vero eos, qui Consules, & Tribuni militum consulari potestate in Fastis designantur, non nisi Fidenates cognominatos inuenio. In hoc monumento CASSIVS, vt habet Scardeonius, CASPIVS est Grutero, quamuis se ab illo id fateatur accepisse. Ratio me latet, nisi id librarijs imputandum.

3. Inscriptionem votiuam, quæ sequitur, Isidi dicatam fuisse, fas est credere, ob aliquod à DIDIO illo acceptum beneficium in nauigatione forte, cum Ægyptij Isidem, quæ eadem & Io dicitur, tempestatibus ac nauigantibus præfectam colant: quemadmodum patet apud Lucianum, vbi Notum Zephyrus sic alloquitur. ZEPH. *Atque admodum Note, imperitabitque (inquit Mercurius) nauigantibus, ac nostra erit domina, vt quemcumque nostrum velit emittat, vel prohibeat spirare.* Hocque fortassis Ægyptij voluerunt, quia Hygini fide, *Velificia primum inuenit Isis: nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificauit.*

Dialog. Zeph. & Not. In Tabul. Tabul. 277.

HARPOCRATIS] Isidis, vt modo Hygini testimonio vidimus, filius, ac pro silentij numine ab antiquis habitus; siquidem digito labijs imposito indicere videbatur silentium. Eius festum mense Augusto ab Aegytijs celebrabatur, quibus etiam Sigalion vocatus fuit. Vnde ad Paulinum Ausonius.

Pancirol. p. in Aut quæst. Rom. K. fin. lib. 4. cap. 4. Epist. 25.

Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,
Obnixum Pauline taces.

Si inscriptio ad manus esset, facile videre possemus, num HARPOCRATI scriptum sit: scilicet an statua & Isidi matri, & filio fuerit posita. Possumus tamen intelligere signum, siue statuam Harpocratis Isidi consecratam.

DIDIVS] Gens hæc, quam Panuinius omnino plebeiam facit, Vrsinus plebeiane an patricia fuerit dubitat: quicquid sit, minime vulgarem credo: nam de Didio Iuliano Augusto Aurelius Victor ait, *Genus ei pernobile*. Et dum Didij Scæuæ meminit Tacitus, ipsum insignem maxime nominat. Emicuit itaque hæc gens tum ob Consulem SAXAM cognominatum, tum ob Didium Iulianum Imperatorem, tum etiam ob Didiam Claram eius filiam Augustam appellatam.

De Cæsar. Hist. lib. 3. 3. Ael. Spart. in eius vita.

ACVTANVS] Acutarios canes, qui celeribus sunt pedibus, Salmasius vocat: vnde quidni à similitudine forte ob pedum celeritatem, Acutanus iste sit dictus; dum modo in lapide non fuerit ACVTIANVS, vt Grutero è Pinelli schedis placet. Nam Acutiani sunt, eodem Salmasio teste, qui acuunt.

Fol. 82. n. 8.

DON. DED. Gruterus: hoc est DONO DEDIT: meo iudicio melius quam Scardeonius, apud quem DONO DEO legitur.

Lib. 1. Class. 4. fol. 70.

4. Frag-

4. Fragmentum, quod sequitur, non ita commode legi videtur, nisi sit idem, quod perfectum Gruterus exhibet hoc simplici titulo Fol. 975. n. 7.

Patauij

FILICINVS : SIBI
VIVOS . FECIT . ET
ENNIO . C . L . ANTIO
CH. PATRI. ET. VETTIÆ
PRISCÆ. MATRI. C. FIL
QVINCTÆ

5. In quinta inscriptione aptius legi existimo EVITATI cum Grutero, quam ET VITATE cum Scardeonio, quod nihil significat. Fol. 181. n. 5.
VRBANA potius, quam VRBANIA cum Scardeonio, & VRBAN. I. A cum Grutero legendum credo; siquidem familias in rusticas & vrbanas antiquitus diuisas fuisse, satis apparet. Sed de hisce consulendum disertissimi Pignorij elegantissimum *de Seruis* opus. Lib. 1. Class. 4 fol. 70.

APVD CENTONES AD SANCTVM SPIRITVM

in pauimento stabuli olim conspiciebatur.

ΓΑΓΙΓΙVS . Q. F.
FEREIOS VIVOS
FECIT SIBI ET SVIS
IN FRONTE. PEDES XXX
RETRO . P . V.

ΓΑΓΙΓΙVS] Hoc est GAGIGIVS, vt Scaligero in Gruterianis Indicibus placet, quasi compositum ex Γ. Græco, & literis Latinis.
FEREIVS] A moribus cognomen natum puto: FEREIVS enim

idem forte est ac FERREVS, & durum significet, iuxta illud Virgilij:

Georg. lib. 2.

——— hybernis parcebant flatibus Euri:
Cum primum lucem pecudes hausere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis:

vel inexorabilem, vt habet idem:

Lib. cit.

Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit

Aeneid. lib. 12.

vel crudelem

——— in toto turbida cælo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.

Quæ omnia mores exprimere videntur.

IN ÆDIBVS SCARDEONIIS.

1.	2.	3.
		D. M.
IMP.	.... ELIVS . LARTIS . F.	VLPIAE . DONATE.
EGNATI	.... RVM . CIMINIVM	FILIAE.
PII FEL. AVG.	.... EA PECVNIA . VECTIGALIA	DVLCISSIME . SIBI.
MAX. TRI. P.	.... ONSTI ET IN ANNOS	ET SVIS.
P. P. COS. II. P.	GRAVIS . L . Q. I (VVV D.C.XXV	M. VLPIVS TROPHI
		MVS . FECIT.

3. VLPIÆ] De Vlpia gente nihil familiarum Romanarum scriptores habent. Quænam vero fuerit, & vnde progenita, nos docet Eutropius de Vlpio Traiano Imperatore: *Successit ei Vlpius Traianus Crinitus* (de morte Neruæ Aug. loquitur) *natus Italicæ in Hispania familia antiqua magis quam clara*. Verum & consules habuit: nam istius Imperatoris patrem consulem ipse Eutropius nominat, & Imperatorem ipsum sub Domitiano Augusto Fasti consulem designant.

Hist. Rom. lib. 8.

Fastor. lib. 2.

TROPHIMVS] Τρόφιμος Græce dicitur, & qui alimentum præbet, item herus, qui famulitium alit, nec non alumnus, quem domi nostræ alimus.

Olim

Olim penes Laurum Diuanum

POMPONIA · Q. L......
VRBANA SIBI.........
Q.POMPONIO. Q. L. OR...
SIBI ET SVIS VIVA....

IN VICO SANCTÆ CRVCIS IN ÆDIBVS MICHAELIS A VACCIS.

IMP. CAES. C. VAL.
DIOCLETIANVS.P.F.
AVG. ET. IMP. CAES
M. AVR. VAL. ET
MAXIMIANVS. P. F.
AVG.ET.FL.VAL.CON
STANTIVS.ET.GAL.
VAL. MAXIMIANVS
NOBIL. CÆS. M.
....

In hoc ſaxo Gruterus P.P. ponit, forte loco P. F. quod eſt PIVS FELIX. *Fol. 159. n.1.*

M. AVR. AVR.VAL.ET.MAXIMIANVS] Mendum hic ſubeſſe ſuſpicor: nam illud ET abs re poſitum opinor. Vnde melius meo iudicio legeretur M. AVR. VAL. MAXIMIANVS. *Scard. lib. 1. Caſſ. 4. fol. 81.*

P. F. AVG.] Scilicet PIVS. FELIX. AVGVSTVS, vt omnibus eſt notum.

In ædibus Gulielmi Sobieri Viri Clariſsimi ad Sanctum Bartholomæum Tegulæ fruſto olim inſcriptum legebatur

AVILLIÆ

PÆTÆ

Cap. 16. Ad quod Pignorius noſter hæc in Originibus Patauinis notat. *In caſa del Signor Gulielmo Sobieri, Gentilhuomo Fiamingo, mio amico, è ſtata di freſco ritrouata vna memoria di pietra cotta, nella quale ſono impreſſe queſte lettere di rilieuo nello ſpatio cauo, come in tutte le coſe di cotto antiche*

AVILLIÆ

PÆTÆ

A dinotare il nome di chi eſercitaua l'arte del cuocere. Verumenimuero nomen lateritio iſti lapidi impreſſum, bona tanti viri pace, nec figuli, neque ſeruæ puto, ſed ingenuæ mulieris. Seruos enim manuales artes exercitaſſe antiquitus notum eſt, at mulieres figulinam nunquam quod ſciam artem pertractarunt: nam in varijs à me inſpectis teguis, ſemper nomen viri, non autem mulieris laborioſam ac ſordidam figuli exercentis artem obſeruaui. Quare AVILLIAE PAETAE ibi ſepultæ ſignum potius crediderim.

AVILLIÆ] De iſta nihil Romanarum gentium auctores; eam tamen Romanam eſſe, & quidem plebeiam, mihi multa monumenta perſuadent, ac præcipue illud in domo Conſeruatorum Capitolij.

Grut. fol. 40. n. 14.

IANÆ AVGVST

SACRVM

Q. AVILLIVS. ADAEVS

MAGISTER. VICI

QVI. K. AVGVSTIS. PRIMVS

MAGISTERIVM. INIT

IN

IN ÆDIBVS FRANCISCI QVIRINI ad Portam Omnium Sanctorum hæc cum ceteris videbantur.

1.

ISIDI REG.
P. POSTVMIVS
HECATEVS ET
PVBLICIA
FELICITAS
L. D. D. D.
N. CCC. II.

2.

FORTVNATVS
ET PRIATA
TITVLVM POSV
ERVNT SIBI ASIÆQ
INGENVÆ FILIÆ
ET ALVMNÆ VALEN
TINÆ Q. SI. FATO ME
LIORE FILIAS . N
SVBITO MISELLAS
IN. P. D. NON. F.

3.

C. MEMMI
LIBAN . ET
P. MEMMI
TROPHIMI
IN. F. P. XXI
RET. P. XXX

4.

C. LVCRETIVS
L. F. SIBI ET
SVIS. IN. F. P. XV
R. P. XVIII

5.

VENERI VICTRICI
PRIMA MINVCIA
VSV IVSSA
POSVIT

6.

CLODIÆ . . . .
C. L. PORTV. . .
RESTITÆ. M. . .
L. S.

7.

L . S.
MARCIÆ SEXTÆ
IN . F. P. XXXI
RET . P . XXX

8.

C . CASSIVS
Q.F. MACVLA
TES . T . FIER.
IVSS.

9.

DIVO AVGVSTO

10.

SEI QVI MINVS REM RELIQVIT . . . . .
LIBEREI SIBEI QVÆRANT . . . .
TV VIATOR VALE AD AQVAS . . . . .
SVNT SPISSA B Φ Φ . . . .
Q . MARCIVS . P . F . REX . . . .

1. POSTVMIVS] Patriciam minorum gentium Postumiam gentem extitisse, Vrsinus & Panuinius auctores sunt, eamque nobilissimam demonstrant, ac quamplurimis ornatam Consulibus, Tuberto, Albo, Regilensi, Albino (qui familiæ huius gentis præclarissimæ nomen dedit) Magno, Megello, Paullulo, & Tempsano cognominatis. Præterea de ea hoc maxime memoratu dignum adfert Vrsinus, quod ad interitum vsque Reipublicæ nullum plebeium habuerit, sed in Patriciorum ordine constanter permanserit.

De Famil. Rom. *De Antiq. Rom.* *In Gent. Postum. fol. 218.*

HECATEVS] Cognomen ab aspectu forte terrorem incutientes cum apud Cœlium Rhodiginum legatur de quodam idolo: *Nonnulli quod ad incutiendum terrorem immittitur, Dicelon appellari credunt. Verum hoc genus terriculamenta dici à Græcis Hecatea nouimus, quòd ab Hecate immitantur, sicuti produnt Apollonij interpretes.*

Lect. Antiq. lib. 6. cap. 38.

In suo *de Ortographiæ Ratione* profert hoc etiam monumentum Aldus P. F. Manutius, sed ipse habet P. POSTVMIAS HECALEVS: quod vitiose scriptum vereor.

3. MEMMI]. Quamuis hæc gens, vt notat Panuinius, à Mnestheo Æneæ comite originem trahat; vnde Virgilius:

Aeneid. lib. 5.

Velocem Mnestheus agit acri remige pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi;

Ad

ad quæ Seruius eam nobilem vocitans notat: *Ipse enim familiam Memmiorum constituit. & bene laudat familias nobilium*: attamen Vrsinus & Panuinius constanter plebeiam asseuerant, nec consulatem, nisi sub Imperatoribus, cum ante tantum Prætoria extitisset. *Loc. cit.* *De Famil. Rom.* *De Antiq. Nom.*

4. LVCRETIVS] Patriciam & plebeiam, Vrsini & Panuinij fide, hanc gentem fuisse colligo. Patricia minorum gentium Consularis, & Triumphalis extitit, consulesque habuit Tricipitinos, & Flauos dictos. Plebeia multis consulibus decorata apparuit, qui Vespilli, Valli, Offellæ cognominibus vtebantur: præcipue tamen ob Triones clatuit, vt apud Vrsinum videre est.

5. VENERI VICTRICI] Innumeris pene epithetis donatam fuisse Venerem apud antiquos, in lapidibus patet. Nam Almam, Augustam, Cælestem, Erycinam, Felicem, Gabiniam & Albanam, Genetricem, Inuictam, Iouiam, Placidam, Vatinillam, Vestinam, Victricem fuisse dictam, pro varia ciuitatum, hominum, gentium religione, passim cognoscitur.

Quod est apud Scardeonium V S V, forte melius à Grutero V I S V legitur. *Lib. 1. Class. 4.*
Nam per *Visum*, *Monitum* in monumentis votiuis sæpius obseruatur. *fol. 69.*

7. MARCIÆ] Et Patriciam, & plebeiam Romæ hanc fuisse gentem, ex Vrsino & Panuinio constat. A patricia, quæ minorum fuit gentium, Numam, & Ancum Martium Reges, vt & Martium Coriolanum; à plebeia vero Dictatores, Consules, & Censores multos, qui hanc gentem in varias diuiserunt familias, editos tradunt, vt ex eorum cognominibus, quæ apud Panuinium habentur, colligere licet. *Fol. 60. n. 2.*

10. Aenigmaticum hoc fragmentum non ita facilis esse cognitionis puto, ob ea quæ deficiunt. Qui tamen in saxo describitur Q. MARCIVS P. F. REX, ille forsan erit, quem anno ab V. C. DC. XXXVI. Fasti Consulem produnt: vbi legitur *Fastor. lib. 1.*

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO. Q. MARCIVS REX.

Regis enim cognomen Marciæ genti plebeiæ fuisse, Panuinius ostendit. Quanam vero de causa ab hac gente vsurpatum sit nescio, nisi ad recolendam Regum memoriam, quos Marcia gens patricia edidit: siquidem plebeia vel ex ipsa emanauit, facta ab aliquo Marcio patricio ad plebem trasmigratione, vel ex aliquo Marciæ gentis patriciæ liberto.

SS IN

IN ÆDIBVS RHAMNVSIORVM
hæc Scardeonij ætate ſeruabantur.

1.	2.
P . ÆMILIVS P.L.DEODORVS SIBI ET SVIS IN . FR. P . X RETR . P .. XII.	IMP . CÆSARI M . AVRELIO ANTONINO AVG . IMP . CAES. L . SEPTIMI . SE VERI PII PER TINACIS AVG. ARABICI ADIA BENICI PARTHI CI MAX . FIL. D . D.

Ex notis ad Scardeonium, Ioannis Baptiſtæ Rhamnuſij manu deſcriptis, hæc in ædibus Rhamnuſiorum conſpiciebantur.

3.	4.
ISI SACR. L. MAGIVS PHILEAS. VI. VIR. AQVIL. OB. SALVT. GRATTIANI FILI ET GRATTIÆ	D . N . IMP . CÆSARI FL . CONSTANTINO . MAXIM. PI . F . VICTORI . AVG. PON. MAX. TRI. P. XXIII IMP . XXII . CONS . VII. P. P. PRO. CONS HVMANARVM . RERVM OPTIMO PRINCIPI DIVI COSTANTI FILIO BONO R . P . N.

Hæc

Hæc quidem omnia monumenta cum ceteris Rhamnusianis à Georgio Contareno Ateste translata fuerunt, quorum inscriptiones bona fide Pinellus Grutero misit. Nostra vero ætate inscio hero, operarum incuria, cum alijs nonnullis in substructionis fundamenta concessere.

1. ÆMILIVS] De hac gente Festus: *Æmiliam gentem appellatam dicunt à Mamerco Pythagoræ philosophi filio: cui propter vnicam humanitatem cognomen fuerit Æmilios. Alij, quod ab Ascanio descendat, qui duos habuit filios Julum & Æmilon.* Hæc in vrbem ex Albanis Latinis à Romulo accita, & inter patricias maiorum gentium adlecta, in familias diuersas diuisa fuit; nempe in Mamertinos, Barbulas, Priuernates, Paulos, Lepidos (quorum præ alijs familia longe fuit clarissima) Papos, Macros, Buas, Porcinos, Scauros, & Liuianos.

2. M. AVRELIO ANTONINO. Seueri filio, Getæ fratri, cui Caracallæ cognomen, viro iniquo & crudeli, ac Imperatorum omnium flagitiosissimo.

L. SEPTIMII SEVERI PII PERTINACIS.] Seuerus ex Africa oriundus, interfecto Didio Iuliano Imperium obtinuit. Qui illud suspiciens, vt auctor est Spartianus, *excipiebatur ab omnibus quasi vltor Pertinacis*: atque cum Romam peruenisset, *Funus censorium Pertinacis imagini duxit, eumque inter diuos sacrauit, addito Flamine & sodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant. Se quoque Pertinacem vocari iussit.* *In Vita eiusd.* *Spart. ibid.*

ARABICI ADIABENICI PARTHICI] Seuerus *circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reuersus, triumpho delato, appellatus est Arabicus Adiabenicus Parthicus.* *Spart. ibid.*

3. MAGIVS] Hanc gentem inter familias Romanas receptam non reperio. Verum Romanam, nec vulgarem fuisse mihi persuadet Velleius Paterculus, qui & ipse se inde ortum prodit; & Tacitus in Annalibus. Velleij verba sunt: *Cæsar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit. in qua regione quali adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano vsus sit, ipsius patrisque eius prædicatione testatum est, & amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donauit, signat memoria.* Vbi etiam noto Magium istum Celerem e Velleia gente in Magiam adoptatum fuisse, quod & Velleium cognomen indicat. Tacitus Magium Cæcilianum Prætorem commemorat: *Et Considius Æquus, & Cælius Cursor equites Rom. quod fictis maiestatis criminibus Magium Cæcilianum prætorem petiuissent, auctore principe, ac decreto Senatus puniti.* *Hist. lib. 2.* *Annal. lib. 3.*

PHILEAS] Cognomen à Phileti forte nihil diuersum; Φιλητὸν

autem Græci amabilem dicunt; prout à morum facilitate is cognominari potuerat.

4. D.N.] Id est DOMINO NOSTRO. Titulum hunc in numismatis hucusque, quod sciam, Imperatorum nemini, Diocletiano prius, tributum obseruo; in monumentis vero Gordianum tertium *Dominum Nostrum* vocatum deprehendo.

Grut. fol. 272. n. 5.

FVRIÆ. SABINÆ. TRANQVILLINÆ
SANCTISSIMÆ . AVG
CONIVGI . DOMINI . N
M. ANTONII . GORDIANI
PII . FELICIS. INVICTI . AVGVSTI

cum reliquis.

CONSTANTINO] Constantis Chlori filio Viro inuictissimo, gloriosissimo, sanctissimo, atque Imperatorum primo, qui publice Christianam fidem professus est.

BONO . R. P. N.] Hoc est BONO REIPVBLICAE NATO.

IN ÆDIBVS R. TORQVATI BEMBI

ad Sanctum Bartholomeum.

I.


Scardeonius

D. M. S.
.V. ANTONIVS. SEVERVS. AQVILA. HIC IACET.
.V. SINE. ANIMA . MISERABILI . FATO. QVI. .I.
VIXIT. ANNIS. BISCENIS. ET XVI. MENSES. .7.
.I. CVI. VOTA. ERANT. VT. PARENTIBVS ISTA. .7.
.C. PARARET. SET. MORS. IMMATVRA. FECIT. .V.
.7. VT FACERENT. PARENTES. FILIO. STVDIA. .V.
.O. AMAVI. OBSEQVENS. MAGISTRIS . FVI. .A.
.R. OBSERVAVI. PARENTORVM. PRAECEPTA. MI. .I.
— MICOS COLVI . PATRONOS . BONOS.
OFFICIO. PRAESTVS. FVI. SET . T . ATA— I—
M. AETATE . TVLER—NT. . . . . LVC. —
QVOD. DI. — — —

Quod apud Mazochium sic legitur

D. M. S
ANTONIVS . SEVERVS . AQVILA . HIC . IACET
SINE . ANIMA . MISERABILI . FATO . QVI
VIXIT ANNIS . BISSENOS SEX VI MENSES
TVI VOTA IRANT VT PARENTIBVS ISTA
PARARET SET MORS INMATVRA FECIT
VT FACERENT PARENTES FILIO . STVDIA
AMAVI OBSEQVENS MAGISTRIS FVI
OBSERVAVI PARENTORVM PRAECEPTA ME
MICOS COLVI PATRONOS BONOS
OFFICIO PRAESTVS FVI SET TATALI
M . AETATE TVLERINT IVS
QVOD . DI ME . IBV.

Gruterus vero e Mazochij & Metelli schedis hoc idem sic prodit.



2.

L. VALERIVS. ZABDÆ. MERCATORIS. VENALICI. L. ARIES SEV.STVPOR.EST HVIC.STVDIO SIVE EST INSANIA.NOMEN. OMNIS AB HAC CVRA, CVRA LEVATA MEA EST. MONVMENTVM ABSOLVI, ET IMPENSA MEA AMICA TELLVS VI DEI, HOSPITVM. OSSIBVS – QVOD OMNES ROGANT, SED FELICES, IMPETRANT – NAM: QVID EGREGIVM, QVIDVE CVPIENDVM EST MAGIS QVAM VBI LVCEM LIBERTATIS ACCEPERIS, LASSAM SENECTÆ SPIRITVM. IBI. DE. PONERE QVOD INNOCENTIS, SIGNVM EST MAXIMVM.

3.

Scardeonius

VII. CÆSARI – – – IMP. CÆSARI – – CÆSARI AVG. F. VESPASIANO IMP. III. – VESPASIANO AVG. COS. DESTINATO. II. PONTIF. TR. POT. II. COS. II. PONTIF. MAX. TR. POT. IIII. PRINCIPI IVVENTVTIS PONI IVSSIT.

C. PAPIRIVS. ÆQVOS VII. LEG.
IMP. VIIII. P. P. COS. IIII.
III. AVG. TESTAMENTO.
EX AVRI. P. X.

3.

Mazochius

T. CAESARI	IMP. CAESARI	CAESARI. AVG. F.
VESPASIANO IMP. $\overline{III}$	VESPASIANO AVG.	DOMITIANO
PONTIF.TR.POT.$\overline{II}$ COS III.	PONTIF.MAX.TR.POT.$\overline{IIII}$	COS.DESTINATO $\overline{II}$
	IMP. $\overline{VIIII}$.P. P.COS. $\overline{IIII}$	PRINCIPI IVVEN
		TVTIS

C. PAPIRIVS . AEQVOS . 7. LEG . $\overline{III}$ TESTAMENTO PONI IVSSIT

EX AVRI. . . . . . $\overline{X}$

Gruterus e Mazochio, & Metelli schedis.

T. CAESARI	IMP. CAESARI	CAESARI. AVG. F
VESPASIANO	VESPASIANO.AVG	DOMITIANO
PONTIF. TR.	PONT. MAX. TR. POT	COS. DESIG. $\overline{II}$
POT. $\overline{II}$. IMP. $\overline{III}$	$\overline{IIII}$. IMP. $\overline{VIIII}$. COS. $\overline{IIII}$	PRINCIPI. IVVENT
COS. $\overline{II}$	P P	

C. PAPIRIVS. AEQVOS. 7. LEG. $\overline{III}$. AVG. TESTAMENTO. PONI. IVSSIT

EX. AVRI. P. $\overline{X}$

Hæc tria monumenta, quæ Scardeonius in ædibus R. Torquati Bembi ad S. Bartholomæum extare scripsit, Mazochius in suo opere de‿ *Epigrammatis Antiquæ Vrbis*, Romæ ponit, cui subscribit Gruterus. Primum in regione Sanɔti Eustachij in hortis Tamatozij, reliqua duo in regione Harenulæ, in ædibus Ioannis Ciampolini sita referunt. Verum cum Mazochij opus XXXIX. annis ante Scardeonium fuerit typis mandatum, monumenta hæc fortassis interea Roma fuere Patauium deportata, vbi etiam periere.

Lib. 1. Class. 4 fol. 86. 87.
Mazoch. fol. 125.
Grut. fol. 659. n. 4.
Mazoch. fol. 107. & 109.
Grut. fol. 637. n. 5. & 244 n. 2.

I. D.

1. D. M. S.] DIS MANIBVS SACRVM.

Inscriptionem istam ex Mazochij, Scardeonij, & Gruteri collectionibus huc transcripsi, vt eorum diuersitas in ipsa exhibenda cognosceretur. Gruterianam tamen ceteris meliorem iudico, cum in ipsa videam correcta, forte Metelli beneficio, quæ apud Mazochium inepta leguntur:

1. SET.] PROSED.

Fol. 167. Lib. 1. Cl. 8. 4. fol. 86. Fol. 637. n. 5. 2. In hoc epigrammate, vbi in Mazochio INSONIA est, aptius, vt credo, Scardeonius & Gruterus legunt INSANIA: melius etiam HVIC STVDIO EST, pro EST HVIC STVDIO apud Gruterum repositum; ita enim ratio versus exigit. Vbi vero Scardeonius VI. DEI scribit, Mazochium, & Gruterum melius habere puto VT. DET: ac tandem eo loco, quo Mazochius, & Scardeonius DE. PONERE interpunctione distinctum scribunt, accuratius cum Grutero DEPONERE, & LASSAE pro LASSVM & LASSAM, vt videtur apud illos, accipiendum opinor.

MERCATORIS VENALICI] Hoc est *Mangonis seruorum venalium*. Nam qui homines vendebant, Mercatores Venalici, seu Venaliciarij vocabantur. *Venales enim, si nihil addas, serui nouitij intelliguntur, qui ad vendendum sunt expositi*, vt notat Stephanus Robertus in Thesauro.

3. Monumentum Flauijs, Vespasiano patri, Tito, & Domitiano filijs Imperatoribus à C. Papinio Æquo ex auri pondo decem testamento legatum, in grati animi signum, vt credibile est, à milite, qui forte sub ipsis feliciter militauerat, ita ineptum ac confusum penes Scardeonium Lib. 1. Class. 4. fol. 87. legitur, vt quisquis ad id accesserit, de intelligentia ipsius facillime sit desperaturus. Vnde cum in Mazochij, & Gruteri codicibus meo iudicio idipsum forte fortuna fuerit descriptum; illud quale ab eis exhibetur, & præcipue à Grutero, ad Scardeoniani elucidationem, huc transferre necessarium duxi. Fol. 244. n. 2. Gruterus itaque Metelli diligentia ad hoc monumentum talem titulum adscripsit. *Romæ in domo quondam Ioh. Ciampolini, quæ nunc est Andreæ Caualieri, ad campum Floræ, in basi plana atque oblonga; in qua tria foramina, quibus adfixa creduntur fuisse simulacra capitum trium patris & filiorum.* Ideo patri Vespasiano, & filijs Tito & Domitiano, quorũ capita ibi forte colebantur, erecta fuit basis intra annum Imperij Vespasiani quartum, & quintum. Iis namque annis Vespasianus quarto, & Titus secundo consulatum tenuerunt: quo tempore etiam Domitianum secundo designatum colligo; nec nõ Principem Iuuentutis dictum Fastor. lib. 2. facile mihi persuadeo.

AEQVOS] Pro æquus, sicuti viuos pro viuus antiquitus scriptum video. Aequum vero hunc virum à morum sanctitate cognominatum credo.

7. LEG. III.] Quæ sonant: CENTVRIO LEGIONIS TERTIAE] Notam

tam

tam enim. 7. diximus symbolum fuisse vitis, qua Centuriones pro mulctandis militibus vtebantur; inde ortum, vt Centurionis nomen significaret. Legionem vero tertiam Augustam nuncupatam, & in Africa collocatam fuisse, e lapide in *Notitia Imperij Orientis* descripto colligitur.

EX AVRI. P. X.] Ex AVRI PONDO DECEM legendum puto. *Pondus dictum est, quod in statera libratum pendeat: hinc & pensum. Abusiue autem pondus libra vna est*: sic Isidorus. *Etymolog. lib. 16. cap. 24.* Eruditissimi etiam Budei sententia, *as, & libra, & pondo idem significant*. *De Asse & part. lib. 1.* Hanc autem vocem *Pondo* indeclinabiliter sumptam, non pro vna tantum libra, verum pro duodecim libris acceptam apud nonnullos inuenio, & præcipue apud Nicolaum Perottum, qui in sua Cornucopia, seu commentario linguæ Latinæ hæc habet: *Pondo, quod licet aliquando pro libra inueniatur, proprie tamen significat pondus duodecim librarum, & indeclinabile est*. Vnde colligere licet, Papirium istum, aut decem libras auri, aut centum viginti, quod mirum & vix credibile, pro hoc monumento erogasse.

Ioanni Vincentio Pinello Neapolitano, Viro sanguine literisque insigni, Patauium vsque ad extremum vitæ in delicijs fuit: apud quem inter antiqua sua cimelia hæc infra scripta obseruabantur.

1.

In sardio sub capite iuuenis

ΕΥΤΥΧΙΑΝΟC

2.

In lamellis duabus aureis, vtrinque sculptis charactere quadrato informi.

In primo folio e facie dextra	*E facie sinistra*
AD. XII. K. MART.	L. PVLLI PRIMI
M. GAVIO. ORFITO / L. ARRIO. PVDENTE COS.	S. SENTI CHRYSOGONI
COHOR. II. PANNONIOR. CVI. PRAEEST	C. POMPONI STATIANI
SEPTIMIVS. VRSVS	
EX . . . . P. EDI. II	L. PVLLI ZOSIMI

Tt In alte-

3.

In altero folio e facie dextra | *E facie eiuſdem ſiniſtra*

VALERIO. VALERI. F. VALENTI. RATIAR
Deſcript. ET RECOGNIT. EX. TABVLA. AEREA
Quæ affixa. EST. ROMAE. IN MV . . . . . POST
Templum Diui AVG. AD. MINERVAM

. . . . . . GETAE
. . . . . . FELICIS
C. BELLI VRBANI

1. Græcum illud nomen

FORTVNATVM

Latine ſonat

2. Ad lamellas aureas Pinellianas hæc Gruterus: *Ex foraminum indicio ſuſpicari licebat, plures paginas fuiſſe in libri morem compactas. certe literæ vtrinque non eodem ordine, ſed obuerſis lineis ſcriptæ erant; tanquam commodius legerentur verſis folijs.*

Fol. 1032. n.6.

Liber itaque iſte forſan eſt ex ijs, qui apud librarios in legionibus habebantur. Nam Vegetij ſententia, *Librarij ab eo quod in libros referrent rationes ad milites pertinentes*, inter nomina, & gradus principum legionis enumerabantur. Idque mihi ſuadet dextra ſecundi folij pars, in qua memoratur VALERIVS VALERII F. VALENS RATIARVM . . . . . . PT. quod à Grutero ſic reſtituitur: DESCRIPTORI ET RECOGNITORI. Librariorum enim, vt vidimus, munus erat, rationes militum recognoſcere, ac in libros referre.

De Re Milit. lib. 2. cap. 7.

Duos Conſules illos, in prima lamella deſcriptos, ſuffectos credo, cum in Faſtis deſcriptos non inueniam.

CHOR. II PANNORIOR.] Nempe COHORS SECVNDA PANNONIORVM: quæ vbi ſtationem habuerit, non liquido conſtat; niſi ex coniectura lamellarum duarum in noſtris regionibus extantiũ inter Padum & Alpes diſpoſitam fuiſſe ſuſpicari liceat, ac illam eſſe, de qua Tacitus: *Florentiſsimum Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeſque camporum & vrbium, armis Vitellij (namque & præmiſſæ à Cæcina cohortes aduenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremam.*

Hiſt. lib. 2.

PVLLI] Hoc nomen Romanum fuiſſe, demonſtrant, tum iſtud, tum multa alia monumenta, quæ apud Gruterum leguntur.

SENTI] Sentia gens plebeia Romæ, ſed conſularis, Conſules habuit Faſtorum teſtimonio, Saturninum, & Augurinũ cognominatos.

CHRYSOGONI] A præſtantiſſimæ indolis indicijs, & maximarum virtutum ſpe Chryſogonum virum iſtum cognonominatum credo: Græcis ſiquidem chryſogonus eſt proles aurea.

ZOSIMI] Ζώσιμος apud Græcos idem eſt, quod apud Latinos vitalis: ideo iſte Zoſimus eſt dictus, à corporis, vel vitium vigore.

3 Quæ in ſecundi folij facie dextra exili charactere deſcripta ſunt, addit Gruterus, monumenti in integrum reſtituendi gratia.

Horum

Horum tandem monumentorum, quæ apud Scardeonium, & Gruterum nudo titulo PATAVII notantur, nulla supereſt memoria.

1.

C. ARRIVS. C. F. MONVMENT.
SIBI FIERI IVSSIT
SEX. ACILIVS C. F. HERES
FECIT

2.

PETRONIA MVSA VIVA
SIBI POSVIT IN.F.P.XXIIX
IN.A.P.XXVI.

3.

Mazochius

D. M.
TVTIÆ CHIONES
Q. TITIVS ZOSIMVS
PATRONVS LIBERTÆ
BENE MERENTI
FECIT

Appianus, Scardeonius & Gruterus

TITIÆ CHIONES Q. TITIVS
ZOSIMVS PATRONVS LIBER
TÆ BENE MERENTI FECIT
ET SIBI

4.

D. M.
SER. CALPVRNIVS CLEOM
BROTVS SECVNDO SORO
RIS F. B. M. FEC.
V. A. IIII. M. X. D. XX.

5.

Mazochius

DEO SANCTO APOLINI IACIFE
RO EX VOTO LIBES SOLVIT
MILES CORTIS X PRAETORIAE
CENTVRIA DA. SI. AELIVS. C.
LIBES VOTVM REDDIDIT.

Appianus

DEO SANCTO APOLLINI PACI
FERO EX VOTO LIBES SOLVIT
MLLX CORTIS. X. PRAETORIA
CENTVRIA DASI AELIVS C
LIBES VOTVM REDDEDIT

Scardeonius

DEO SANCTO APOLLINI
PACIFERO EX VOTO
CORTIS PRAETORIAE CEN
TVRIO DASIELIVS LIBES
VOTVM REDDIDIT

Gruterus

DEO. SANCTO
APOLLINI. PACIFERO
sic
EX VOTO. LIBES. SOLVIT
sic sic
MILEX. CORTIS. PRAETORIAE
CENTVRIA. DASI
AELIVS. C. LIBES. VOTVM
sic
REDDEDIT

6.

Appianus

D. M.
T. VETIDIVS. T. F. STRA. P. T.
VALENS IIII VIR. VIR. DI QVINQ.
PONT. SIBI ET. T. VETIDIO PO
TENTI FIL. EQVO PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V. T. F. I.

Scardeonius

.T. VETIDIVS T. F. STRA
P. T. VALENS IIII. VIR IVR.
DI. QVINQ. PONT. SIBI ET
.T. VETIDIO. POTENTI FI.
EQVO PVBLICO ANNORVM
XX. M. IIII. D. V. T. F. I.

Gruterus ex Appiano & Smetio ſub hoc titulo. Patauij Foro Iulij in Porta

D. M
T. VETTIDIVS
T. F. SCAPT
VALENS
IIII. VIR. IVR. DIC
QVINQ. PONT
SIBI. ET
T. VETTIDIO
POTENTI. FIL
EQVO. PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V
T. F. I

Scar-

7.

Scardeonius ex Appiano

Q. VEIONIVS DEVTA
Q. VEIONIVS FAVSTVS
VEIONIA CEA
IN F. P. XXX. RET.
P. LV
Q. VEIONIVS SVAVIS
FECIT.

Gruterus ex Appiano

Q. VEIONIVS. TEVDA
Q. VEIONIVS. FAVSTVS
VEIONIA. CEA
IN. F. P. XXX.
RET. P. LV
Q. VEIONIVS SVAVIS
FECIT

8.

Mazochius

C. IVLIANVS CATOYVS
ANT. PPN. AL. DIANIVM

Appianus Romæ

C. IVLIANVS CECIVS ANT. F.



P. P. N. AL. DIANIVM D. D.

Appianus Patauij

C. IVLIANVS
CÆCYVS ANT
F.
P. P N. AL
DIANIVM D. D.

Scardeonius

C. IVLIANVS CÆCVS
ANT. F. PPN. ALDI
ANIVM . D . D.

Gruterus

C. IVLIANVS
CÆLIVS. ANT
F
Hic sculpitur pharetra & arcus, infra vero ceruus.
P:: P:: N: :: :: :: :: :ALM
DIANIVM. D. D

9.

E pago Villa Abbatis ad Baſſanorum ædes perueniſſe hoc monumentum Scardeonius indicat, quod tamen nuſquam reperitur.

M.PETRONIVS PRI
MVLVS IIIIII VIR
AVG . SIBI ET PE
TRONIAE VXORI
LIBERTIS LIBERTA
BVSQ. MEIS
VIVENS FECIT

10.

In angulo delubri caduci extra portam Sancti Ioannis erat

Q. LOLLIO L. F. FAB.
PATRONO ET
PLOTIÆ VXORI
SECVNDVS ET
HOMVLIVS FECER.
SIBI ET SVIS

11.

Hanc inſcriptionem Appianus ſolus PATAVII ponit.

C.CLODI IVCVNDI
ΑΥΡΗΛΙΑΙ ΤΑΤΙΑΙ ΘΥΑΤΙ
ΡΗΝΗΙΤΗΙ ΣΩΦΟΝΕΣΤΑΤΗΙ
ΓΥΝΑΙΚΙ
ΠΑΚΟΥΒΙΟΣ ΦΡΟΝΤΩΝ

Lib. 1. Claß. 4. fol. 63. 64.
Fol. 342.
Fol. 920. n. 15.
Loco cit.
Fol. 43. & 44.
Fol. 340.
Lib. 1. Claß. 4. fol. 63.
Fol. 863. n. 16.
Fol. 706. n. 3.

2. Hoc monumentum apud Scardeonium habetur geminum, non alio diſcrimine, niſi quod ſecundo loco IN.A.P.XVI. ponit: & apud Gruterum, quamuis ex Appiano & Scardeonio id deprompſerit, IN.A.P.XXVI obſeruatur, cum ab Appiano tamen PETRONIAS, & IN.A P.XIVI notetur, quod ineptum autumo.

3. Tertium, & quartum ſaxum Mazochius Romæ in ædibus Pomponij Læti in Quirinali; ſed Appianus, Scardeonius, & Gruterus Patauij locant: hac tamen obſeruatione apud Gruterum, quod quartum, & Patauij, & Romæ in ædibus Læti e Mazochio habet.

TI.

TITIAE] TVTIAE cum Mazochio, vel TITIAE cum ceteris omnibus legendum sit, constanter affirmare non ausim, cum mulieres, Tutias & Titias cognominatas, in lapidibus obseruem. Mallem tamen TITIAE; cum hæc mulier Q. TITII liberta sit.

CHIONES] Perottus in Cornucopia ad Martialis epigramma, quo in Lesbiam inuehitur, hæc notat. *Chione nobile scortum fuit nomen habens à candore niuis, quæ Græce χιών dicitur*. Ex quibus cognomen à colore niueo huic mulieri datum autumo. Nam & Martialis alio in loco: Lib. 1. epig. 63.

Candida es, & fusca es, non es, & es Chione.

Et Iuuenalis de candido scorto lusit.

Et dubitas alta Chionem deducere sella. Sat. 3.

Omnes præter Scardeonium huic monumento D.M. præfixere: quod necessarium puto.

4. SER.] Nimirum SERVIVS: quod prænomen à conditione prognatum Dionysius ostendit de Seruio Tullio Rege: *Appellauit vero Seruium à conditione, quod serua eum peperisset*. Sed ex Valerio Sigonius & Panuinius demonstrat Seruios illos prænominatos, *qui mortua matre in vtero seruati erant*, & ab hoc eodem Seruiliam gentem denominatam. Rom. Antiq. lib. 4. De Nom. Rom. De Antiq. Nom.

CALPVRNIVS] Gens ista ex agro Sabino Romam migrauit: & quamuis à *Calpo Numæ Regis filio sit oriunda*, vt Festus monet, inter plebeias tamen à Panuinio recensetur. Verum ob Consules, Pisones, Frugos, Pisones Cæsoninos, Pisones Frugos, cognominatos longe emicuit. Ex hac Virum consularem sub Galieno Imperatore, in longa tyrannorum serie, qui eo tempore afflixerunt Imperium, videre licet.

Vbi apud Scardeonium legitur V.A.III. M.X D.XX apud Mazochium, & Gruterum, qui hoc saxum Patauij ponit, T.A.IIII.M.X.D.XX. obseruatur. Illud vero. T. quid significet, ignoro, nisi fortassis eius loco. V. reponendum. Fol. 863. n. 13.

5. Inscriptionem istam, quæ à Mazochio, & Grutero Romæ in ædibus Pomponij Læti in Quirinali monte describitur, Appianus, & Scardeonius Patauij reponunt. Quam tamen cum apud omnes non paucis scatere erroribus suspicari audeam, iuxta ea, quæ in ipsa iam delineata considerare licet, post tantos viros pro meo ingeniolo sic legerem Fol. 44. Fol. 38. n. 7. Fol. 340. Lib. 1. Class. 4. fol. 63.

DEO

DEO. SANCTO. APOLLINI
PACIFERO
EX. VOTO. LIBENS. SOLVIT
MILES. COHORTIS. X. PRÆTORIÆ
CENTVRIO. DASILEVS. C...
LIBENS. VOTVM. REDDIDIT

LIBENS nimirum pro LIBES, COHORTIS pro CORTIS, & REDDIDIT, pro REDDEDIT accipiendo.

6. Monumentum hoc, quod Patauij Appianus & Scardeonius ha-
Fol. 344. bent, diuersum ex vtriusque descriptione hic collocare volui, nec non
Lib. 1. Class. 4. fol. etiam ex Gruteri sententia, tametsi hic supra saxum addat, *Patauij Foro*
63. *Iuli in porta*: de qua re iam antea
Fol. 486. n. 1. VETTIDIVS] Vettidiam gentem quamuis non habeant Romanarum familiarum scriptores, eam tamen Romanam asserit monu-
Grut. fol. mentum Fori Sempronij situm, in quo inter
150. n. 4. AVGVSTALES VI VIR
ceteris omissis reperitur
CN. VETTIDIVS CN. L. OPTATVS

VALENS] Cognomen à corporis vigore depromptum. De Valente
Hist. lib. Plinius: *A. Iunius Valens meruit in prætorio Diui Augusti centurio, vehi-*
7. cap. 20. *cula cum culeis onusta donec exinanirentur, sustinere solitus: carpenta comprehensa vna manu retinere, & alia mirifica facere, quæ insculpta monumento eius spectantur.*

8. Huius saxi descriptio quinque exhibetur modis, deperdita eius me-
Fol. 44. moria. Mazochius & Appianus primo in ædibus Pomponij Læti in
Fol. 211. Quirinali reponunt, imo Appianus eo modo ipsam exhibet, quo delineatam dare volui, inde eandem paucis immutatis etiam Patauij locat. Gruterus tanta rerum varietate motus, hunc ei titulum præmittit. *Roma in*
Fol. 40. n. 4. *ædibus Pomponij Læti, alij ponunt Patauij*. Scardeonius noster ex Appia-
Lib. 1. no Patauinum monumentum facit. Verum cum nec Romæ vlla ami-
Class. 4. fol. cotum diligentia id peruestigare, nec Patauij reperire licuerit, de
63. ipso nihil decernere potui.

9. LIBERTIS LIBERTABVSQ. MEIS VIVENS FECIT Scar-
Lib. 1. Class. 4. fol. deonius legit. Verius cum Appiano & Grutero LIBERTIS LIBER-
64. TABVSQVE MEIS VIVENS FECI accipio.
Fol. 346. Fol. 451. n. 1. 10. PLOTIÆ] Ex Plotia gente plebeia Consules emanarunt cogno-

cognominati, Proculus, Decianus, Veno, Venox, Ypsæus, Siluanus, Plancus. Istam Vrsinus scribit *nomen à Plauto cognomine duxisse*, sub- *In gent.*
ditque mox: *cum autem Plauti, Ploti etiam dicti sint, (vt M. Attius* *Plot. fol.*
Sarsinas, qui comœdias scripsit, initio Plotus, postea Plautus appellatus est) Plau- 200.
tiam quoque gentem non modo Plotiam (vt Claudium Clodium) sed Plutiam in veteribus monumentis nominatam esse animaduertimus.

11. Græcum hoc monumentum sic Latine legendum existimo

C. CLODI IVCVNDI
AVRELIÆ TATIÆ THYATI
RENEITÆ CASTISSIMÆ
FOEMINÆ
PACVBIVS FRONTON

SERTORII VRSATI MONVMENTA PATAVINA.

LIBER I. SECTIO X.

SVPPOSITITIA.

POstremum iure locum ſibi vindicant monumenta illa, quæ iam ſpuria, ac ſuppoſititia iudicata ſunt. Neque enim licebat inter veterum monumentorum claſſes illa recenſere, quæ non re, ſed ingenio antiquitatis nomen meruerunt. Spurium itaque à Grutero habetur Titi Liuij Elogium ſupra vnum ex oſtijs Prætorij ad meridiem ſitum; cui addenda etiam eſſent ea, quæ (duobus eiuſdem antiquis monumentis exceptis) à nobis relata ſunt, vbi de Liuio egimus. Sed cum omnia ibi appareant, fruſtra hic reponerentur. Ceterum præter hæc à Grutero inter ſpuria etiam referuntur ſequentia.

Ad



2.

Lib. 1. Claſſ. 4. fol. 10. Spuriorum fol. 9.

Tabula ænea, quam Ioannes Marcanoua ſe profitebatur habere Scardeonij teſtimonio, in ſummo Templo erat, ſi Grutero fides habenda.

P. AEMILIVS. IMP. MACEDONIAM. TERRARVM. IMPERIO. POTI
TAM. CEPIT. CVIVS. VNO. DIE. LXXII. VRBES. VENDIDIT
ETIAM. INDIAE. VICTOR. PER. VESTIGIA. LIBERI. PATRIS. AT
QVE. HERCVLIS. ROMANA. SIGNA. CIRCVMTVLIT

Spuria ac ſuppoſititia ex mea opinione.

3.



PAVLVS PATAVINVS IVRISCONSVLTORVM CLARISSIMVS, HVIVS VRBIS DECVS AETERNVM, ALEXANDRI MAMEAE TEMPORIBVS FLORVIT AD PRAETVRAM, PRAEFECTVRAM, CONSVLATVM QVE EVECTVS, CVIVSQVE SAPIENTIAM TANTI FECIT IVSTINIANVS IMPERATOR, VT NVLLA CIVILIS IVRIS PARTICVLA HVIVS LEGIBVS NON DECORETVR, QVI SPLENDORE FAMAE IMMORTALIS OCVLIS POSTERITATIS ADMIRANDVS INSIGNI IMAGINE HIC MERITO DECORATVR.

In

In area ædium Baßanorum.

4.

IMP : HANIBAL
HAMILCARIS . F.
TREBIÆ,
THRASIMENI
ET CHANNARVM
VICTORIAM
DEPORTAVIT

5.

D. M.
BASSANVM
A BASSA
DICTVM
A B
HANTENORE
TROYANO
CONSTRVCTVM.

6.

In ædibus Coradenis antea loco indebito positum

IMPVNE HINC CEREREM
SVMAS IMPVNE
LYEVM
INTACTAS HABEAT
DVM MEA LAVRVS
OPES


7.

Apud Tomasinum de Donarijs Cap. XXV.

. . . . .TAVRILL . . .
PORCILIANO. . . . .
POT . AVGVR . . .
MARITO . SANCTIS . . .
AVLA . PLACIDIA . T
VXOR . PIENTISSI . . .
ET . SOLEMNITE . . .
SVPPLICAVIT
VIX . AN . LII . M . V . D

8.

Hoc geminatum marmoreum columnæ epiſtylium, pulcherrimum certe, quamuis ſuppoſititium cognoſcatur, in quo ſex menſium ſymbola equitantia obſeruantur, apud me conſeruatur, munificentia eruditiſſimi viri Hieronymi Sanctaſophiæ, in patrio Gymnaſio Medicinæ Theoricæ profeſſoris inſignis, omnique virtute ac morum elegantia conſpicui.



Ante-

Antenorem nostrum, qui *Aeneid. lib. 1.*

——— potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus: atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua sonanti:

Atque in nostras hasce regiones delatus, Euganeis pulsis

——— Vrbem Pataui sedesque locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia

patriæ proditorem dicunt, & Dictys ille Cretensis, quem sicuti exiguæ auctoritatis omnes agnoscunt, ita mendaciũ propalare certe apparet; & Seruius ad hæc Virgilij carmina;qui de Antenore ac Ænea differens talia profert: *Hi enim duo Troiam prodidisse dicuntur, secundum Liuium.* *Hist. lib. 1.* Paucisq, interiectis sequitur: *Sisenna tamen dicit, solum Antenorem prodidisse: quem si velimus sequi, augemus exemplum: Si regnat proditor, cur pius vagatur? Antenor autem ob hoc creditur Græcis patriam prodidisse, quia & auctor reddendæ Helenes, & legatos ad hoc venientes susceperat, & Vlyssem medici habitu agnitum non prodidit.* A quibus Liuius, quem Seruius testem adhibet, aperte dissentit. *Iam primum omnium satis constat, Troia capta in ceteros sæuitum esse Troianos, duobus Ænea Antenoreque, & vetusti iure hospitij, & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abstinuisse.* Vndenam quæso proditionis memoria, & vnde eius argumentum? Nullum certe: nisi exoptare pacem, iusta ac honesta suadere, humanitatis & beneficentiæ munus exercere, proditionis argumentum fuerit. Veritatem sibi optime notam in adnotationibus ad Liuium doctissimus Henricus Glareanus ad verba hæc, fuse quidem, sed accurate coactus est proferre. *Eam Seruij opinionem, quantum ad Virgilium attinet, eleganter sane, nec minus erudite refellit Christophorus Landinus. Neque enim verisimile est (inquit) voluisse poetam, eum virum, quem omni laudum genere ad diuinitatem vsque extollere contendat, vel minima infamiæ suspicione deturpare. Idem ego de Liuio sentio. Quam enim conueniebat, eum, qui tantopere, ac post tot eximios scriptores rem Romanam scriptis suis illustrare in animo habebat, tale quid de origine testari? Miror autem, vt Seruius hæc Liuij verba legerit: nam vt nos ea habemus, nulla prorsus mentio proditionis inest. Quod autem Græcorum ante bellum fuerint hospites Æneas & Antenor, maiestatem humanitatemque patriæ illustriorem reddidere. Et quod Helenæ reddendæ, per summam iniuriam ereptæ, auctores dicantur, officio bonorum virorum functi plus ceteris ciuibus mihi videntur, iustusque eorum commonstratur animus. Antenor sane ab Homero Iliad: lib. 8. aduersus Alexandrum Priami filium differens introducitur,*

citur, acerba iniecta contentione, vt Menelao vxor restitueretur.

Nec Antenorei honoris defenſorem iſto loco omittendum volo Pignorium noſtrum, qui in Originibus Patauinis fuſe & diligenter aduerſus Antenoris detractores inſurgit, quo breuitatis ſtudio lectorem amicum remitto; hiſce præmiſſis, quod cum in antiquitates Patauinas ac in eius clariſſimos priſcos viros ſeuere, & forſan cenſorie nimis inquirat, vt de Liuio, Iulio Paulo, Thraſea Pęto aperte videre licet, ſi de Antenore noſtro quidpiam ſuſpicatus eſſet, neutiquam ſilentio obumbratum relictus fuiſſet.

Cap. 2.

Poſt quos addo ego, neq; abs re, vt puto; ſi Antenor patriæ proditor fuit, ſi Græcis amicum ſe præbuit, cur Troia incenſa, dum aliam patriam quæreret, eſt

——— *medijs elapſus Achiuis?*

Cum elabi periculum fugere indicet. Vnde apud Ciceronem non paucis in locis legitur: *elapſum eſſe de manibus: ex tot tantiſque criminibus elapſus eſt*. Ac præcipue pro domo ſua: *Frater meus ex veſtro ferro ac manibus eſt elapſus*. Et Plancus ad Ciceronem: *Magno cum labore paricidarum elapſus ſum ijs*. E Græcorum inſidijs elabi non cogebatur, qui Græcis beneficentiſſimum ſe exhibuerat, ac eos à longo, & infenſiſſimo bello ob Troiam proditam liberauerat. Verum quia à proditionis calumnia innocentiſſimus fuit, merito ad illud

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis

notatur in Paſeratij Calepino: *ſignificanter dixit elapſus, quum vellet ſignificare eum e manibus pene Græcorum ipſum comprehendentium euaſiſſe*.

Patauij itaque, vbi Antenor poſt vrbem conditam

——— *placida compoſtus pace quieſcit*,

ſepulcrum eius latuit, vſque ad annum ſalutis MCCLXXIV. vt omnes Patauini Chronologici aſſerunt. Cum vero ad euitandam fœdiſſimam hominum iniquitatem, qui illis temporibus infantulos, extra thorum legitimum ſuſceptos, fluminibus immergebant, ciuitatis decreto ſancitum eſſet, vt xenodochium erigeretur ære publico, in quod expoſiti infantes reciperentur, & huius operis ſtruerentur fundamenta, inuentum eſt ſepulcrum illud ingens, quod ad Diui Laurentij, quatuor columnis ſuffultum conſpicitur, plumbeam capſam continens, in qua cipreſſina alia aſſeruabatur. In his ex Muſſato Scardeonius repertum tradit enſem aureatum, qui ad Albertum Scaligerum tunc Patauij ſummo imperio fungentem fertur perueniſſe, hiſce inſcriptum carminibus.

Vngarellus M. S. Scard. lib. 1. Claſſ. 1. Pignor. in Origin. Patau. cap. 8. Et in Antenore, cap. 8.

Cum ſuper A ſummes primum tibi Dardane gamma,
Auxilium à ſuperis ſubito tibi nomine clama.
Heu Patauum! qui te profugus conſtruxit ab igne
Multoties tali peſti ſubiecta malignæ

Mors

Mors cita, vita breuis, Patauos in pace volentes
Viuere non passa est, genus hoc fatale ferentes
Admonet, & punit nullo discrimine ciues.

Quæ tamen carmina cum doctissimo Pignorio alieni æui, & certius barbari, quam Antenorei iudico, siquidem Græcis potius characteribus, quã Latinis descripta fuissent. Suspicor itaque, quod alio forsan tempore inuentis Antenoris ossibus, ensi tunc insculpta fuerint carmina, & ingens illa arca marmorea efformata, quæ plumbeam & cupressinam capsam contineret, ad conditoris nostræ patriæ venerationem, quæ denuo cum auri magna copia in grauissimis illis Hunnorum ac Gothorum in nostras regiones inundationibus fosan recondita fuerit. Ad aureos vero nummos eo in loco repertos quod spectat, *in Chronicis Potestatum Paduæ* ad annum MCCLXXIV. hæc extant. *Dominus Gotofredus de la Turre de Mediolano Potestas Paduæ. Hoc anno de mense Februario in ædificatione laborerij Domus Dei tanta quantitas cuiusdam generis monetarum per fratrem Rolandum, & eius fossores inuenta fuit, quæ valuit* XVII. *millia librarum & vltra.* Legitur & alibi in eodem genere: *Tantum aurum in meaglis, qued valuit* XVII. *millia librarum bagatinorum.* Et in simili. *Et repertum thesaurum tanti auri in medalijs in certis orzijs ad summam librarum* XVII. *millia denariorum Venetorum.*

Verum de Antenoris sepulcro, deque eius tenebrosa antiquitate, nec non de numismatis illis post tot Patauinæ ciuitatis clades, quæ seculo tudi successere, cum nemo nostrorum scriptorum aliquid certi reliquerit, quid de eis affirmandum sit, prorsus me fugit. Satis itaque puto ea afferre, quæ certa sunt; nempe tumulum istum e regione Lupati, qui tunc temporis Quatuoruir erat, locatum fuisse, qui ijs temporibus I. C. Eques, ac poeta insignis, carminum, quæ in arca etiamnum sculpta leguntur, auctor fuit.

Supra hunc tumulum instar nucis pineæ tectum exurgit, à duobus Patauij illis temporibus Prætoribus, & cœptum, & perfectum; vt rudia illorum monumenta, quæ ibi adfixa visuntur, aperte denotant. Quorum primum ad Septentrionalem plagam expositum Oliui de Circis Florentini est, Patauij Prætoris anno salutis MCCLXXXIV. in quo & insignia eiusdem atque ciuitatis, & regni Galliæ conspiciuntur: supra quæ hæc leguntur carmina.

CVM QVATER ALMA DEI NATALIA VIDERAT ORBIS
POST DECIES OCTO MILLE DVCENTA SVPER
EXTVLIT HAEC PADVAE PRAESES CVI NOMEN OLIVE
COGNOMEN CIRCI PATRIA FLORIS ERAT.

Alterum quod Occidentem ſpectat, eſt Fantonis de Rubeis itidem Florentini, qui bis Patauio præfuit; nempe ab anni MCCLXXIV. medio, vſque ad annum MCCLXXV. quo tempore opus iſtud perfectum exiſtimo; & anno MCCXCV. Supra eius ſtemma in Mauſoleo Antenoris ſculptum legitur

Chron. Reg. Ciuit. Pad. M.S.

POTESTATE NOBILI VIRO DOMINO
FANTONE DE RVBEIS DE FLORENTIA
PERFECTVM FVIT HOC OPVS.

Tandem vbi Scardeonius & Portenarius in hoc Antenoris epitaphio PATRIAE legunt, PATRIAM reponendum eſt, prout in arca conſpicitur.

Lib. 1. Claſſ. 1. fol. 7. Fol. 19.

2. Huius Pauli Æmilij monumentum, quod in tabula ænea exiſtebat, & Mazochius in *Epigrammatibus Vrbis* habet, in eo tantum à Scardeoniano & Gruteriano eſt diuerſum, quod vbi iſti POTITAM, ille POSITAM ſed abs re forte ponit. Siquidem Macedoniam Imperio potitam, quam poſitam Grammaticæ magis conſentaneum eſt.

Lib. 1. Claſſ. 4. Spur. & Sup pos. fol. 9.

Ipſum iure inter ſuppoſititia à Grutero habitum obſeruo. Nam etſi quoad Macedonicas res falſi nihil contineat, ſiquidem L. Æmilio Paulo Macedonia decreta eſt, qui bellum in ipſa celerrime, ac feliciter perfecit, vt Plutarchus ſcripſerit: *Macedones, qui ſemper regum ſuorum habiti fuerunt amantes, tunc ſicut cum fulcimento rupto omnibus vna corruentibus, permittentes ſeſe Paulo, duobus diebus totius Macedoniæ compotem eum fecere*: & ipſe ad populum Romanum de ſe dixerit: *Macedoniam in poteſtatem populi Romani redegi; & quod bellum per quadriennium quatuor ante me conſules ita geſſerunt, vt ſemper ſucceſſori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci*: attamen Duces Romanos ciuitates ſubactas vnquam vendidiſſe, aut Romana ſigna ad Indiæ regiones peruenisse, quod ſciam, hucuſque notauit nemo.

Liu. Hiſt. lib. 44. In eius vita. Liu. Hiſt. lib. 45.

4. Monumentum, quod hic exhibeo, Iulij Pauli viri iuriſconſultiſſimi, Alexandri Seueri Imperatoris æuo degentis, cui à conſilijs fuit, patria mea ad tanti ciuis perennitatem ſupra vnum ex quatuor oſtijs prætorij ad Auſtrum bis erigi voluit. Primum Scardeonij æuo viſebatur tale.

Scard. lib. 1. Claſſ. 8.

PAVLVS PATAVINVS HVIVS NOSTRAE VRBIS DECVS AETERNVM IVRISCONSVLTVS CLARISSIMVS COAETANEVS T. LIVII HISTORICORVM PRINCIPIS EA AETATE INTER LEGVM LATORES ADEO COELESTI FLORVIT INGENIO VT LEGES INNVMERAS EDIDERIT QVARVM NONNVLLAE DE APICIBVS IVRIS DIVINO QVODAM INTELLECTV CORVSCANT QVEM SPLENDIDVM FAMA IMMORTALI FIDIS OCVLIS POSTERITATIS INSIGNI IMAGINE HIC
MERITO DECORAMVS

Verum

Verum cum perspectum fuisset, quantum à veritate distaret hoc monumentum, cum inter Alexandri Seueri Consiliarios *Iulium Paulum* iurisperitissimum enumeret Lampridius (nisi forsitan, vt Scardeonius diligenter considerat, in saxo, vbi COAETANEVS, CONTERRANEVS T. LIVII esse debuerit, atque adeo erratum istud fabro adscribendum sit) ne talis ineptia ad patriæ gloriæ detrimentum perduraret, anno MDLXV. sancitum fuit, vt illud penitus aboleretur, istudque reponeretur, quod castigatum nunc ibi legitur. *In Alex. Seu.* *Loco cit.*

Verum de Iulij Pauli patria, suo more, nimisque forsan acute, vt de reliquis patriæ nostræ clarissimis viris, dubitat in *Originibus Patauinis* Pignorius hisce verbis: *Giulio Paulo il Giuriscon̄sulto, io non hò mai ritrouato auttore alcuno antico che lo chiami Padouano. so bene che Teodoro Manilio lo chiama Greco.* Ipsum tamen à Patauinis non omnino reijcit subnectens: *è ben vero che la traditione é gran fondamento di molte cose, che si credono, & io non voglio annullare gl'ornamenti della mia patria, ma più tosto accrescerli.* Neque mihi dubitandum censeo de eis, quæ maiorum nostrorum publica monumenta testantur; præcipuè cum de Iulij Pauli *Patauinitate*, vt ipse Pignorius affirmat, *nubes testium* (eius verbis vtor) pro hac certitudine appareant. Affirmant namque iurisconsulti, monumenta vel ænea, vel marmorea, vel antiqua etiam volumina publici iuris facta, magnam vim attestationis habere, iisque publicam inesse fidem, vt in Cod. Constantini sub *Tit. de Donat.* habetur, & vt testatur Bartolus, Baldus, Angelus Aretinus, & omnes iurisconsultissimi viri. Quæ cum ita sint, in *Libro Manuscripto Priuilegiorum Reuerendissimi Capituli Patauini*, in archiuo Ecclesiæ Cathedralis asseruato ad annum Domini 229. vere scriptū reperitur: *Floruit Iulius Paulus Patauinus antiquus, & illustris legum lator Papiniani primus discipulus.* Vngarellus in Chronicis notat: *Fù doppo la natiuità di Christo vn nostro Cittadino chiamato Giulio Paolo* &c. Bernardinus Scardeonius inter claros iurisconsultos Patauinos Iulium primum locat. Marcus Mantua Patauinus, sui æui Iurisconsultorum coryphæus scribit: *Iulius Paulus Patauinus noster claruit Alexandri temporibus, vt multi testantur.* Thadæus Piso Soacius identidem I. C. Patauinus elegantissimus, commentario in primam Pandectarum, *Paulum Patauinum, de quo in L. Paulus ff. de solutionibus*, nominat. Nec Patauinos tantum testes habemus, sed in libello illo Italice scripto, cui titulus est *Difesa della Patauinità di Giulio Paolo*, cuius auctorem nostri ciues credunt, vel Alexandrum Caterium, vel Nicolaum Camposamperium seniorem, ciues ambos, & Iurisconsultos Patauinos, summi nominis viros: vbi quamplurimos habemus huius rei testes: ad quem ob breuitatem lectorem mitto.

Cap. 16. *Ibid.* *In L. 1. in princ. ff de bonor. poss. Conf. 445. lib. 4. §. Nihil. aut. Instit. de Test. & §. Pœnal. Inst. de Act. Lib. 1. Class. 8. fol. 158. 159. In Epist. illustr. viror. Tit. 2. n. 44.*

5. Monumentum, quod Annibali Carthaginensium duci erectum, in ædibus Bassanorum extat, inter spuria reponendum credidi, tum

quia antiquitus absque aspiratione, & duplici N. ANNIBALEM scribi solitum credo, prout etiam CANNARVM, non CHANNARVM; tum pariter quia modus iste dicendi in saxo à Romano nitore meo iudicio diuersus apparet.

6. Hoc etiam saxum apud Bassanos inter spuria reponendum volui; nescio enim quid sibi velint DEI MANES ad monumentum BASSANI, quod oppidum clari nominis & nunc est, vigesimo quinto à nostra vrbe lapide, Septentrionem versus. Nec HANTENORE TROYANO ad antiquum scribendi modum ita accedit, vt ANTENOR TROIANVS.

7. Quod sequitur distichon, inter Coradenorum monumenta antiqua præ nimia festinatione repositum, heic merito locum meretur; siquidem eius auctorem credo Hieronymum Gabrielium Medicum Patauinum non vulgarem. Legitur autem Arquati, in ædibus olim Petrarchæ, nunc Gabrieliorum supra ianuam, qua ad hortos & colles itur, depictum tantum in tabula marmorea, quam fortassis reponi ibi curauerat Gabrielius, quum ædes hasce reparasset.

8. Semifractum istud saxum, de quo in suo de Donarijs elegantissimus Tomasinus hæc protulit; *Saxi fragmentum, non ita dudum ad radices montis Vendæ inter Euganeos altissimi repertum, vbi nunc Castri Noui pagus olim incolis frequens*, cur inter spuria ac supposititia à me reponatur, dum vixit nouerat Carolus Auantius, sed forsan nimis iniustè.

IAm iste laboris mei qualiscunque partus, qui aliquamdiu sub prælo gemuit, libera deinceps luce, hominum obstetricante benignitate, fruiturum se lætabatur, cum retardatus est noua epistola, quæ Roma opportune aduenit. Scripsit enim nunquam satis laudato Ioanni Rhodio Clarissimus Lucas Holstenius, Vir qui iam pridem Musas omnes arctissima familiaritate sibi deuinxit, & in intima Parnassi, hoc est omnigenæ eruditionis adyta felicissime penetrauit. Literarum certe Græcarum tanta excellit peritia, vt ipsi laudis huius palmam seculum istud facile porrecturum videatur. Quare etiam ad eum honoris prouectus est gradum, qui debetur doctrinæ supremis coniunctæ virtutibus. Iste igitur circa Maguriani mei monumenti, superius sectione 5. fol. 211. repositi, perplexissimum labyrinthum ingenium suum fatigare, ac sensa sua lucidissime explicata Patauium transmittere dignatus est. Debeo igitur summo tanti viri erga me studio; debeo singulari, quam in hoc suscepit negotio, industriæ; debeo reconditissimæ doctrinæ, quæ magnum splendorem meo conciliatura est operi, vt ipsius accuratissimam epistolam pro felici libri huius coronide annectam.

V. CL.

V. CL.
LVCÆ HOLSTENII
DE MONVMENTO MAGVRIANO
AD IOANNEM RHODIVM
EPISTOLA.

CL. VIRO IOANNI RHODIO
L. HOLSTENIVS χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Malo parcius soluere, quam longiore procrastinatione debitum augere. promißam tibi Magurianæ inscriptionis explicationem, siue diuinationem potius meam ad antiquum illud ænigma nunc exhibeo. ubi illud iure meo ab humanitate tua postulo, ne mihi culpæ aut vitio vertas, si à doctißimi amici nostri expositione tantum recedam, quantum dissidet Hesperijs Gadibus Eridanus. Ego enim Patauinam inscriptionem existimo Magurij ciuis Patauini, aquis Aponis dedicatam, in quarum margine repertam scribis. Magurius ille in xysto siue porticu aquis imminenti de suo posuerat Euras illas & perticas, quas lapis commemorat, ut lusoribus gregis Veturianæ, quæ grex etiam iuniorum dicebatur, eorumque exhibitionibus siue exercitijs seruirent. quæ singillatim explicare operæ pretium fuerit.

Q. Magurium Patauinum fuisse ostendit tribus Fabia, in quam omnes Transpadanæ ciuitates relatæ fuere, cum Romana ciuitate donarentur. De Brixia, Verona, Mantua multi lapides id testantur apud Rossium, Panuinium & Gruterum. De Patauio idem Gruterus aliquot affert ex Scardeonio, quos videre est, CCCCXL, 4. DCCCI, 12. DCCCXXCV, 3. DCCC, 1. DCCCCXXII, 19. DCCCCXLV, 4. & apud Montem silicis CCCC, 5. neque hac de re quisquam in his studijs paulo versatior dubitabit.

FEROCIS cognomen sæpius antiqui lapides exhibent. sic Annius Ferox senior, & iunior apud Gruterum MLXXXIX, 6. ut alios taceam.

LVS. EPIDIXIB. ET. CETAES I. II. III. de Lusorum epidixibus & Zetas, siue diætis tribus intelligo. Ideoque in voce CÆTES errorem quadrantarij, vel potius scriptoris Patauinitatem agnosco, qui pro Z. posuit C. forte quod vocis originem & orthographiam ignoraret. Lusorum epidixes in thermis & xystis olim exhibitas, notius est quam ut indicari à me debeat, post Mercurialem, Fabrum & alios. Epidixes autem de omnium generum ludis & artificijs, non de solis poëtarum & rhetorum recitationibus accipi cum alij, tum Cresollius in veterum rhetorum theatro prolixe docet. Porticum vero illam mille pedum, cuius vestigia iuxta aquas Aponi Scardeonius & Pignoria extare affirmant, ædificia siue distincta cubicula, (has enim Zetas veteres dixere,) quamplurima habuisse ignorare non potest, qui Vitruuium legerit lib. V. cap. XI. ubi de palæstris & xystis agit.

GREG. VETVRIAN. Integris vocibus Gregis Veturianæ explico. ubi illud primum moneo, Gregem feminino genere olim dictum fuisse, quod Lucretij exemplo & auctoritate firmat Nonius, apud quem Buceria-

que

que greges lib 2. legitur. sic quoqin magno inscriptionum opere, CCCXXXVIII, 5. GREX RVSSATA *habetur. Veturiana autem dicebatur, quod à Veturio aliquo instituta fuerit. hanc enim Veturianam familiam Patauij fuisse docent lapides antiqui apud Gruterum* DCCCCLVII, 10. & DCCCXCV, 1. *& alius qui Vigizotti extat,* DLXVIII, 2. *ex Scardeonio. Vicentiæ quoque Viturios fuisse ostendit lapis* DCCXLVIII, 8. *Eadem grex siue schola Lusorum etiam iuniorum appellabatur, siue quod non nisi iuuenes ad eam admitterentur, sicuti apud Gruterum* LVSVS JVVENVM *legitur; siue potius quod iam ante alia schola siue grex lusorum fuisset in ijsdem thermis instituta. vt apud Gruterum* DCCXI, 2. *Tribules corporis iunioris in tribu Palatina. &* MCXV, 8. *Tribules corporis seniorum clientium tribus Palatina. atque ita passim in Notitia Imperij scholæ militum iuniorum & seniorum leguntur.*

A. A. *Aquis Aponis intelligo, atque ita Scaliger in Indice magni operis inscriptionem Patauinam apud Gruterum* DCCCCXVIII. 3. *Vale ad aquas, recte Aponas explicat. Fontibus autem siue aquis, præsertim medicatis, quod sacræ haberentur, varia dedicata constat ex antiquis monumentis. sic apud Eminentissimum Card. Barberinum in pyramide marmorea* AQVIS. ALBVLIS. SANCTISSIMIS *&c.*

EVRAS *nos intelligere unus Pollux docet, cui varia curruum ferramenta explicanti lib. 1. cap.* 10. *Euræ sunt ferramenta quibus axes curruum muniuntur, & quæ rotis atteruntur. Romæ vulgo sprangas ferreas vocant. ego hoc loco ferramenta vel muro vel trabibus ligneis infixa accipio, quæ perticas vncinis clauatas sustinerent, ea scilicet forma, qua apinxi. Perticarum autem & uncinorum usum eum fuisse puto, ut vel lauantium vel potius ludo sese exercentium vestimenta sustinerent. Hunc obscurissimæ inscriptionis sensum existimauerim, donec viri doctiores veriora me docuerint. Romæ* XXIV. *Augusti* CIↃ IↃCLII.



INDEX

INDEX
Eorum, quorum auctoritate, fide ac munere opus creuit.

Index Auctorum.

Gau-

Index Auctorum.

Index Auctorum.

PA

PATAVINI
Hoc opere nominati.

INDEX

INDEX LOCORVM

In quibus hæc monumenta reperiuntur.

Index Locorum.

INDEX

INDEX
Propriorum Nominum, & Cognominum tam virorum quam mulierum.

D

E

F

Quin-

PRAENOMINA
Explicata.

Nomina Gentilicia Declarata.

Quin.

Nomina Gentilicia Declarata.

Cognomina Expoſita.

NOTAE

N O T AE

Quæ pasſim declarantur.

Notæ quæ paſsim declarantur.

VI.

Notæ quæ pasſim declarantur.

INDEX

Rerum, Verborum, itemque formularum memorabilium à priſcis receptarum.

Aqui-

Index Rerum, & Verborum.

E

Homi-

T. Li-

Index Rerum, & Verborum.

De

F I N I S.

Errata grauiora sic corrigenda. Leuiora, quæque veniam facile videntur impetratura, amici lectoris benignitati submittuntur.

Prior numerus paginam, alter versum designat.

4	8	Historicum	*Lege*	Historicorum
5	27	FAB.		FABR.
6	9	multmque		multumque
13	23	CDLII		CDLIII
19	25	Nomen		Prænomen
30	11	XIIJ		XIIII
42	14	ST. RABO		STRABO
47	26	C. Fannius vbi.		vbi C. Fannius
66	8	IN ARG.		IN AGR.
71	2	Sardeonius		Scardeonius
74	20	Aeronin		Aero in
76	31	Patatauinas		Patauinas
82	7	Deosculanres		Deosculantes
98	11	15		25
104	14	Afilius Serranus		Atilius Serranus
106	21	AQVLIF.		AQVILIF.
118	5	VIVA F. ET. S.		VIVA F. S. ET. S.
122	12	*snferies*		*infereis*
127	38	6 L		61
136	22	*tenitissima*		*peritissima*
142	27	tyranidem		tyrannidem
148	28	*per per vrbes*		*per vrbes*
194	29	ab ætatem		ob ætatem
198	5	ferme omnes		addatur incisum
201	15	*eandij*		*eoridij*
205	18	Petgiius		Petronius
217	39	Salonia		Salona
231	26	*Vicaria*		*Vicania*
277	5	INT. CO. XS.		INT. COXS.
313	9	LELIVS		LAELIVS
ibid.	25	*Aeneas*		*Aenea*
317	18	M. AVR. AVR. VAL.		M. AVR. VAL.
310	23	CHOR.		COHORS
334	18	ΣΩΦΟΝΕΣΤΑΤΗΙ		ΣΩΦΡΟΝΕΣΤΑΤΗΙ